This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600092095V

13841. f. 126

BREVIARIUM TULLENSE

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

IN CHRISTO PATRIS

D. D. SCIPIONIS HIERONYMI

BEGON,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopi & Comitis Tullenſis, S. R. I. Principis juſſu & auctoritate, necnon de venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu editum.

PARS VERNA.

Vænit 8. lib. non compactum.



TULLI LEUCORUM,
Sumptibus ſuis ediderunt Typographi Uſuum Tullenſium.

M. DCC. XLVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Et vænit Nanceii apud A. LESEURE, Typographum *Regium, ſub Signo S.* Joannis Evangeliſtæ.

SCIPIO

HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopus Comes Tullenſis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

UNA *equidem, & quæ neminem præ-*
terit, lex eſt hominibus impoſita, ut
ſacrificio laudis ab omnibus honoretur Pſ. 47.
magnus Dominus & laudabilis ni- Pſ. 23.
mis, *cujus* eſt orbis terrarum, &
univerſi qui habitant in eo : *Hinc utique ab*
omnibus enixè rogandus, qui ſit in miſericordia Rom. 10.
dives in omnes qui invocant illum : *inde exo-* Pſ. 9.
randus humiliter, *qui ſedeat* ſuper thronum Jacob. 1.
judicans juſtitiam : *hinc gratè benedicendus, qui* 1. Theſſ. 5.
det omnibus affluenter, *& non improperet* : *inde*
ſine intermiſſione *invocandus*, *qui operetur* in Philip. 2.
nobis velle & perficere pro bona voluntate.

600092095V

13841. f. 126

Lib. de Eccleſ. Dogmat. inter Opera S. Auguſtini, cap. 56. *Quia enim* nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum, niſi orantem, auxilium promereri; *omnium quotquot ſumus, quanti refert adjutorem deprecari Deum ex quo* noſtra ſufficientia eſt?

2. Cor. 3. *Verùm illa, quæ ex ſummo Dei imperio, & ex noſtra virium & rerum inopiâ omnibus communis eſt, multò vobis impenſiùs incumbit orandi neceſſitas; vobis, inquam, Fratres chariſſimi, qui divinis mancipati ſpecialiùs, & ab anxiis ſæculi negotiis liberi, pro Deo ad populum legatione, & pro populo ad Deum mediatione ex inſtituta veſtræ conditionis ſorte fungimini. Sacrorum enim adminiſtris injunctum quis neſciat, ut, dum aliàs alii avocantur, manus ipſi ad cœlum ſupplices attollant, modò Numen pugnantibus deprecaturi propitium modò peccatoribus iratum exarmaturi.*

Eò quippe Clericis demandatum eſt precationis publicæ munus, quò vocem & pietatem populo quaſi vicariam commodent, verendaſque Angelorum vices imitati, incenſa multa, quæ ſunt orationes

Apoc. 5. Sanctorum, *ante ſedem Agni ſuppliciter offerant. Permagnum ſanè religionis opus; quod quantò præſtantius, tantò ab Eccleſia fuit ordinandum accuratiùs; ut ſacrificium illud laudis odorem coram Deo ſuaviſſimum exhalaret.*

Hinc, quia rudioribus ſæculis in Libros Officii Eccleſiaſtici nonnulla irrepſerant non ſatis exactè digeſta, quæ divinorum parum ſaperent Canticorum majeſtatem; ſacroſancta Synodus Tridentina ex iis omninò voluit expunctum quidquid divini cultûs decori minùs congruum videretur, aut dignitati. Quod cùm in multis olim tentatum legimus, tum in iis vidimus perfectum Breviariis, quæ non minori laude quàm diligentiâ nuper edidere plures Galliarum Epiſcopi.

Quorum perutilem laborem æmulati, cùm nulla vel pauca ſupereſſent veteris Breviarii Tullenſis exemplaria, novum ordinari & excudi curavimus, quod ad incorruptas fidei morumque regulas exactum, meliori ordine digeſtum, diligentiori examine probatum, recitantium pietatem verbi divini pabulo aleret, veritate firmaret, exemplis accenderet; illa-

que Sacerdotibus offerret ſubſidia, quibus populos ſibi commiſſos ſcientiâ ſalutis poſſent inſtruere faciliùs. Tantâ porrò ſedulitate, eoque conatu opus elaboratum eſt, ut jam in lucem prodeat, veſtris omnium votis excipiendum illud curæ Paſtoralis noſtræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decurſu fuſiùs explicatam, in ipſo tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes ſingulis annis Scripturæ ſacræ Libros legi, & integrum ſingulis hebdomadis providimus recitari Pſalterium, eo digeſtum ordine, quo, diſtributis ad Horas breves, & juxta antiquiſſimum Concilii Narbonenſis Canonem diviſis in plures Doxologias longioribus Pſalmis, ſimul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Pſalmodiæ gravamini præcaveretur. Conc. Narbonenſ. Can. 2.

Quoniam autem amica, *ut ait ſanctus Cyprianus*, & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; *Invitatoria, Antiphonas, Verſiculos, Capitula & Reſponſoria ex ſacris Codicibus deſumpta voluimus; & iſta quidem examino tum veteris, tum novi Teſtamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, mirus utriuſque concentus cuique mox obvius occurreret: quod eo frequenter ſucceſſu peractum eſt, ut Scripturæ veteris Teſtamenti in primis Veſperis & in Officio Nocturno prælectæ, quaſi nocti aurora in Laudibus, & quaſi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Teſtamenti textus.* Cypr. Lib. de Orat. Dom. poſt init.

Licèt firma aſſerendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario noſtro diſponere ſtuduerimus; ne tamen, qui ex inſtituto ad precationem publicam comparatus eſt Liber, is in controverſiarum vel adhortationum lectionem plus æquò deſineret, & imprudenter ſubtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè inſudavimus, ut precationis formam & ſenſum exprimerent textus ſacri ad Antiphonas, Reſponſoria & Verſiculos aſſumpti; quibus avocatus fortè, quaſi interſertis precibus ad Deum revocatus, alacriùs aſſurgeret recitantium animus, & illis, quaſi ſparſis hinc inde ſcintillis, tepeſcens aliquando pietatis ignis exardeſceret.

Cùm multi eſſent Hymni, vel ineleganti ſtylo, vel etiam deficiente metro compoſiti, ſubtractis quibuſdam, aliiſque emendatis, plures alios ſuffecimus, quorum ſit modulatio facilior, ſtylus ad metri regulas exactior, ſenſus ad pietatem aptior.

Lectiones è Patrum Sermonibus & Homiliis excerptæ, cavimus ut cum delectu fierent, ex genuinis eorum operibus, & ad optimarum editionum fidem diligenter recognitæ, Myſteriis vel Feſtis cujuſque diei congruæ, & (quod nobis quaſi proprium) pro multiplicitate Feſtorum ſic multiplices & variæ; ut & paſcendæ Miniſtrorum doctrinæ, & inſtruendis in Lege Chriſtiana populis bene conſultum videatur.

Acta Sanctorum, nonniſi ex coætaneis, ſupparibus, aut ſaltem melioris notæ auctoribus, ad puriores Hiſtoriæ fontes exacta, ſeveriori caſtigavimus examine: cùm melius ſit, teſte ſancto Auguſtino, quodcumque verum, quàm quidquid pro arbitrio fingi poteſt; nec umquam, ut inquit Innocentius III. ſub nomine pietatis tolerari debeat falſitas.

Aug. de vera Relig. cap. 108. Innoc. lib. 8. Epiſt. 10.

Unum ſingulis anni diebus Canonem ad abſolutionem Capituli legendum appoſuimus: quod & antiqua Eccleſiæ diſciplina inſtituit, & recens plurium Diœceſeon firmavit exemplum; ſicque proviſum eſt, ut Clerici omnes perutili diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiâ faciliùs imbuti, ad illius normam diligentiùs mores componere ſtuderent. Hos verò Canones, quò majoris eſſent apud vos momenti, ex Conciliis generalibus, quorum veneranda eſt ubique terrarum auctoritas, aut ex antiquis Provinciæ Trevirenſis & Diœceſis noſtræ Synodis, quarum Decreta noſſe nos, & præ cæteris obſervare decet, ut plurimùm decerpere curavimus.

Cœleſt. 1. Epiſt. 3. cap. 1. Capitul. Aquiſgr. cap. 55.

Reſtituta eſt ſua diei Dominicæ prærogativa, ut nempe ad Duplicium gradum evecta, Feſta qualibet excluderet, niſi quæ à populo ex toto vel ex parte feriarentur, aut primam ſecundamve in Eccleſia noſtra celebritatis Claſſem obtinerent.

Edocti antiquitate regulari (ut cum Patribus Toletanis loquamur) ſacriſque Conciliis Laodiceno, Bracarenſi & aliis, Quadrageſimam, utpote luctuoſis pœnitentiæ laboribus ſacram, nonniſi ægrè Martyrum admittere ſolemnia; occurrentes per illud

Tolet. 10. c. 1. Laod. c. 51. Brac. c. 48.

tempus Sanctorum Feſtivitates ad aliud magis opportunum tranſtulimus : exceptis tamen Feſtis S. Joſeph & Virginis Annuntiatæ, quibus propter ſolemnitatem ſuus religioſè locus ſervatus eſt.

Denique, cùm illa quæ certo ordine concinnata ſunt, faciliùs ſubeant animos, & memoriæ tenaciùs inhæreant; ſuum cuique Pſalmo in Pſalterio, cuique diei in hebdomada, cuique Officio in Myſteriorum, vel Sanctorum ſolemnitatibus, imò & cuique Officiorum parti ſcopum aſſignavimus brevi & ſimplici argumento explicatum, quo menti ſeſe primo proſpectu offerret nova nobiſque propria hujuſce Breviarii methodus, eo imprimis ordinata conſilio, ut ſtudioſâ Verſiculorum cum Antiphonis, Antiphonarum cum Capitulis, Capitulorum cum Reſponſoriis brevibus relatione cautum ſit, ne in incertum erraret, aut ad aliena raperetur recitantium attentio.

Quocirca, ut uno à nobis ore, uno ab omnibus precationis ritu glorificetur Deus, de venerabilium Fratrum Eccleſiæ noſtræ Canonicorum conſilio; omnibus Diœceſis noſtræ Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Ordinibus, Communitatibus, in quibus Breviarium Tullenſe ex more vel lege recitatur; necnon omnibus ſingulîſque Clericis qui ad illud ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Profeſſionis quocumque modo tenentur, mandamus & præcipimus, ut hocce Breviario noſtro à nobis, ut ſequitur, ordinato utantur in poſterum; neque aliud, ſive publicè in Choro, ſive privatim extra Chorum recitare præſumant.

Unum ſupereſt (quod noſtri maximè eſt muneris) adhortari vos, Fratres chariſſimi, ut toto erecti animo, has preces vobis quotidianas eo recitetis pietatis ſenſu, quem & quantum ſanctiſſimi illius miniſterii magnitudo poſtulat. Eccleſiaſticâ quidem lege ſancitum eſt, ut quos in præcipuam hæreditatis ſuæ partem Deus elegiſſet, ii ſtatis temporibus atque Horis, quas Canonicas vocant, preces & laudes Domino perſolverent. Verùm, qui præcepti hujus litteram ſequimini, ſpiritum aſſequi ſatagite. Pſallite Pſ. 46.
Deo noſtro, pſallite; *ſed memores quòd* Rex omnis *terræ Deus,* pſallite ſapienter. *Concordet ori mens, & dum alternat pro tempore ſonus vocum,*

perpetua ſit vox interiorum. Quantùm miſeri qui Deum invocando provocant, tantum felices vos, ſi injunctum precationis officium eâ præſtetis corporis modeſtiâ, eâ mentis attentione, eâ cordis pietate, quâ ſitis Eccleſiæ ad ſplendorem, Religioni ad præſidium, Fidelibus ad exemplum, Angelis ad ſpectaculum, orbi univerſo ad auxilium.

Et quoniam in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum; obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.

2. Cor. 7. Rom. 15.

DATUM Tulli Leucorum, in Palatio noſtro Epiſcopali, die quartâ menſis Julii anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo.

† *SCIPIO HIERONYMUS,*
Epiſcopus Comes Tullenſis.

De Mandato illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. mei Epiſcopi Comitis Tullenſis.

THIEBAUT.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit : an. ſignificat annum : c. an. circ. an. circa annum *: ſ.* ſæculo *: quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Feſta quæ majoribus notantur Caracteribus, feriantur apud populum.

Cyclus epactæ.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	JANUARIUS.
xxx	A	*Cal.*	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *Duplex 2. Claſſis. Solemne minus.*
xxix.	b	iv	2	Octava s. Stephani, *Dupl. 3. Claſ. com.* s. Fulgentii, Ruſpenſ. Ep. & Conf. Chriſti, *anno* 533.
xxviij.	c	iii	3	Octava s. Joannis Evangeliſtæ, *Semidupl. comm.* s. Genovefæ, Virginis, *an.* 512.
xxvij.	d	*Prid.*	4	Octava Ss. Innocentium, *Semidupl. commemor.* s. Titi, Cretenſis Epiſcopi. 1. *ſ.*
xxvj.	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniæ, *ſine jejunio. Simplex.*
25. xxv.	f	vi	6	EPIPHANIA DOMINI, *Duplex primæ Claſ. Solemne-majus.*
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
xx	d	iij	11	
xix	e	*Prid.*	12	
xviij	f	*Idib.*	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini, *Duplex 2. Claſ.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Epiſc. & Eccl. Doc. *Dupl.* 3. *Claſ. c. an.* 368. *comm.* s. Felicis, Presb. Nol. & Confeſſoris Chriſti. *an.* 265.
xvj	A	xvi	15	Pauli, primi Erem. Theb. *Semid. c. an.* 341. *com.* s. Mauri, Glannofol. Abatis, *c. fin.* 6. *ſ.*
xv	b	xvij	16	Marcelli, Papæ & Conf. Chriſti, *an.* 310. *Simp.*
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *an.* 356. *Semiduplex.*
xiij	d	xv	18	Cathedra s. Petri Apoſtoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ ſedit. 1. *ſ. Duplex* 4. *Claſſis.* *Prima Septuageſima.*
xij	e	xiv	19	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam, *c. an.* 460. *Simpl.*
xj	f	xiij	20	Fabiani * & Sebaſtiani, ** Romæ Martyrum, * *an.* 250. ** *c. an.* 288. *Duplex* 2. *Claſ.*
x	g	xij	21	Agnetis, Romæ, V. & M. *c. an.* 304. *Dup.* 4. *Claſ.*
ix	A	xj	22	Vincentii, Diaconi & Mart. Valentiæ in Hiſpania, *an.* 304. *Duplex* 4. *Claſſis.*
viij	b	x	23	Babylæ, Antiochenſis Epiſcopi, & ſociorum ejus Mart. *an.* 251. *Simplex.*
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſ. Ep. & Mart. *c. an.* 97. *Semid.*
vj	d	viij	25	Converſio s. Pauli, Ap. *c. an.* 34. *Dupl.* 3. *Claſſis, com.* s. Præjecti, Ep. Claromont. & M. *an.* 673.
v	e	vij	26	Polycarpi, Ep. Smyrn. & Mart. *c. med.* 2. *ſ. Semidupl. comm.* s. Paulæ, Viduæ Romanæ, *an.* 404.
iv	[illegible]	vj	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſc. Conſtantinop. & Eccl. Doct. *an.* 407. *Dupl.* 4. *Claſſis.*
iij		v	28	Cyrilli, *Ep.* Alex. & Eccl. Doct. *an.* 444. *Semid.*
ij		*iv*	*29*	*Franciſci Saleſii,* Ep. Genev, *an.* 1622. *Semid.*
j		*iij*	*30*	*Bathildis Reginæ Franc.* Vid. *c. an.* 680. *Semiduplex.*
xxx		*Prid.*	*31*	*Petri Nolaſci,* Ordinis B. M. de Mercede Redempt. *Captiv.* Inſtitutor. *an.* 1256. *Simpl.*

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	Paſcha. Annuale.	Aſcenſio Domini Sol. Maj.	Pentecoſtes. Annuale.	Feſtum Cor. Chr. Sol. Maj.	Dom. poſt Pent.	Dom. I. Adventus.
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1749	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit : an. ſignificat anno : c. an. circ. an. circa annum *: ſ.* ſæculo *: quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Feſta quæ majoribus notantur Caracteribus, feriantur apud populum.

Cyclus pactæ.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	# JANUARIUS.
xxx	A	*Cal.*	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *Duplex 1. Claſſis. Solemne minus.*
xxix.	b	iv	2	Octava s. Stephani, *Dupl. 3. Claſ. com. s.* Fulgentii, Ruſpenſ. Ep. & Conf. Chriſti, *anno* 533.
xxviij.	c	iii	3	Octava s. Joannis Evangeliſtæ, *Semidupl. comm.* s. Genovefæ, Virginis, *an.* 512.
xxvij.	d	*Prid*	4	Octava Ss. Innocentium, *Semidupl. commemor.* s. Titi, Cretenſis Epiſcopi. 1. *ſ.*
xxvj.	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniæ, *ſine jejunio. Simplex.*
25. xxv.	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI, *Duplex primæ Claſ. Solemne-majus.*
xxiv	g	vij	7	De Octava. *Semiduplex.*
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	
xx	d	iij	11	
xix	e	*Pri.*	12	
xviij	f	*Idib.*	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini, *Duplex 2. Claſ.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Epiſc. & Eccl. Doc. *Dupl. 3. Claſ. c. an.* 368. *comm.* s. Felicis, Presb. Nol. & Confeſſoris Chriſti. *an.* 265.
xvj	A	xviij	15	Pauli, primi Erem. Theb. *Semid. c. an.* 341. *com.* s. Mauri, Glannofol. Abatis, *c. fin. 6. ſ.*
xv	b	xvij	16	Marcelli, Papæ & Conf. Chriſti, *an.* 310. *Simp.*
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *an.* 356. *Semiduplex.*
xiij	d	xv	18	Cathedra s. Petri Apoſtoli, quâ primùm Antiochiæ, tum Romæ ſedit. 1. *ſ. Duplex 4. Claſſis. Prima Septuageſima.*
xij	e	xiv	19	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam, *c. an.* 460. *Simpl.*
xj	f	xiij	20	Fabiani * & Sebaſtiani, ** Romæ Martyrum, * *an.* 250. ** *c. an.* 288. *Duplex 2. Claſ.*
x	g	xij	21	Agnetis, Romæ, V. & M. *c. an.* 304. *Dup. 4. Claſ.*
ix	A	xj	22	Vincentii, Diaconi & Mart. Valentiæ in Hiſpania, *an.* 304. *Duplex 4. Claſſis.*
viij	b	x	23	Babylæ, Antiochenſis Epiſcopi, & ſociorum ejus Mart. *an.* 251. *Simplex.*
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſ. Ep. & Mart. *c. an.* 97. *Semid.*
vj	d	viij	25	Converſio s. Pauli, Ap. *c. an.* 34. *Dupl. 3. Claſſis, com.* s. Præjecti, Ep. Claromont. & M. *an.* 673.
v	e	vij	26	Polycarpi, Ep. Smyrn. & Mart. *c. med. 2. ſ. Semidupl. comm.* s. Paulæ, Viduæ Romanæ, *an.* 404.
iv	f	vj	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſc. Conſtantinop. & Eccl. Doct. *an.* 407. *Dupl. 4. Claſſis.*
iij		v	28	*Cyrilli*, Ep. Alex. & Eccl. Doct. *an.* 444. *Semid.*
ij		iv	29	*Franciſci Saleſii*, Ep. Genev, *an.* 1622. *Semid.*
j		iij	30	*Bathildis* Reginæ Franc. Vid. *c. an.* 680. *Semiduplex.*
xxx		*Prid.*	31	*Petri Nolaſci*, Ordinis B. M. de Mercede Redempt. Captiv. Inſtitutor. *an.* 1256. *Simplex.*

FEBRUARIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxix	d	*Cal.*	1	Ignatii, Epiſc. Antioch. & Mart. *an.* 107. *Duplex 4. Claſſis.*
xxviij	c	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, *&* PURIFICATIO B. MARIÆ V. *Duplex 1. Claſſis, Solemne majus.*
xxvij	f	iij	3	Blaſii, Epiſcopi Sebaſt. & Mart. *c. an.* 316. *Simpl.* *Prima dies Cinerum.*
25 xxvj	g	*Prid.*	4	Iſidori, Presbyteri & Peluſiotæ Solitarii, *c. an.* 445. *Simpl.*
xxv. xxiv.	A	*Non.*	5	Agathæ Catanenſis, Virginis & Mart. *an.* 251. *Simpl.*
xxiij	b	viij	6	Vedaſti, Atrebatenſis Epiſc. *an.* 539. *Semidupl.* (*Si quandoque hoc Feſtum incidat in Quadrageſimam, de eo fiet commemoratio, ut ſit de Simplici.*)
xxij	c	vij	7	Romualdi, Abbatis, & Camaldul. Monach. Inſtitut. *an.* 1027. *Simpl.*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Presbyteri, & Ordinis Ss. Trinitatis Inſtitut. *an.* 1213. *Simplex.*
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virginis & Martyris, *an.* 249. *Simpl.*
xix	f	iv	10	Scolaſticæ, Virginis Caſſinenſis, *an.* 543. *Simpl.*
xviij	g	iij	11	
xvij	A	*Prid.*	12	
xvj	b	*Idib.*	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hieroſolymit. Epiſc. & Mart. *an.* 107. *Simpl.*
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	Gundelberti, ex Senonenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, *c. ſin.* 7. *ſ. Simpl.* *Ultima Septuageſimæ.* (*Feriâ 4. 6. & Sabbato poſt Dominic. primam Quadrageſimæ, ſunt jejunia quatuor Temporum.*)
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Biſſextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI, *1. ſ. Dup. 2. Claſſis.* (*ſi Feſtum ſancti Matthiæ venerit in Quadrageſima, anticipatur in Feriam ſecundam poſt Dominicam Quinquageſimæ.*)
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	*Prid.*	28	

(*In Anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum ſancti Matthiæ celebratur 25. Februarii (niſi ſit tempus Quadrageſimæ) &, bis dicitur, ſexto* Calendas, *id eſt*, 24. *&* 25. *Littera autem Dominicalis quæ aſſumpta fuerat menſe Januario, mutatur in præcedentem.*)

MARTIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxx	d	*Cal.*	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
* xvij	g	iv	4	Caſimiri è Polonia, Laici, *an.* 1484. *Simpl.*
xxvj	*A*	iij	5	
25. xxv.	b	*Prid.*	6	
xxiv	c	*Non.*	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum c. *an.* 204. *Simpl.* (*de s. Thoma Aquinate fit die* 18. *Julii, quæ Canonizationis ejus dies eſt.*)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paſchale.*
xxij	e	vij	9	Franciſcæ, Viduæ Romanæ, *an.* 1440. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebaſt. *an.* 320. *Simplex*
				Ultima dies Cinerum.
xx	g	v	11	
xix	*A*	iv	12	(*de ſancto Gregorio Papa & Eccl. Doct. fit die* 1. *Septembris.*)
xviij	b	iij	13	
xvij	c	*Prid.*	14	
xvj	d	*Idib.*	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	*Commemoratio* s. Patricii, Hibernorum Apoſtoli, *an.* 460.
xiij	g	xv	18	
xij	*A*	xiv	19	JOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex primæ Claſſis. Solemne minus.*
xj	b	xiij	20	(*De s. Joachim fit die* 26. *Julii.*)
x	c	xij	21	(*de s. Benedicto fit die* 11. *Julii, quæ Tranſlationis ejus dies eſt.*)
ix	d	xj	22	*Primum Paſcha.*
viij	e	x	23	(*De s. Gabriele fit die* 29. *Septembris, in Feſto Ss. Archangelorum.*)
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. V. & INCARNATIO DOMINI, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne majus.*
v	*A*	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
xxx	f	*Prid.*	31	

(*Feria ſexta poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis,* Duplex 3. Claſſis.)

APRILIS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxix		Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	Franciſci de Paula, Ordinis Minimorum Inſtitut. *an.* 1507. *Simpl.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Iſidori, Hiſpalenſis Epiſc. *an.* 636. *Simplex.* (*de Sancto Ambroſio fit die* 7. *Decembris, quæ Ordinationis ejus dies eſt.*)
xxv. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paſchale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	(*de S. Leone I. Papa fit die* 30. *Octobris.*)
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Juſtini, Romæ Mart. 167. *Simpl. comm. S.* Hermenegildi, in Hiſpania Mart. *an.* 585.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti, Papæ, *c. an.* 168. *Simpl.*
xj	c	xiv	18	Apollonii, Senatoris Romani, Mart. *c. an.* 186. *Simplex.*
x	d	xiij	19	Leonis IX. Epiſc. Tullenſis & Papæ, *an.* 1054. *Duplex* 3. *Claſſis.*
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anſelmi, Cantuarienſis Epiſcopi, *an.* 1109. *Simplex.*
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Gerardi, Epiſcopi Tullenſis, *an.* 994. *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
v	b	viij	24	Georgii, Martyris in Oriente, 3. *vel* 4. *ſaculi, Simpl.*
iv	c	vij	25	MARCI, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſſis.*
				Ultimum Paſcha.
iij		vj	26	Cleti, Papæ & Mart. *c. an.* 91. *Simpl.*
ij		v	27	
j		iv	28	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, *circa annum* 421. *Semiduplex.*
xxx		iij	29	Petri, Ordinis Dominicanorum, Mart. *an.* 1252. *Simplex.*
xxix		Prid.	30	Catharinæ Senenſis, Virginis, *an.* 1380. *Simpl.*

(*Feriâ ſextâ poſt Dominicam ab Albis depoſitis, fit Feſtum ſancti Clavi, Duplex primæ Claſſis. Solemne majus.*)

MAIUS.

Cyclus Epactæ.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	
xxviij	b	*Cal.*	1	JACOBI (*Alphæi*) *&* PHILIPPI, APOSTOLI, *1. ſ. Dupl. 3. Claſ. comm.* s. Valburgis, Virg.
xxvij	c	vj	2	Athanaſii, Alexandr. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 373. *Duplex 4. Claſſis.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS, *an.* 326. *Duplex 3. Claſ. comm.* Ss. Alexandri, Papæ, Eventii, *&* Theoduli, Romæ Mart. c. *an.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Tagaſtenſis Viduæ, *an.* 387. *Simplex.*
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	*Prid.*	6	Joannis, Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam, *an.* 95. *Semiduplex.*
xxij	*A*	*Non.*	7	Domicillæ, Romanæ Virginis & Mart. *an.* 99. *Simplex, comm.* s. Gibriani, Solitarii.
xxj	b	viij	8	Stanislai, Cracov. Epiſc. & M. *an.* 1079. *Simpl.*
xx	c	vij	9	Translatio s. Nicolai, Myrenſis Epiſcopi, *an.* 1087. *Simpl.*
				Prima Pentecoſte.
xix	d	vj	10	Gregorii Nazianzeni, Epiſc. Conſtantinop. & Eccl. Doct. *an.* 391. *Dupl. 3. Claſ. comm.* Ss. Epimachi, & Sociorum Mart. *an.* 250.
xviij	e	v	11	Gengulphi, in Burgundia Mart. c. *an.* 760. *Dupl. 3. Claſ.*
xvij	f	iv	12	Epiphanii, Salaminæ Epiſc. *an.* 403. *Semiduplex. comm.* Ss. * Nerei, Achillei, & ** Pancratii Mart. * *c. init. 2. ſ.* ** *c. an.* 304.
xvj	g	iij	13	Mammerti, Viennenſis Epiſc. *c. an.* 475. *Simpl.*
xv	*A*	*Prid.*	14	Pachomii, Tabennæ in Thebaïde Abbatis, c. *an.* 348. *Simpl.*
xiv	b	*Idib.*	15	
xiij	c	xvij	16	Quadraginta Monachorum ex Laura s. Sabæ, Mart. *an.* 614. *Simpl.*
xij	d	xvj	17	(*Feriâ 4. 6. & Sabbato poſt Pentecoſten, ſiunt jejunia quatuor Temporum.*)
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Cœleſtini, Papæ, Inſtit. Congreg. Cœleſt. *an.* 1296. *Simpl. comm.* s. Yvonis, Trecenſis Presbyteri. *an.* 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	*A*	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	Vincentii Lirinenſis, Presbyteri & Monachi, *an.* 448. *Simpl.*
iv	e	viij	25	Donatiani & Rogatiani, in Aremorica Mart. *an.* 287. *Simpl. comm.* s. Urbani, Papæ, c. *an.* 223.
iij	f	vij	26	Philippi Nerei, Presbyteri, *an.* 1595. *Simplex.*
ij	g	vj	27	Joannis, Papæ & Mart. *an.* 526. *Simplex.*
j	*A*	v	28	Germani, Pariſienſis Epiſc. *an.* 576. *Simplex.*
xxx	b	iv	29	Maximini, Trevirenſis Epiſcopi. c. *an.* 349. *Simp.*
xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ & Mart. c. *an.* 274. *Simpl.*
xxviij	d	*Prid.*	31	

(*Dominicâ 1. poſt Pentecoſten fit Officium de ſanctiſſima Trinitate, Dupl. 1. Claſ. Solemne minus.*)

JUNIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxvij	e	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunenſis Epiſcopi, & Sociorum Martyrum, *an.* 177. *Semid. comm.* Ss. Marcellini, Presbyt. & Petri Exorciſtæ, Romæ Mart. *an.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Francorum Reginæ, Viduæ, *c. an.* 540. *Semid.*
xxiij	A	*Prid.*	4	
xxii	b	*Non.*	5	Bonifacii, Moguntini Ep. & Mart. *an.* 755. *Simpl.*
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgenſis Epiſcopi, Ordinis Præmonſt. Inſtit. *an.* 1134. *Duplex* 4. *Claſ. com.* s. Claudii, Veſuntini Epiſcopi, *an.* 581.
xx	d	vii	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomenſis Epiſc. *c. an.* 545. *Semidup.*
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſtoli, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xv	b	*Prid.*	12	
xiv	c	*Id.*	13	Antonii de Padua, Ordinis Minorum, *an.* 1231. *Simplex.* *Ultima Pentecoſte.*
xiij	d	xviij	14	Translatio s. Manſueti, Tullenſis Apoſt. *&* primi Epiſcopi. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xij	e	xvij	15	Baſilii Magni, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 379. *Duplex* 4. *Claſ.*
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Deodati, ex Nivernenſi Epiſcopo, Monachi Tul. *c. an.* 715. *Dupl.* 2. *Claſ. in Eccleſia Cathedr. alibi Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Ss. Gervaſii & Protaſii, Mediolan. Mart. 1. *vel* 2. *ſ.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Euſebii, Ep. Samoſatenſis & Mart. *an.* 389. *Simp.*
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſc. *an.* 431. *Simpl.*
iv	f	ix	23	Jacob, Epiſcopi Tullenſis, *c. an.* 770. *Semiduplex. comm.* Vigiliæ, *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
ij	A	vij	25	De Octava Nativitatis s. Joannis. *Simpl.*
j	b	vj	26	De Octava . . . *comm.* Ss. Joannis & Pauli, Romæ Mart. *c. an.* 362.
xxx	c	v	27	De Octava . . . *Simplex.*
xxix	d	iv	28	Irenæi, Lugdunenſis Epiſcopi, & ſociorum ejus Mart. *c. an.* 202. *Semidupl. comm.* Octavæ s. Joannis, & Vigiliæ, *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM, 1. *ſ. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xxvij	f	Pri.	30	Commemoratio s. Pauli, Apoſtoli. *Dupl.* 3. *Cl. comm.* s. Petri & Octavæ s. Joannis Baptiſtæ.

(*Feriâ* 5. *poſt Feſtum Ss. Trinitatis, celebratur Feſtum Corporis Chriſti. Dupl.* 1. *Claſ. Sol. majus.*)

JULIUS.

Cyclus Epacta.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativitatis s. Joannis Baptiſtæ. *Semidupl. comm.* Octav. Ss. Apoſtolorum, & s. Theobaldi, Pruvinenſis Solitarii. *an.* 1066.
25. xxv	A	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis. *Duplex 2. Claſ. comm.* Oct. Ss. Apoſt.
xxiv	b	v	3	De Octava Ss. Apoſtolorum. *Simpl.*
xxiij	c	iv	4	Ordinatio * & Translatio ** s. Martini, Turon. Epiſc.* *an.* 372. ** 473. *Semidupl. commemoratio* Octavæ Ss. Apoſtolorum.
xxij	d	iij	5	De Octava Ss. Apoſtolorum. *Simpl.*
xxj	e	*Prid.*	6	Octava Ss. Apoſtol. Petri & Pauli. *Semiduplex.*
xx	f	*Non.*	7	Beati Petri Forerii, Tullenſis Presbyteri, Congreg. Canonic. Regul. Reform. *an.* 1640. *Semid.*
xix	g	viij	8	Auſpicii, Epiſc. Tullenſis, *an.* 490. *Semidupl.*
xviij	A	vij	9	Ephræm, Diaconi Edeſſeni & Monachi, c. *an.* 381. *Simpl.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & s. Felicitatis eorum matris, Mart. c. *an.* 150. *Simplex.*
xvj	c	v	11	Benedicti, Caſſinenſis Abbatis, *an.* 543. *Dupl.* 4. *Claſ. Translatio ejus hac die, c. an.* 653. *comm.* s. Hidulphi, ex Trevirenſ. Epiſcop. Monachi Tullenſis, c. *an.* 736.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	*Prid.*	14	Bonaventuræ, Albanenſ. Epiſc. & Eccleſiæ Doct. *an.* 1274. *Semiduplex, commemorat* s. Henrici, Imperatoris, *an.* 1024.
xij	g	*Idib.*	15	Aproniæ, Trecenſis Virg. 5. *ſ. in Eccleſia Cathedr. Dupl.* 2. *Claſ. alibi Duplex* 4. *Claſ.*
xj	A	xvij	16	Diſperſio Apoſtolorum, 1. *ſ. Semidupl.*
x	b	xvj	17	Arnulphi, ex Metenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, c. *an.* 640. *Simplex.*
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Ordinis Prædicat. & Eccl. Doct. 1274. *Dupl. 4. Cl. Canonizatio ejus hac die, an.* 1323.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo Presbyteri, & Congreg. Miſſ. Inſtitut. *an.* 1660. *Semidupl.*
vij	e	xiij	20	Arſenii, Romani Diaconi ſcetis Solitarii, *an.* 445. *Simpl. comm.* s. Margaretæ, Virg. & Mart.
vj	f	xij	21	Victoris, Maſſil. & Soc. Mart. c. *an.* 290. *Simpl.*
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſſis.*
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravennenſis Epiſc. & Mart 1. *vel* 2. *ſæcul. Simpl.*
iij	b	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
ij	c	viij	25	JACOBI (*Zebedæi*) APOSTOLI, an. 44. *Duplex* 3. *Claſ. comm.* s. Chriſtophori, Mart. in Lycia. 3. s. & Glodeſindis, Virg. *c. an.* 778.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ Parentum B. M. V. *Dupl.* 2. *Claſ.*
*	e	vj	27	Marini, Militis Cæſareæ in Paleſtina Mart. c. *an.* 262. *Simpl. commem* s. Pantaleonis, Nicomediæ Mart. c. *an.* 305.
xxix	f	v	28	Mariæ Bethanitidis, Marthæ, ſororis ejus, & Lazari fratris earum, 1. *ſ. Semidup. commemor.* Ss. Nazarii & Celſi, Mediolan. Mart. 1. ſæculi.
xxviij	g	iv	29	*Lupi, Trecenſis* Epiſc. *c. an.* 478. Semiduplex.
xxvij	A	iij	30	*Germani*, Autiſſiodor. Epiſc. *an.* 448. Semidupl.
25. xxvj	b	*Prid.*	31	Ignatii Loyolæ, Presbyteri, & Societatis Jeſu Inſtitut. *an.* 1556. *Dupl.* 4. *Claſ.*

AUGUSTUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxv. xxiv	c	*Cal.*	1	Petri ad vincula, *an.* 44. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Septem fratrum Machabæorum, Mart. *c. ann* 167. *ante Chriſtum natum.*
xxiij	d	iv	2	Steph-ni, Papæ & Mart. *an.* [illegible]. *Simpl.*
xxij	e	iij	3	REVELATIO, *ſeu* INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMART. *an.* 415. *Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici, Presb. Ordinis Prædic. Inſtit. *an.* 1221. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Octavæ s. Stephani.
xx	g	*Non.*	5	De Octava s. Stephani . . . *Semidupl.*
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *an.* 32. *Dupl.* 2. *Claſſ. comm.* Octavæ s. Stephani, & Xiſti, Papæ & Mart. *an.* 258.
xviij	b	vij	7	De Octava S. Stephani . . . *Semidupl.*
xvij	c	vj	8	De Octava. *Semidupl.*
xvj	d	v	9	De Octava, *comm.* Vigiliæ (*cum jejunio*) & s. Romani, Romæ Mart. *an.* 258.
xv	e	iv	10	LAURENTII, ROMANI DIACONI ET MART. *an.* 258. *Dup.* 3. *Claſ. comm.* Octav. s. Stephani.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ Aſſiſii in Umbria, Virginis *an.* 1253. *Simpl.*
xij	A	*Idib.*	13	Hyppolyti, Romani Presbyteri & Mart. *an.* 252. *Simpl. comm.* s. Radegundis, Reginæ Francorum, Viduæ, *an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia . . . *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, 1. *ſæc. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
ix	d	xvij	16	Rochi, Laici apud Montem Peſſulanum, *an.* 1327. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ B. M. V.
viij	e	xvj	17	De Octava Aſſumpt. B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Mamantis, Cæſareæ in Cappad. M. c. *an.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
vj	g	xiv	19	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Clarevallenſis Abbatis, & Eccl. Doct. *an.* 1153. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ Aſſumpt. & s. Stephani, Hungariæ Regis, *an.* 1038.
iv	b	xij	21	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumpt. B. M. V. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* s. Symphoriani, Auguſtoduni Mart. *c. an.* 179.
ij	d	x	23	Vigilia . . . *cum jejunio.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, APOSTOLI, 1. *ſæc. Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Audoeni, Ep. Rotomag. 683.
xxx	f	viij	25	LUDOVICI, REGIS FRANCIÆ, *an.* 1270. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* duorum Ss. Geneſiorum, Mart. unius Romani, c. *an.* 285. alterius Arelatenſis, c. *an.* 308.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæſarii, Epiſc. Arelatenſ. & Eccl. Doct. *an.* 542. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hippon. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 430. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Juliani, Brivatenſis Mart. Rom. 2. *ſ.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio s. Joannis-Baptiſtæ, *an.* 32. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Sabinæ, Viduæ, Mart. Rom. 2. *ſ.*
25. xxv.	d	iij	30	Fiacrii, Brigenſis Solitarii, *an.* 670. *Simpl.*
xxiv	e	*Prid.*	31	Gauzelini, Epiſ. Tullenſis, ſæ. *an.* 962. Dupl. 4. *Claſ. comm.* s. Paulini, Trevirenſis Epiſ. *an.* 358.

NOVEMBER.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Dupl. prima Claſſis. Solemne majus*, inſtitut. *c. an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duplex prima Claſſis. Solemne minus*: inſtitut. *an.* 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl. commemoratio* s. Huberti, Epiſc. Leodienſ. *an.* 727.
xviij	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediolan. Epiſc. *an.* 1584. *Duplex* 4. *Claſſis. commem.* Octavæ omnium SS. & s. Amantii, Ruthen. Epiſc. 5. *ſ.*
xvij	A	Non.	5	De Octava Omnium SS... *Semidupl.*
xvj	b	viij	6	De Octava... *comm.* S. Leonardi, Lemovicenſ. Solitarii, *c. an.* 559.
xv	c	vij	7	De Octava... *Semidupl.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl.* 3. *Claſ.* inſtitut. *an.* 1194.
xiij	e	v	9	Omnium SS. Epiſcoporum Tullenſium, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xij	f	iv	10	Tryphonis & Reſpicii, in Bithynia Martyrum, *c. an.* 250. *Simpl.*
xj	g	iij	11	MARTINI, Turon. Epiſc. *an.* 397. *Dupl.* 2. *Claſ.*
x	A	Prid.	12	Martini, Papæ & Mart. *an.* 655. *Simpl. commem.* s. Renati, Andegav. Epiſc. 5. *ſ.*
ix	b	Idib.	13	Briccii, Turon. Epiſc. *an.* 444. *Simpl.*
viij	c	xviij	14	Theodori, Militis Amaſeæ in Ponto Mart. *an.* 306. *Simpl.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæſar. Ep. *c. an.* 270. *Semid. com.* s. Aniani, Aurelian. Ep. *c. an.* 453.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth, in Thoring. Viduæ, *an.* 1231. *Simpl.*
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ V. *Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Columbani, Luxov. Abbatis, *an.* 615.
xxx	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. 2. *vel* 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *an.* 100. *Semiduplex. commem.* s. Clementis, Metenſis Epiſcopi.
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Romæ Mart. *an.* 304 *Simpl.*
xxvij	g	vij	25	Dionyſii, Alex. Ep. & Conf. Chriſti, *c. an.* 264. *Semid. comm.* s. Catharinæ, Virg. & Martyris.
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandr. Epiſc. & Mart. *an.* 311. *Simpl. comm.* s. Baſoli in Campania Eremitæ. *an.* 260.
xxv. xxiv.	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *an.* 304. *Simpl.*
				Prima ſedes Adventus.
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia..... *cum jejunio* : *comm.* S. Saturnini, Toloſ. Epiſc. & Mart. 3. *ſ.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 2. *Claſſis.*

Per Adventum non fit de Vigiliis : de Simplicibus fit tantùm commemoratio : quando Officium fit de Duplici vel Semiduplici, ſemper fit commemoratio de Adventu.)

OCTOBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxij	A	*Cal.*	1	Remigii, Remenſis Epiſc. *an.* 533. *Dupl.* 4. *Claſ.* *Tranſl. ejus hac die, ante an.* 585. *& an.* 852.
xxj	b	vj	2	Leodegarii, Auguſtodun. Epiſc. & Mart. *an.* 678. *Simpl.*
xx	c	v	3	Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis Tullenſis, 10. *ſ.* *In Cathed. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne-majus : alibi Dupl.* 3. *Claſ.*
xix	d	iv	4	Franciſci Aſſiſinatis in Umbria, Ordinis Min. Inſtitut. *an.* 1226. *Dupl.* 4. *Claſ. in Cathed. comm.* Octavæ Dedicationis.
xviij	e	iij	5	Dionyſii Areopagitæ, primi Athenarum Epiſc. & Mart. *c. an.* 95. *Simpl. In Cathed. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semid. comm.* S. Dionyſii.
xvij	f	*Prid.*	6	Brunonis, Monachi, Ordinis Carthuſian. Inſtitut. *an.* 1101. *Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* de Octava Dedicat.
xvj	g	*Non.*	7	Sergii & Bacchi, in Euphrateſia Mart. *c. an.* 308. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. commem.* Ss. Sergii & Bacchi.
xv	A	viij	8	Libariæ, Virginis Tullenſis & Mart. *c. an.* 362. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. comm.* s. Libariæ.
xiv	b	vij	9	Dionyſii, primi Pariſiorum Epiſc. & Sociorum Mart. 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* Octav. Dedicat.
xiij	c	vj	10	Tarachi, Probi, Andronici, in Cilicia Mart. *c. an.* 304. *Simpl. In Cat.* Officium Octavæ Dedic. *Dupl.* 4. *Cl. comm.* Ss. Tarachi, &c.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	Angelorum Cuſtodum. *Dupl.* 3. *Claſ.*
x	f	iij	13	
ix	g	*Prid.*	14	Fauſti, Januarii & Martialis, Cordubæ Mart. *Sim. comm.* s. Calliſti, Papæ & Mart. *an.* 233.
viij	A	*Idib.*	15	Thereſiæ Abulenſ. Virginis, Inſtauratricis Ord. Carmelit. *an.* 1582. *Semidupl.*
vij	b	xvij	16	Eliphii, Tullenſis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Cl.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	Eucharii, Tullenſis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
ij	g	xij	21	Tranſlatio s. Gerardi, Tullenſis Epiſc. 10. *ſ. Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Hilarionis Abbatis in Palæſtina, *an.* 371.
	A	xj	22	Urſulæ & ſociarum Virg. & Mart. *an.* 450. *Dupl.* 3. *Claſſis.*
xxx	b	x	23	Amon's, Tullenſis Epiſc. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xxix	c	ix	24	Romani, Rot. mag. Epiſc. *an.* 646. *Simpl. commemor.* s. Florentini, Laici Juſti.
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, Sueſſion. Mart. *an.* 288. *Simpl.*
xxvij	e	vij	26	Amandi, Trajectenſis Epiſc. *an.* 675. *Simpl. comm.* Tranſlationis s. Vedaſti, Epiſc.
xxvj	f	vj	27	Vigilia, *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apoſt. 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xxiv	A	iv	29	Maximi, Presbyteri & Monachi, 4. *ſ. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	Leonis Magni, Papæ, & Eccl. Doct. *an.* 461. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxij	c	*Prid.*	31	Vigilia, *cum jejunio*; *comm.* s. Quintini, Ambian. Mart. *an.* 287.

NOVEMBER.

Cyclus Epactar.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	
xxj	d	*Cal.*	1	OMNIUM SANCTORUM, *Dupl. prima Claſſis. Solemne majus*, inſtitut. c. *an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duple prima Claſſis. Solemne minus*: inſtitut. *an.* 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl. commemoratio* s. Huberti, Epiſc. Leodienſ. *an.* 727.
xviij	g	*Prid.*	4	Caroli Borromæi, Mediolan. Epiſc. *an.* 1584. *Duplex* 4. *Claſſis. commem.* Octavæ omnium SS. & s. Amantii, Ruthen. Epiſc. 5. *ſ.*
xvij	*A*	*Non.*	5	De Octava Omnium SS... *Semidupl.*
xvj	b	viij	6	De Octava... *comm.* S. Leonardi, Lemovicenſ. Solitarii, c. *an.* 559.
xv	c	vij	7	De Octava... *Semidupl.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl.* 3. *Claſ.* inſtitut. *an.* 1194.
xiij	e	v	9	Omnium SS. Epiſcoporum Tullenſium, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xij	f	iv	10	Tryphonis & Reſpicii, in Bithynia Martyrum, c. *an.* 250. *Simpl.*
xj	g	iij	11	MARTINI, Turon. Epiſc. *an.* 397. *Dupl.* 2. *Claſ.*
x	*A*	*Prid.*	12	Martini, Papæ & Mart. *an.* 655. *Simpl. commem.* s. Renati, Andegav. Epiſc. 5. *ſ.*
ix	b	*Idib.*	13	Briccii, Turon. Epiſc. *an.* 444. *Simpl.*
viij	c	xviij	14	Theodori, Militis Amaſeæ in Ponto Mart. *an.* 306. *Simpl.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæſar. Ep. *c. an.* 270. *Semid. com.* s. Aniani, Aurelian. Ep. *c. an.* 453.
iv	g	xiv	18	
iij	*A*	xiij	19	Elizabeth, in Thoring. Viduæ, *an.* 1231. *Simpl.*
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ V. *Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Columbani, Luxov. Abbatis, *an.* 615.
*				
xxix	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. 2. *vel* 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ.*
xxviij	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *an.* 100. *Semiduplex. commem.* s. Clementis, Metenſis Epiſcopi.
xxvij	f	viij	24	Chryſogoni, Romæ Mart. *an.* 304 *Simpl.*
xxvj	g	vij	25	Dionyſii, Alex. Ep. & Conf. Chriſti, c. *an.* 264. *Semid. comm.* s. Catharinæ, Virg. & Martyris.
25. xxv	*A*	vj	26	Petri, Alexandr. Epiſc. & Mart. *an.* 311. *Simpl. comm.* s. Baſoli in Campania Eremitæ. *an.* 260.
xxv. xxiv.	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *an.* 304. *Simpl.* *Prima ſedes Adventus.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia..... *cum jejunio* : *comm.* S. Saturnini, Toloſ. Epiſc. & Mart. 3. *ſ.*
xxj	e	*Prid.*	30	ANDREÆ, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 2. *Claſſis.*

(Per Adventum non fit de Vigiliis : de Simplicibus fit tantùm commemoratio : quando Officium fit de Duplici vel Semiduplici, ſemper fit commemoratio de Adventu.)

TABULA.

DOMIN. PRIVIL. II. CLASSIS, quæ non admittunt niſi Solemnia Majora, & ſuprà.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventûs.

Secunda, Tertia, Quarta } Quadrageſimæ.

Dominica } Septuageſimæ. Sexageſimæ. Quinquageſimæ.

DOMINICÆ III. CLASSIS, in quibus non fit niſi de Duplicibus 2. Claſſis & ſuprà, & de Dupl. 3. Claſſis quæ ſunt Feſta Domini, aut feriantur à populo ex toto, vel ex parte.

Reliquæ Dominicæ per annum.

OCTAVÆ PRIVIL. I. ORDINIS, quæ nullum feſtum admittunt.

Paſchæ.
Pentecoſtes.
Octava Natalis *Domini ritum habet peculiarem qui notatur in Proprio.*

OCTAV. I. ORDIN. NON PRIVIL. quæ admittunt tantùm Duplicia 2. Claſſis & ſuprà, & in quibus non fit Commemoratio de Simplici.

Octava Patroni primarii.
Octava Dedicationis Eccleſiæ, *in ipſa ſolemnitate Conſecrationis.*
Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 3. Claſſis.

OCTAVÆ SECUNDI ORDINIS, quæ admittunt Duplicia 4. Claſſis non tranſlata; & Duplicia 3. Claſſis & ſuprà etiam tranſlata, & in quibus fit Commemoratio de Simplici.

Octavæ omnium Solemnium Major.
Ab hac regula excipe Octavam ſolemnitatis SS. Euchariſtiæ; in qua propter Celebritatem non fit Officium, niſi de Duplici I. Claſſis, nec Commemoratio de Simplici.

Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 4. Claſſis, *niſi habeat adjunctum Feſtum aliquod per quod ad ſuperiorem gradum elevetur; ut v. g. Octava Epiphaniæ, &c.*

OCTAVÆ TERTII ORDINIS, in quibus fit Officium integrum de Semiduplici non tranſlato, & de Duplici 4. Claſ. & ſup. etiam tranſlato.

Octavæ Solemnium Minorum.
Dies Octava eſt Semiduplex.

FERIÆ MAJORES PRIVILEG. quæ numquam omittuntur.

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria quarta Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecoſtes.
Hæ Feriæ nulli cedunt Officio.

FERIÆ MAJORES, de quibus fit ſemper Commemoratio, quando de iis non fit Officium.

Feriæ { Adventûs. Quadrageſimæ. Quatuor Temporum. Rogationum.

Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis.
Vigiliæ omnes.
Hæ Feriæ non cedunt, niſi Officio Semiduplici & ſuprà.
Excipiuntur Feriæ Quadrageſimæ, in quibus non fit Officium de ullo Feſto, niſi de S. Joſeph, de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, & de ejus Compaſſione.

FERIÆ MINORES, de quibus non fit Commemoratio quando omittuntur.

Feriæ totiùs anni.
Hæ Feriæ admittunt quodcumque Feſtum etiam Simplex.

PSALTERIUM DISPOSITUM PER HEBDOMADAM,

Cum Ordinario Officii de Tempore.

DOMINICA

Dies eſt Domino ſacra Reſurrectione Chriſti, & Spiritûs ſancti effuſione.

OFFICII FINIS.

Deus cultu publico colendus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò:

PATER noſter qui es in cœlis, ſanctificétur nomẽ tuũ: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris: & ne nos indúcas in tentatiónem; ſed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6. *à.* 9. *a.* 14

AVE, *María, grátiâ plena, Dóminus tecum;* Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jeſus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen. *Luc.* 1. 28. 42.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ: Et in Jeſũ Chriſtum Fílium ejus únicũ, Dóminũ noſtrum: qui concéptus eſt de Spíritu ſancto, natus ex María Vírgine: paſſus ſub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus & ſepúltus, deſcéndit ad ínferos: tértiâ

die reſurréxit à mórtuis : aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxterã Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remiſſiónem peccatórũ, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur :

DOmine, lábia mea apéries ; ℟. Et os meũ annuntiábit laudem tuam. *Pſ.* 50. *v.* 17.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtina. *Pſ* 69. *v* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto : Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Tempore Paſchali loco, Laus tibi &c. *dicitur* ; Allelúia.

Invitatorium, Antiphonæ, & Verſus dicuntur ut in Proprio.

PSALMUS 94.

Deus, Dominus eſt noſter, adoratione & obſequio colendus.

VEníte, exultémus Dómino ; jubilémus Deo ſalutári noſtro : præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit.

Quóniam ipſíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, & procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino qui fecit nos ; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter: nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne ſecúndum diem tentatiónis in deſerto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt opera mea.

Quadragínta annis próximus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde ; ipſi veró non cognoverunt vias meas, quibus jurávì in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto : ſicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

PSALMUS I.

Beatitudo juſtorum : malorum calamitas.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit :

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * & in lege ejus

meditábitur die ac noćte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum eſt ſecus decurſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo;

Et fólium ejus non défluet;* & ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic;* ſed tamquam pulvis quem projicit ventus a fácie terræ.

Ideò non reſúrgent ímpii in judício, * neqûe peccatóres in concilio juſtórum ;

Quóniam novit Dóminus viam juſtorum, * & iter impiórum peribit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Sic Glória Patri *cum* ſicut erat *dicitur in fine uniuſ cujuſque Pſalmi, niſi aliter notetur.*

PSALMUS 2.

Chriſti reſurrectio, & imperium.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hodie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplinã, * nequando iraſcátur Dóminus, & pereatis de via juſta.

Cùm exarſerit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 3.

Salus in ſe ſperantium Dominus.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi inſúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ:* Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum; * & exurréxi, quia

Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me : * exúrge, Dómine ; ſalvum me fac, Deus meus ;

Quóniam tu percuſsíſti omnes adversántes mihi ſine cauſa ; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus ; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, &c.

Poſt Verſiculum cujuſlibet Nocturni, dicitur ſecretò:

Pater noſter, &c. *& altâ voce*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde Abſolutiones, & Benedictiones, ut habentur poſt Pſalterium. Tres Lectiones cum ℟. ℟. ℟. *ut habentur in Proprio de Tempore.*

IN II. NOCTURNO.

PSALMUS. 19.

Ut Chriſti preces, & ſacrificium ſuis applicentur, rogat Eccleſia.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis ; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui, * & holocáuſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo : * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocabimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt : * nos autem ſurréximus, & erécti ſumus.

Dómine, ſalvum fac Regē; * & exaúdi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 20.

Chriſti, poſt ſuum de inimicis triumphum, gratiarum actio.

DOmine, in virtúte tua lætábitur Rex ; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum ;

Quóniam prævenìſti eum in benedictiónibus dulcédinis : * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretioſo.

Vitam pétiit à te, * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſæculum ſæculi : * lætificábis eum in gaúdio cum vultu tuo :

Quóniam Rex ſperat in Dómino; * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanũ ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum a filiis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre;

Quóniam pones eos dorſum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & pſallemus virtútes tuas.

PSALMUS. 28

Ad adorationem & ſacrificium vocantur filii Dei.

AFférte Dño, filii Dei, * afferte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte; * vox Dómini in magnificéntia.

*Vox Dómini confringéntis cedros; * & confringet* Dóminus cedros Líbani;

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & dilectus quemádmodũ filius unicórnium.

Vox Dñi intercidéntis flammam ignis: * vox Dñi concutiéntis deſértum; & cõmovébit Dñus deſértũ Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

Abſolutio, Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut habentur in Proprio de Tempore.

IN III. NOCTURNO.

PSALMUS 29.

Poſt ſuos in paſſione labores, & ſuam in reſurrectione victoriam, gratias agit Chriſtus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me; * nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Pſállite Dómino, ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorabitur fletus, * & ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movebor in æternum.

Dñe, in voluntáte tua * præſtitiſti decori meo virtútem.

Avertíſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo,* & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt mei; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctum meũ in gáudium mihi, * conſcidíſti ſaccum meum, & circumdedíſti me lætítiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

PSALMUS 75.

Exultandum in ſignum Chriſti nomen, per quem ſalus Eccleſiæ facta eſt.

NOtus in Judæa Deus;* in Iſrael magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

... frégit poténtias ár... cutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti ſunt omnes inſipientes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuũ,* & nihil invenerunt omnes viri divitiárum in manibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitaverunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecíſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ:

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi,* & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro,* omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum,* terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 80.

Feſta piè celebranda, hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri noſtro,* jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael

eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te; * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimici Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Abſolut o & Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio de Tempore.

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, (niſi aliter notetur in Proprio.)

TE Deum laudámus; * te Dóminũ confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, & univérſæ poteſtátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, Dñs Deus Sábaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te glorióſus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia

Patrẽ * imménſæ majeſtátis:

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte:

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei ſedes, * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo, quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemiſti.

Ætérnâ fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuũ, Dómine, * & benedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſíngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuũ in ſæculum, * & in ſæculum ſæculi.

Dignáre, Domine, * die iſto ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrî, Dómine, * miſerére noſtrî.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnũ.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. Sacerdotalis dicitur ut in Proprio.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvandum me feſtína. *Ps. 69 v. 2.*

Glória Patri, & Filio, & Spíritui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ gloriæ. *vel*, Allelúia, *ut ſupra notatum eſt.*

Antiphonæ, Capit. ℟. br. & Verſus dicuntur ut in Proprio, hic & in aliis Horis.

P S A L M U S 92.

Quàm mirabilis Christus in regno ſuo, & ſua lege.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam:

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérũ. Glória Patri, &c.

P S A L M U S 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dño in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, atria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudate nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dominus, * in ætérnum miſericordia ejus, & uſque in generationem & generatiónem véritas ejus.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primâ deſiderat juſtus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multipliciter tibi caro mea!

In terra deſérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuã, & glóriam tuã.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudabunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levabo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultationis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuiſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæſit ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam; * introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

*BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino; * laudáte* & ſuper exaltáte eum in ſæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino; * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino, * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminũ; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes beſtiæ & pécora, Dómino: * bene-

dícite, fìlii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Hìc non dicitur Glória Patri.

PSALMUS. 150.

Deus omni muſicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrũ, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus, * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto;

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſe-

dent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri, &c,

Ant. & Oratio, ut in Proprio.

Deinde dicitur : ℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Fit commemoratio de Simplici, ſi occurrat.

In fine cujuſque Officii, ſi aliud non ſequatur, additur ſubmiſſâ voce : ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace.

℟. Amen

AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave.

℣. Deus, in adjutórium. *ut ſupra ad Laudes.*

HYMNUS.

Umbras fugávit æthere
Sol ortus; & ſolémnia
Sacræ diéi præcipit
Feſtis obíre cántibus.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore ſimplex véritas,
In corde regnet cháritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Chriſte! ne, qui círcuit,
Illúdat hoſtis ſénſibus,
Cuſtos tuére pérvigil.

Supérba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Pugnáre da, da víncere,
Teſtis, Deus, certáminis.

Deo Patri ſit glória
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, *& per omne ſæculũ. Amen.*

PSALMUS 117.

Gratias agit Eccleſia quòd ſalútem per Chriſtum ſit conſecúta.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſrael quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aárõ, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciã inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcepit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórū.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtígans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, juſti intrábunt in eā.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus eſt in caput ánguli.

A Dómino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac, ô Dómine benè proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

*Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.*

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 118.

Mandatorum Dei laus

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine; * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíſcar ſermónes tuos.

Glória Patri, &c.

I. *Divisio Pſalmi* 118.

RETríbue ſervo tuo, vivífica me; * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos; * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis;

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consíliũ meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum inſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miſerére mei.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dñe; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum.

Glória Patri, &c.

Quando fit Officium de Dominicâ, dicitur Symbolum ſequens.

QUicúmque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt, ut téneat cathólicam fidem,

Quam niſi quiſque íntegram, inviolatámque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur,

Neque confundéntes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes.

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs ſancti:

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt Divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increá-

tus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * immenſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres ætérni; * ſed unus ætérnus:

Sicut non tres increáti, nec tres immenſi; * ſed unus increátus, & unus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius: * Deus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres dii; * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dominus Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres dómini; * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque perſonam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtianâ veritáte compéllimur; * ita tres deos, aut dóminos dícere, cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres; unus Fílius, non tres filii; * unus Spíritus ſanctus, non tres ſpíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres perſonæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitate veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ita de Trinitate ſéntiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Patris ante ſæcula génitus; * & homo eſt ex ſubſtántia Matris in ſæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitatem; * minor Patre ſecúndum humanitatem.

Qui licèt Deus ſit & homo; * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitatis in carnem; * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non con-

fuſióne ſubſtántiæ; * ſed unitáte perſónæ;

Nam ſicut anima rationális & caro unus eſt homo; * ita Deus & homo unus eſt Chriſtus:

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra, deſcéndit ad ínferos, * tértiâ die reſurrexit à mórtuis:

Aſcéndit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis, * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibũt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam niſi quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

Glória Patri, &c.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 17.

REgi ſæculórum immortáli, inviſíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. *Breve.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. (*repetitur*) Chriſte, &c.

Per Quadrageſimam.

℣. Qui veníſti peccatóres ſalvos fácere *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. 1. *Tim.* 1. 15. *Pro tempore Paſſionis.* ℣. Qui paſſus es pro nobis. 1. *Pet.* 2. 21. (*repetitur*) Miſerére nobis.

Glória Patri, &c. (*reſumitur*) Chriſte, &c.

℟. *br. pro tempore Paſchali habetur in Proprio.*

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſal.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre feciſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminũ noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini,

℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et abſolutè ſine Oremus:*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſal-

vári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eleïſon. Chriſte, eleïſon. Kyrie, eleïſon.

Pater noſter, *ſecretò* : *aliâ voce* : ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrarum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Gloria Patri, &c.

O R E M U S.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvator mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcribat eas. *Hebr.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Canonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlũ & terrã. *Pſ.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſal.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. *Hebr.* 13. 20. 21.

Secretò: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

A D T E R T I A M.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

H Y M N U S.

O Cháritas, quâ férvidus
Homo Dei fit párticeps!
Et mentium ſis una lux,
Et unus ignis córdium.

Nos nulla labes ínquinet;
Nos nulla cæcet vanitas;
Diemque ſacram díligens,
Te dante, fervor ímpleat.

Deo Patri ſit glória,
Ejuſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,

Nunc

Nunc, & per omne ſæculum. Amen.

2. *Diviſio Pſalmi* 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctũ, & ſcrutábor legem tuã, * & cuſtódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meũ in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem; * in via tua vivífica me.

Statue ſervo tuo elóquium tuum, * in timore tuo.

Amputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce cõcupívi mandáta tua; * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine, * ſalutáre tuum ſecúndum elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandatis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi; * & exercébar in juſtificatiónibus tuis. Gloria Patri, &c.

3. *Diviſio Pſalmi* 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dedíſti.

Hæc me conſolata eſt in humilitate mea; * quia elóquium tuum vivificavit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque, * à lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſæculo, Domine; * & conſolatus ſum.

Defectio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodivi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquisivi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, Cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuã in toto corde meo; * miſerére meî ſecúndùm eloquium tuũ.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus, * ut cuſtódiam mandata tua.

Funes peccatórum circum-

pléxi ſunt me; * & legem tuã non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómniũ timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, &c.

4. *Diviſio Pſalmi* 118.

BOnitátem fecíſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecúndùm vérbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priuſquàm humiliárer ego delíqui; * proptérea elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórum; * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * ſuper míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléctum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecúndùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injúſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis; * ut non confúndar. Glória, &c.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAm ſolis áureum jubar
Pleno corúſcat lúmine:
Tu vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refúlge ſénſibus.

O Dux ſalútis & via!
O vita! quos doces, rege:
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perénnis gaúdia.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

5. *Diviſio Pſalmi* 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes; Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter

in pruína; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * Quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes;*ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Pauló minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periíſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Glória &c.

6. *Diviſio Pſalmi* 118.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine, * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudéntem me fecíſti mandato tuo; * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandata tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuiſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mādátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnē viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad fa-

ciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória, &c.

7. *Diviſio Pſalmi* 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declináte à me, malígni; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero;* & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiã; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutare tuum; * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine; * diſſipavérunt legem tuã.

Ideò diléxi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar; * omnẽ viam iníquam ódio hábui. Glória, &c.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

REcédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus ſupernam júgiter
Suſpíret ardor pátriam.

Die, Deus, quâ præcipis
Te diligámus pléniùs;
Nec ora ceſſent débitas
Grates canéndo ſolvere.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

8. *Diviſio Pſalmi* 118.

MIrabília teſtimónia tua; * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum, * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis

hóminum; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia obliti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego, & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtitia tua, juſtítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam. Gloria, &c.

9. *Diviſio Pſalmi* 118.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiã mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam, Dómine, * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tua longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tríbulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

Glória, &c.

10. *Diviſio Pſalmi* 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratis; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die láudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuũ, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conſpéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuũ da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea in conſpéctu tuo: * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut ſalvet me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuum, Dómine; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi ſicut ovis quæ périit; * quære ſervum tuum, quia mandáta tua non ſum oblítus. Glória, &c.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

PSALMUS 109.

Chriſti generatio, ſacerdotium, & poteſtas.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos túos * ſcabellũ pedũ tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórũ.

De torrénte in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 110.

Laus Deo qui Eccleſiæ tot beneficia contulit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquiſíta in omnes voluntátes ejus.

Conféſſio & magnificéntia opus ejus, * & juſtítia ejus

manet in ſæculum ſæculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miſéricors & miſerátor Dóminus : * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtaménti ſui : * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo,

Ut det illis hæreditátem géntiũ. * Opera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſæculum ſæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo, * mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum.

Sanctum & terríbile nomen ejus : * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in ſæculum ſæculi.

PSALMUS III.

Juſto proſperantur omnia, impio tabeſcente.

BEátus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus ; * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis ; * miséricors, & miſerátor, & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, diſpónet ſermónes ſuos in judício ; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit juſtus ; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dño, confirmátum eſt cor ejus ; * non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus ; juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi ; * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabéſcet ; * deſidérium peccatórum períbit.

PSALMUS II2.

Deus ſuper omnia excelſus, & exaltans húmiles.

LAudáte, púeri, Dóminum ; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum : * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomẽ Dñi.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra ?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui ;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS 113.

Dei potentia : Idolorum vanitas.

IN éxitu Iſrael de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo barbaro,

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſrael potéſtas ejus.

Mare vidit, & fugit; * Jordánis convérſus eſt retrórſum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óvium.

Quid eſt tibi, mare, quòd fugíſti? * & tu, Jordánis, quia convérſus es retrórſum?

Montes, exultáſtis ſicut aríetes, * & colles, ſicut agni óvium?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in ſtagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * ſed nómini tuo da glóriam ſuper miſericórdia tua & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes: * Ubi eſt Deus eórum?

Deus autem noſter in cœlo; * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * nares habent, & non odorábunt;

[illegible] habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gutture ſuo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eorum eſt.

Domus Aaron ſperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eorum eſt.

Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.

Dóminus memor fuit noſtri, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Iſrael, * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus ſuper vos, * ſuper vos, & ſuper fílios veſtros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine; * neque omnes qui deſcéndunt in inférnum:

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo;

Quia reſpéxit humilitátem

ancillæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus:

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo; * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede, * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerũ ſuũ, * recordatus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & ſémini ejus in ſæcula. Glória.

Oratio conveniens.

Fiunt commemorationes, ſi quæ faciendæ ſunt.

Completorium, ut infra poſt Veſp. Sabbi.

FERIA SECUNDA.

Dixit Deus: Fiat firmamentum. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Creator Deus in ſua omnipotentia adorandus: hinc timor Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea.

Deus, in adjutórium, &c. *ut in Dominicâ, & ſic in cæteris Feriis.*

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, novem Pſalmi poſiti ad ſingulas Ferias, dicuntur per modum unius Nocturni. In Officiis autem novem Lectionum, iidem Pſalmi dicuntur ſub novem Antiphonis de Proprio vel de Communi, & Lectionibus poſt unumquodque Nocturnum dicendis.

PRO I. NOCTURNO.

PSALMUS 8.

In operibus ſuis mirabilis Dominus.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quoniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perféciſti laudem propter inimícos tuos; * ut deſtruas inimícum & ultorem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut filius hominis, quóniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honore coronáſti eum, * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi.

Volucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Domine Dominus noſter, * quam admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 18.

Creaturæ omnes omnipotentiam Creatoris prædicant.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiã.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole poſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquã ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Domini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multum; * & dulciora ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 32.

Creatorem ſuum timeat omnis terra: ipſe benignè ſaluti juſtorum invigilat.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara; * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene pſállite ei in vociferatióne;

Quia rectum eſt verbum Dómini; * & ómnia opera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judíciũ: * miſericórdiâ Dómini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt; * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris; * ponens in theſaúris ábyſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus diſſipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generatiónem.

Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi.

De cœlo reſpéxit Dóminus; * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo * reſpéxit ſuper omnes qui hábitant terram;

Qui finxit ſingillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eorum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem; * & gigas non ſalvábitur in multitúdine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem; * in abundántia autem virtútis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Dómini ſuper metuéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus;

Ut eruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſúſtinet Dóminum; * quóniam adjútor & protéctor noſter eſt;

Quia in eo lætábitur cor noſtrum, * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

PRO II. NOCTURNO.

Pſealmus 49.

Dominium Dei in omnia: non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt; * & vocávit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus. * Deus maniféſtè véniet: Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum desúrsùm, & terram, * diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui ordinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia.

Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus; * quóniam Deus judex eſt.

Audi, pópulus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificábor tibi; * Deus, Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocáuſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſylvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulchritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi; * meus eſt enim orbis

terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo ſacrifícium laudis; * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras juſtítias meas, & aſsúmis teſtaméntũ meum per os tuum?

Tu verò odíſti diſciplínam, * & projecíſti ſermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ :* & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & advérsùs fílium matris tuæ ponébas ſcándalum: * hæc fecíſti, & tácui.

Exiſtimáſti, iníque, quòd ero tuî símilis; * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviſcímini Deum; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo oſténdam illi ſalutáre Dei.

P S A L M U S 52.

Deum non eſſe, fruſtra ſibi dicit impius, ut peccet; quondam ulciſcitur Deus.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abóminábiles facti ſunt in iniquitátibus: * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper filios hóminum, * ut videat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt; * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérũt :* illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent: * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm convérterit Deus captivitátẽ plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

P S A L M U S 74.

Deus eſt mundi rector, & futurus judex; hinc quantùm metuendus.

COnfitébimur tibi, Deus, * cõfitébimur, & invocábimus nomen tuum; narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicabo.

Liquefácta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus;

ealtáre cornu.
: extóllere in altum
ſtrum, * nolíte loqui
Deum iniquitátem;
neque ab Oriénte,
Occidénte, * neque
is móntibus.
iam Deus judex eſt, *
míliat, & hunc exál-

calix in manu Dó-
ii meri plenus mix-
e inclinávit ex hoc

ntamen fæx ejus non
aníta; * bibent om-
atóres terræ.
utem annuntiábo in
;* cantábo Deo Ja-

mia córnua peccató-
nfríngam; * & exal-
r córnua juſti.

II. NOCTURNO.

ALMUS 76.

*io ſpiritalis ex operi-
s Dei ſumpta.*

e meâ ad Dóminum
návi; * voce meâ ad
& inténdit mihi.
e tribulatiónis meæ
exquisívi, mánibus
ĉte contra eum; * &
n decéptus.
it conſolári ánima
memor fui Dei, &
us ſum, & exercitá-
, & defécit ſpíritus

ipavérunt vigílias ó-
ii; * turbátus ſum,
ſum locútus.
ſvi dies antíquos, * &
térnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritũ meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi; * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuũ, fílios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémi-

tæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum; * in manu Móyſi & Aáron.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelſior, & eorum judex Dominus.

DEus ſtetit in Synagóga deórum;* in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatorum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperē, * & egénū de manu peccatoris liberáte.

Neſciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & fílii Excélſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 96.

Sculptilium vanitas: ſoli Deo laus, quia ſolus Dominus.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Abſol. Benedict. ut poſt Pſalterium. Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio: & ſic in cæteris Feriis.

AD LAUDES.

PSALMUS 91.

Collaudandus Deus, quia in operibus magnificus, & in judiciis juſtus judex.

BOnum eſt confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíſſime;

Ad annuntiándũ manè miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem,

In decachórdo pſaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectáſti me, Dómine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ:

Vir inſípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operàntur iniquitátem, ut intéreant in ſæculum ſæculi.:

Tu autem Altíſſimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi: * & benè patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

P S A L M U S 23.

Dei in omnia dominium, & regnum.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dñus virtútũ ipſe eſt rex glóriæ.

PSALMUS 46.

Deus omnis terræ Dominus: ipſi pſallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus; * jubilate Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis; * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditatem ſuam, * ſpéciem Jacob quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psallite Deo noſtro, psállite; * psallite Regi noſtro, psallite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti ſunt.

CANTICUM ANNÆ. I. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino; * & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt àlius extra te; * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolite multiplicáre loqui ſublímia, * gloriantes.

Recédant vétera de ore veſtro; quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt; * & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt, * & infírmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt; * & famélici ſaturati ſunt,

Donec ſterilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dóminus mortíficat, & vivíficat, * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat; * humíliat & ſúblevat.

Súſcitat de púlvere egénum, * & de ſtércore élevat paúperem,

Ut ſedeat cum princípibus, * & ſoliū glóriæ teneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & poſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticéſcent; * quia non in fortitúdine ſuâ roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adverſarii ejus; * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Glória.

In feſtis dicitur Canticum ſequens. I. *Paralip.* 29. 10.

BEnedíctus es, Dómine, Deus Iſrael patris noſtri * ab ætérno in æternum.

Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória,

atque

atque victória; * & tibi laus:

Cuncta enim quæ in cœlo ſunt, & in terra, * tua ſunt:

Tuum, Dómine, regnum; * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua eſt glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia: * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noſter, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum índytum. Glória.

PSALMUS 148.

Ad laudandum Creatorem ſuum, invitantur omnes creaturæ.

LAudáte Dóminum, de cœlis; * laudáte eum in excélſis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus;

Laudáte eum, ſol & luna; * laudáte eum, omnes ſtellæ & lumen;

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Dómini;

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * præcéptum poſuit & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ faciunt verbum ejus;

Mōtes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ, & univérſa pécora, * ſerpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes, & vírgines, ſenes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus omnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſrael, pópulo appropinquánti ſibi.

Ca[nticum] Zachar[iæ]. Luc. 1.

Benedíctus Dóminus, &c.

In Feriis Quadrageſimæ, Preces dicuntur flexis genibus, ut infra.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter *ſecreto*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam; quia peccávi tibi. *Pſal.* 40. 5.

℣. Convertere, Dómine, úſquequo; ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℞. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℞. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; ℞. Et rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℞. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℞. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abſéntibus: ℞. Miríſica miſericórdias tuas, qui ſalvos facis ſperántes in te. *Pſ.* 16. 7.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℞. Líbera, Deus, Iſraël ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℞. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

Deinde dicitur Pſalmus De profúndis: *& in fine* Glória Patri: *in Veſperis illius loco, dicitur*: Miſerére, *poſt Pſalmum dicitur*:

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℞. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℞. Et rédime nos propter nomen tuū. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℞. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

Dicto, Benedicámus, *fiunt commemorationes ſanctorum, ſi quæ faciendæ ſunt. Deinde ſuffragia, ut infra.*

A Feria quarta Cinerum incluſivè, & per Quadrageſimam.

Ant. Vivo ego, dicit Dóminus Deus; Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Numquid in ætérnum iraſcéris, Dómine? ℞. Aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem? *Pſ.* 84. 6.

O r e m u s.

Deus, qui non mortem, ſed pœniténtiam deſíderas peccatórum, pópulum tuum, quæſumus, ad te convérte propítius: ut dum tibi devótus extíterit, iracúndiæ tuæ ab eo flagélla amóveas; Per Chriſtum. ℞. Amen.

D e s a n c t a M a r i a.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, María, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

℣. Elégit eam Dóminus, ℞. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

O r e m u s.

Concéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis

& córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis intercеſſióne, à præsénti liberári triſtítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Chriſtum. ℟. Amen.

DE PATRONO VEL TITULARI ECCLESIÆ.

Idque ſecundùm Rubricas.

IN CATHEDRALI DE SANCTO STEPHANO.

Stéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia, & ſigna magna in pópulo. *Act.* 6. 8.

℣. Magna eſt glória ejus, ℟. In ſalutári tuo. *Pſ.* 20. 6.

OREMUS.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicáſti; tríbue, quæſumus, ut pro nobis intercéſſor exíſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſū Chriſtū. ℟. Amen.

IN ECCLESIA CATHEDRALI DE SANCTIS LEUCORUM PRÆSULIBUS. &c.

Ant. Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo; & nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum ſanctórum virórū glória. *Eccli.* 46. 14. 15.

℣. Juſti exúltent in conſpéctu Dei; ℟. Et delectentur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

OREMUS.

PRopitiáre, quæſumus, Dómine, fámulis tuis ut ſanctorum noſtrórum Antíſtitum, & eórum quorum relíquiæ in hac Eccleſia tua quieſcunt, atque ómnium ſanctórum méritis glorióſis & intercеſſióne ab ómnibus ſemper protegámur advérſis; Per Chriſtum.

℟. Amen

PER DIŒCESIM DE OMNIBUS SANCTIS.

Ant. Réddidit Deus juſtis mercédem labórum ſuórum; & dedúxit illos in via mirábili. *Sap.* 10. 17.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte juſti; ℟. Et gloriámini omnes recti corde. *Pſ.* 31. 11.

OREMUS.

TRíbue, quæſumus, Dómine, omnes ſanctos tuos júgiter oráre pro nobis; & eos ſemper cleménter dignéris audíre; Per Chriſtum.

℟. Amen.

DE PACE.

Ant. Deus qui fecit nobíſcum ſecúndùm ſuam miſericórdiam, det nobis fíeri pacem in diébus noſtris. *Eccli.* 50. 24. 25.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

OREMUS.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta conſília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ

protectióne tranquílla; Per Dóminum... qui tecum vivit, &c. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Benedicámus, *&c.* Fidélium, *&c.*

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Et ſic in cæteris Horis & Feriis.

HYMNUS.

MUndo renáſcens ſol, novo
Terris recúrrit lúmine:
O Chriſte, lux & véritas!
Noſtris oríre ſémitis.

Tu, ſpes ſalútis, áctuum
Sis finis, & primórdium:
Te proſequámur aúſpice,
Quæ, te favénte, cœpimus.

Ne lege membris ínſitâ
Victus gravétur ſpíritus,
Tuo ſalúbri pércitas
Carnes timóre cómprime.

Curas geret dum plúrimas
Foris miniſtrans dextera;
Cor intus ad te pérvigil
Suſpíret ætérnas domos.

Orbem voléndo qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio
Sancto ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſæcula.

PSALMUS 9.

Mirabilis in operibus Deus: impiórum everſor; & defenſor pauperum.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te; * pſallam nómini tuo, Altíſſime,

In converténdo inimícum meum retrórſum: * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua;

Quóniam fecíſti judícium meum, & cauſam meam: * ſedíſti ſuper thronum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum deleſti in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum ſónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia.

Et factus eſt Dóminus refúgium paúperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatione.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus;

Quoniam requírens ſánguinem eorum recordátus eſt: * non eſt oblítus clamórem paúperum.

Glória Patri, &c.

DIVISIO PSALMI 9.

MIſerére meî, Dómine; * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis; * ut annuntiem om-

nes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infíxæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem abſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcetur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuarum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis: * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniã hómines ſunt.

Glória Patri, &c.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

UT quid, Dómine, receſſíſti longè, * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant;

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminũ peccátor, * ſecúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus; * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſinè malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine, & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelúnca ſua.

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum; * inclinábit ſe, & cadet, cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo; Oblítus eſt Deus; * avértit fáciem ſuam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus exaltetur manus tua: * ne obliviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper; * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni; * quæréṫur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperū exaudívit Dóminus; * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

In Feſtis dicitur Capitulum 1. *Tim.* 1. 17.

Regi ſæculórum immortali, inviſíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculorum. Amen. ℞. Deo grátias.

℞. *br.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis (*Repetitur*) Chriſte, , &c.

Per Quadrageſimam.

℣. Qui veníſti peccatóres ſalvos facere *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. 1. *Tim* 1. 15. *Pro tempore Paſſionis.* ℣. Qui paſſus es pro nobis. 1. *Petr.* 2. 21. (*Rep.*) Miſerére nobis.

Gloria. Patri, &c. (*Reſumitur*) Chriſte, &c.

℞. *br. pro tempore Paſchali habetur in Proprio.*

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℞. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſalm.* 43. 26.

P R E C E S.

In Feriali Officio, in Simplici, in Semiduplici dicuntur Preces ad Primam: Quando autem Preces dictæ ſunt ad Laudes, ſequentes dicuntur flexis genibus:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eleiſon. Kyrie, eléiſon. Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum, *Secretò*:

℣. Carnis reſurrectiónem:

℞. Vitam ætérnā. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℞. Et manè orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude, ℞. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuā à peccátis meis, ℞. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℞. Et ſpíritum rectum innova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℞. Et ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℞. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſalm.* 50. 14.

Adjutórium, &c. *ut infra.*

Quando Preces dicuntur flexis genibus adduntur ſequentes ℣. ℣.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℞. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℞. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi, ℞: Ut reddam vota mea de

die in diem. *Pſ.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt. *Pſ.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus. *Pſ.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivíſci omnes retributiónes ejus. *Pſ.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, ℟. Qui ſanat omnes infirmitátes tuas. *Pſ.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, ℟. Qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis deſidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Pſ.* 102. 5.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dñi, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Hebdomadarius facit confeſſionem, mediocri voce dicens:

CONfíteor Deo omnipoténti beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis fratres;) quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, Mea culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnẽ Baptiſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos (& vos fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus dicit:

MIſereátur tuî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius reſpondet.* Amen.

Deinde Chorus facit confeſſionem dicens: Confíteor Deo, &c. *& ubi dictum eſt,* Vobis fratres, *dicit* Tibi pater, & ubi dictum eſt vos fratres *dicit*; te pater.

Facta confeſſione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIſereátur veſtrî omnípotens Deus; & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, abſolutiónem & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem Hebdomadarius dicit:

℣. Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrì, Dñe, ℟. Miſerére noſtrì. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſalm.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diei nos perveníre fecíſti, tuâ nos hodie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátũ, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, ℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et abſolutè ſine Oremus.*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórũ. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meũ inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò, aliâ voce*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera manuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

OREMUS.

DIrigere & ſanctificáre, regere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuorum; ut hîc, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcribat eas. *Heb.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Canonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, mi-

ſerére noſtri. ℟. Deo gratias.

Deinde Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſalm.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſalm.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo gratias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. *Heb.* 13. 20. 21.

Secretò : Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

AUctor ſacrórum múnerum,
Precámur, alme Spíritus,
Si quando curæ díſtrahunt,
Nuſquã malis nos ímplicent.

Denſis in umbris naſcimur;
Cæcos ab ortu ſúſcipe :
Tuámque funde grátiam
Noſtro medélam vúlneri.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent, & ardent ígnibus.
Amen.

PSALMUS 17.

Quanta prodigia operatus eſt Deus, cum Chriſto & Eccleſiæ de inimicis ſuis victoriam dedit.

DIligam te, Dómine, fortitudo mea : * Dñus firmamentũ meũ, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjutor meus, * & ſperabo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis cõturbaverunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatione mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta ſunt, & cõmota ſunt, * quóniam irátus eſt eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit: * carbónes ſuccenſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcéndit : * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit * volávit ſuper pennas ventórum

Et poſuit ténebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernaculum ejus : * tenebroſa aqua in nubibus áëris.

Præ fulgore in conſpectu

ejus nubes tranſiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta ſunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 17.

Miſit de ſummo (Dóminus,) & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meārū retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte innocens eris:

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérſo pervertéris;

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis;

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine, * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Glória Patri, &c.

Altera diviſio Pſalmi 17

Deus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe;

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & póſuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & ſuper excélſa ſtátuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuíſti ut arcum æreum bráchia mea;

Et dedíſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & déxtera tua ſuſcépit me.

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína

tua ipſa me docébit.

Dilatáſti greſſus meos ſubtus me, * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos; * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtus me.

Et inimícos meos dedíſti mihi dorſum, * & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum; nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti, * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Filii aliéni mentíti ſunt mihi, * filii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes regis ejus, * & fáciens miſericordiam chriſto ſuo David, & ſémini ejus uſque in ſæculum.

Quando ad Laudes dictæ ſunt Preces; tunc ad Tertiam, & alias Horas breves, flexis genibus dicitur:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eleiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò*: Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos, ℟. Et oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dñe, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

Qui ſolis accéndis faces,
Tu, ſplendor ætérni Patris,
Fili, tibi nos cónſecra
Amóris igne víctimas.

Regnet remótis lítibus,
Per te redux concórdia:
Sacróque fratres cháritas
Connéctat omnes fœdere.

Ætérna laus & glória

Uni ſit, & Trino Deo:
Paciſque det nos mútuæ
Gaudere vinctos néxibus.
Amen.

PSALMUS 101.

Vita brevis & miſera: ſolus, qui ab initio terram fundavit, Deus immutabilis.

DOmine, exaúdi oratiónem meã; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exaúdi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

℣ Vigilávi; * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsum me jurábant;

Quia cínérẽ tamquã panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevãs alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 101.

TU exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur laudábit Dominũ;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut ſólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jeruſalem,

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſerviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundáſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem pérmanes: * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent;

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Preces ut ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

HYMNUS.

VErgens ad occáſum dies,
Vitæ fugáces exhibet
Horas: Deus, ſic ómnia
Moves; movéri néſcius.

Dum lux & umbra mútuò
Tibi, Creátor mílitant;
Fac alma nobis fulgeat,
Umbris repúlſis, cláritas.

Tu ſola lapſus ſiderum
Immóta cernis, Trinitas;
Honoris ætérnam tibi
Decet rependi glóriam.
Amen.

PSALMUS 82.

Ab inimicis ſuis Eccleſiam vindicat Deus; quia Omnipotens.

DEus, quis ſimilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum maligavérunt conſílium, * & cogitavérunt advérſus ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter; * ſimul advérſum te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum & Iſmahelítæ;

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum;

Etenim Aſſur venit cum illis, * facti ſunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis ſicut Mádian, & Síſaræ, * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb, & Zeb, * & Zebec, & Salmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte poſſideámus ſanctuáriũ Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes;

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ? * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi; * & confundántur, & péreant;

Et cognóſcant quia nomen tibi, Dominus; * tu ſolus Altiſſimus in omni terra.

PSALMUS 102.

Laudandus Omnipotens ex operibus & beneficiis ſuis innumeris.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum; *renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericordias Dóminus. * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * fíliis Iſrael voluntátes ſuas.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 102.

MIſerátor & miſericors Dóminus; * longánimis, & multùm miſéricors.

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis, * neque ſecúndùm iniquitates noſtras retribuit nobis;

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiam ſuam ſuper timéntes ſe:

Quantum diſtat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Quómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus: * homo ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorébit;

Quóniam ſpíritus pertranſíbit in illo, & non ſubſíſtet; * & non cognóſcet ámpliùs, locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno, & uſque in ætérnum, * ſuper timéntes eum;

Et juſtítia illíus in fílios filiórum, his qui ſervant teſtaméntum ejus,

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominabitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * miniſtri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

PSALMUS. 122.

Præter Altiſſimum, nullum eſt in tribulationibus refugium.

AD te levávi óculos meos,* qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum,

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ ſuæ ;* ita óculi noſtri ad Dóminam Deū noſtrum, donec miſereátur noſtri.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtri ;* quia multùm repléti ſumus deſpectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpectio ſupérbis.

PSALMUS.

Vani hominum labores, quibus non opitulatur Deus.

NIſi Dóminus ædificáverit domum ,* in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtra vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducatis panem dolóris.

Cúm déderit dilectis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, fílii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu potentis; * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundetur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

PSALMUS. 134.

Dei omnipotentia: Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudáte, ſervi, Dóminū,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * pſállite nómini ejus, quóniam ſuave;

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſrael in poſſeſſiónem ſibi;

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis,

Omnia quæcúmque voluit, Dóminus fecit * in cœlo, & in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de theſáuris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus;

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus;

Qui percúſſit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátē Iſrael pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in

æternum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicabit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis deprecabitur.

Simulacra gentium, argéntum & aurum, * opera manuum hominum;

Os habent, & non loquéntur; * oculos habent, & non videbunt;

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipſórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Iſrael, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino:

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timetis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, qui habitat in Jeruſálem.

PSALMUS 137.

Ex veritate, omnipotentiâ, & miſericordiâ celebrandus Dominus.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorabo ad templum ſanctum tuum;

Et confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua & veritate tua; * quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaúdi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine omnes reges terræ; * quia audiérunt omnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificabis me; * & ſuper iram inimicórum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, miſericórdia tua in ſæculum: ópera manuum tuárum ne deſpicias.

PSALMUS 142.

Præ Dei magnitudine humiliat ſe anima, & ejus adjutorium in adverſis deprecatur.

DOmine, exaúdi oratiónem meam; auribus percipe obſecratiónem meam in veritate tua; * exaúdi me in tua juſtitia;

Et non intres in judíciũ cum ſervo tuo; * quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus animam meam; * humiliavit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi; * & anxiatus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbatum eſt cor meum.

Memor

Memor fui diérum antiquorum; meditatus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & ſimilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectã: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitate tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimã meam; * quoniam ego ſervus tuus ſum.

Oratio conveniens.

Completorium ut poſt Veſperas Sabbati.

FERIA TERTIA.

Ait Deus: Germinet terra. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus in providentia ſua laudandus: hinc in Deum fiducia.

PARS VERNA.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. 1. D. Adjutórium.

PSALMUS 7.

Per Dei providentiam ſalus juſtis, malis interitus.

Dómine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & libera me:

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meã in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandáſti; * & ſinagóga populórum circúmdabit te:

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos;

Júdica me, Dómine, ſecúndum juſtítiam meã, * & ſecúndum innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatorum, & díriges juſtum, * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meum à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde:

Deus judex juſtus, fortis, & pátiens; * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit: * arcum ſuum teténdit, & parávit illũ.

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagíttas ſuas ardéntibus efféecit.

Ecce partúriit injuſtítiam;* concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticẽ ipsíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecúndùm juſtítiam ejus; * & pſallã nómini Dómini altíſſimi.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis ſecuritas.

IN Dño confído: * quómodo dícitis ánimæ meæ: Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra: * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecíſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem diligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit; * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 12.

Animæ fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quamdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Prævalui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

PRO II. NOCTURNO.

PSALMUS 15.

In Dei providentia ſpem collocat juſtus: reſurrectionis ſpes.

COnsérva me, Dómine, * quóniam ſperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus

es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per labia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hæreditátem meã mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * etenim hærédi- tas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe;

Quóniam non derelínques ánimam meam in inferno; * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

PSALMUS 22.

Pro beneficiis per Dei providentiam acceptis gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco paſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dñi,* in longitúdinem diérũ.

PSALMUS 27.

Deus juſti tutela, ideò cum impiis non peribit.

AD te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas à me; * nequándo táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operantibus iniquitatem ne perdas me;

virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam; * aúribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérsùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis,* & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; & confitébor nómini tuo, Dómine,* quóniam bonū eſt;

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me; * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

PSALMUS 64.

Dei providentia, quantùm in hómines benefica.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaúdi oratiónem meam;* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórū prævaluérunt ſuper nos;* & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitabit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndū maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitāt términos à ſignis tuis:* éxitus matutíni, & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis; * paráſti cibum illórum, quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa desérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamabunt, étenim hymnum dicent.

PSALMUS 65.

Ex mirabilibus operibus & beneficiis laudandus Dominus.

JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo; Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis ſuper filios hóminum,

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertranſíbunt pede: * ibi lætábimur in ipſo,

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exáſperant, non exalténtur in ſemetípſis.

Benedícite, gentes, Deum noſtrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui póſuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos, Deus; * igne nos examináſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo noſtro; * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis; * reddam tibi vota mea, quæ diſtinxérunt lábia mea;

Et locútum eſt os meum * in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deũ, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit orationem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

CANTICUM MOYSI.
Exod. 15. 1.

CAntémus Dómino; glorióſè enim magnificátus eſt; * equum & aſcenſórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor; * Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare; * electi príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro.

Abyſſi operuérunt eos; * deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine; * déxtera tua, Dómine, percúſſit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adversários tuos, * miſíſti iram tuam quæ devorávit eos ſicut ſtípulam.

Et in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ; * ſtetit unda fluens, congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam; * aúribus pércipe verba oris mei;

Quóniam aliéni inſurrexérunt advérsum me, & fortes quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua diſpérde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; & confitébor nómini tuo, Dómine, * quóniam bonū eſt;

Quóniam ex omni tribulatióne eripuíſti me; * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

PSALMUS 64.

Dei providentia, quantùm in homines benefica.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaúdi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórū prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitabit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndū maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitāt términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni, & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis; * paráſti cibum illórum, quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa desérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Induti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamabunt, étenim hymnum dicent.

PSALMUS 65.

Ex mirabilibus operibus & beneficiis laudandus Dominus.

JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo; Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in conſíliis ſuper filios hóminum,

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertranſíbunt pede: * ibi lætábimur in ipſo,

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exáſperant, non exalténtur in ſemetípſis.

Benedícite, gentes, Deum noſtrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui póſuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos, Deus; * igne nos examináſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo noſtro; * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Tranſívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis; * reddam tibi vota mea, quæ diſtinxérunt lábia mea;

Et locútum eſt os meum * in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deũ, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamávi, * & exaltávi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit orationem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

CANTICUM MOYSI. *Exod.* 15. 1.

Cantémus Dómino; glorióſè enim magnificátus eſt; * equum & aſcenſórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor; * Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare; * elécti príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro.

Abyſſi operuérunt eos; * deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine; * déxtera tua, Dómine, percúſſit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adverſários tuos, * miſíſti iram tuam quæ devorávit eos ſicut ſtípulam.

Et in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ; * ſtetit unda fluens, congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

Dixit inimícus : Pérſequar, & comprehendam ; * dívidam ſpolia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meũ, * interficiet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare; * ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî, in fórtibus, Dómine? * quis ſímilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendíſti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuiſti in miſericórdia tua * pópulo quem redemíſti;

Et portáſti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom; robúſtos Moab obtínuit tremor; * obriguérũt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat ſuper eos formído & pavor: * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quaſi lapis;

Donec pertránſeat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránſeat pópulus tuus iſte quem poſſedíſti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíſſimo habitáculo tuo quod operátus es, Dñe,

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in ætérnum & ultrà.

Ingréſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus, & equítibus ejus in mare, * & redúxit ſuper eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Iſrael ambulavérunt per ſiccum * in médio ejus.

In Feſtis loco ſuperioris Cantici, dicitur

CANTICUM *Eccli.* 39.

Collaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus ſuis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum veſtrórum, & in cantícis labiórum, & cítharis;

Et ſic dicétis in confeſſióne: * Opera Dómini univérſa bona valde.

In verbo ejus ſtetit aqua ſicut congéries: * & in ſermóne oris illíus ſicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcépto illíus placor fit, * & non eſt minorátio in ſalúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * & non eſt quidquam abſcónditum ab óculis ejus.

A ſæculo uſque in ſæculum réſpicit, * & nihil eſt mirábile in conſpéctu ejus.

Glória, &c.

PSALMUS 146.

Deus ex ſuâ in populum providentiâ celebratur.

Laudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſal-

mus; * Deo noſtro ſit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit:

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne; * pſállite Deo noſtro in cýthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum;

Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Preces ſi dicendæ ſint, habentur Feriâ ſecundâ ad Laudes.

Oratio conveniens.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvo redux dum lúmine
Sol pellit umbras; ô Deus!
Tu mentis erróres fuga;
Et corda ſurſum dírige.

Juſſu tuo, labóribus
Dum noſtra ſervit déxtera,
Inánibus da líberum
Curis, tibi cor militet.

Fac, hóſpites & ádvenæ
In valle dura flétuum,
Noſtris ſupérnæ córdibus
Spem nutriámus pátriæ.

Domum, Deus, das páſſeri,
Nidúmque turtur ínvenit:
Sinu tuo quiéſcere
Det ſpes ſalútis ánchora.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

PSALMUS 57.

Calumniatorum ſupplicia, bonorumque præmia juſtam Dei providentiam arguunt.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſórum; * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tam-

quam aqua decúrrens: * inténdit arcum ſuum donec infirméntur:

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Glória &c.

PSALMUS 73.

In populi & templi calamitate, ex ſuis operibus magnis, in auxilium appellatur Deus.

UT quid, Deus, repulíſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in exitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt januas ejus in idípſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórũ ſimul: * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vidimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognóſcet ámpliùs.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 73.

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adverſárius nomen tuũ in finem?

Ut quid avértis manum tuam & déxteram tuam * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem rex noſter ante ſæcula, * operátus éſt ſalútem in médio terræ.

Tu confirmáſti in virtúte tua mare; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confrégiſti cápita dracónis, * dedíſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes, & torréntes; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu fecíſti omnes términos terræ; * æſtátem & ver tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino; * & pópulus inſipiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas paúperum tuórum ne oblivíſcáris in finem.

Réſpice in teſtaméntum tuum; * quia repléti ſunt, qui obſcurati ſunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus: * pauper & inops laudábunt nomen tuũ.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam; * memor eſto improperiórum tuórum, eórũ quæ ab insipiẽte ſunt totâdie.

Ne oblivíſcáris voces inimicórum tuórum: * ſupérbia eórum qui te odérunt aſcéndit ſemper.

Glória, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

Affla, ſupérne, ſpíritum,
Quo mens agénda dírigat:
Fac nos fugácis túrbidas
Neſcíre curas ſæculi.

Quâ cervus ardens lympidos
Fontes ſiti desíderat,
Da, fons ſupérni gaúdii,
Te poſſidéndum pérſequar.

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

PSALMUS 36.

Bonorum & malorum quàm diſpares ſunt & ſpes, & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátẽ;

Quóniam tamquam fœnum velóciter areſcent; * & quemadmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuã, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam; & judícium tuum tamquam merídiem: * ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelínque furórem; * noli æmulari ut malignéris:

Quoniam qui malignántur, exterminabúntur, * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc paſillum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gladium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum,

Ut dejíciant paúperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipſórum, * & arcus eórum confringátur.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 36.

MElius eſt módicum juſto * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conterénter; * confírmat autem juſtos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum, * & hærédítas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis ſaturabúntur; * quia peccatóres peribunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tríbuet;

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur; * & viã ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur & cómmodat: * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; * & inhábita in ſæculum ſæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur; * & ſemen impiórum períbit:

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipſíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Consíderat peccátor juſtũ, * & quærit mortificáre eũ;

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & cuſtódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut Cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat: * & quæsívi eum, & non eſt invéntus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injúſti autem diſperíbunt

ſimul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, & éruet eos à peccatóribus, & ſalvábit eos, * quia ſperavérunt in eo.

Glória Patri, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

SUmmo girat ſol æthere
Te, Chriſte, laudent témpora
Quæ, dante te, ſic úſibus
Paráta noſtris ſérviunt.

O quando mens levábitur
Gravánte carnis ſárcinâ,
Et induétur lúmine,
Quo ſunt beáti cœlites!

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

PSALMUS 34.

Ab hoſtibus liberari per Dei providentiam rogat juſtus.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcutum; * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & concláde advérsùs eos qui perſequúntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confúndántur & revereántur * quæréntes ánimam meã.

Avertántur retrórsùm, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti; * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum tenebræ & lúbricum? * & Angelus Dómini pérſequens eos;

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt animam meã.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens inopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperẽ à diripiẽtibus eũ.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam; * quaſi lugens, & contriſtátus ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meã à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adverſantur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur; * & in iracúndia terræ, loquéntes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt; Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne ſíleas; * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera Diviſio Pſalmi 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus & Dóminus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne, & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtítiam meam: * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Glória Patri, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol ad occáſum redit,
Fac, Chriſte, lumen córdiũ,
Spes firma ſacris móntibus
Inténta figat lúmina.

Inter procéllas naúfrago
Qui navigámus æquore,
Carína nos hæc ánxios
Ripæ ſalútis ápplicet.

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui providâ
Mundum gubernas déxterâ.
Amen.

PSALMUS 103.

Deus ab opificio, & providentiâ benedicitur.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * Dómine Deus meus, magnificatus es veheménter.

Confeſſiónem & decórem induíſti, * amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Exténdens cœlum ſicut pellem; * qui tegis aquis ſuperióra ejus:

Qui ponis nubem aſcénſũ tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos ſpi-

ritus; * & miniſtros tuos ignem uréntem;

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam; * non inclinábitur in ſæculum ſæculi.

Abyſſus, ſicut veſtiméntum, amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur; * neque converténtur operíre terrã.

Qui emíttis fontes in convállibus, * inter médium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri, * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis, * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætificet cor hóminis;

Ut exhilaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, * & Cedri Líbani quas plantávit;

Illic páſſeres nidificábunt, * heródii domus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herinaciis.

Fecit lunam in témpora: * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuíſti tenebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertransíbunt omnes beſtiæ ſylvæ;

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperam.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti: * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum, & ſpatióſum mánibus; * illic reptília quorum non eſt númerus, animália pusílla cum magnis.

Illic naves pertransíbunt, * draco iſte quem formáſti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant, * ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te mánum tuam, omnia implebúntur bonitáte:

Averténte autem te fáciẽ, turbabúntur; * aúferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum reverténtur.

Emíttes ſpíritum tuum, & creabúntur; * & renovabis fáciem terræ. Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 103.

SIt glória Dómini in ſæculum; * lætábitur Dóminus in óperibus ſuis,

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * pſallam Deo meo quámdiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non ſint: * bénedic, ánima mea, Dño.

Glória, &c.

AD VESPERAS.

PSALMUS 120.

Dominus cuſtos Eccleſiæ ſuæ providet.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dño, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum; * neque dormitet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dormiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introitum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

PSALMUS 123.

Eccleſiæ, per Dei providentiam à periculis ereptæ, gratiarum actio.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, * niſi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertransívit ánima noſtra, * fórſitan pertransíſſet ánima noſta aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt * de láqueo venántium;

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipſe tutela; iniqui peribunt.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnū, qui hábitat in Jeruſalem.

Montes in circúitu ejus, * & Dóminus in circúitu pópuli ſui ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatorum ſuper ſor-

per ſortem juſtórum, * ut non extendant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis,* & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax ſuper Iſrael.

PSALMUS 138.

Inſignis Dei in nos à puero providentia.

DOmine, probáſti me, & cognovíſti me; * tu cognovíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longè; * ſémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti;

Et omnes vias meas prævidíſti; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovíſti ómnia, novíſſima & antíqua: * tu formáſti me, & poſuíſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illìc es; * ſi deſcéndero in inférnum, ades;

Si ſúmpſero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me; * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepíſti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificatus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod fecíſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus, * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur; * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito

cor meum; * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

PSALMUS 144.

Quàm benignè Deus providet omnibus.

EXaltábo te, Deus meus Rex; * & benedícam nómini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt:

Magnificéntiã glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt:

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt..

Memóriam abundántíæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miſéricors Dóminus; * pátiens, & multùm miſéricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómniá ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur,

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſæculórũ; * & dominatio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dñe, * & tu das eſcã illórũ in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dñs ómnibus invocantibus eũ, * ómnibus invocãtibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatores diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

FERIA QUARTA.

Dixit Deus: Fiant luminaria. &c. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus, lux vera mentium, in ſua veritate adorandus: hinc firma in Deum fides.

AD OFFICIUM NOCT. PRO I. NOCTURNO.

PSALMUS 11.

Juſtorum paucitas: eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus; * quóniam diminútæ ſunt veritátes à fíliis hóminũ.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuũ; * lábia doloſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia doloſa, * & linguam magniloquam.

Qui dixérunt; Linguam noſtram magnificábimus, lábiá noſtra à nobis ſunt: * quis noſter Dóminus eſt?

Propter miſériam inopum & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dñs.

Ponam in ſalutári; * fiducialiter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, ſervábis nos: * & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndum altitúdinem tuam multiplicáſti fílios hóminum.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia: ex adventu Chriſti ſalus exoptatur.

DIxit inſípiens in corde ſuo, * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolóſè agébant; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum eſt, * velóces pedes eórum ad effundéndum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórũ.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt: * conſílium inopis confudíſtis, quóniã Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

PSALMUS 24.

Vias Domini edoceri, & ejus auxilio protegi poſtulat juſtus.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus

meus, in te confido non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiâ tuâ meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut maniſeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſeréré meî; * quia unicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt: * de neceſſitatibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & laborem meum; * & dimítte univerſa delícta mea,

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubeſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi; * quia ſuſtínui te.

Libera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

PRO II. NOCTURNO.

PSALMUS 42.

Veritatis divinæ invocatio: ſpes in Domino collocanda.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta; * ab hómine iníquo & dolóſo érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; * quare me repuliſti? & quare triſtis incédo dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt

in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus: * quare triſtis es, ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 56.

De inimicis victoriam rogat juſtus: miſericordiæ & veritatis Dei commendatio.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî; * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamabo ad Deum altíſſimum * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritátem ſuam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & ſagíttæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meā fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & pſalmum dicam.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

PSALMUS 63.

Vana impiorum conſilia: evangelii prædicatio.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátē;

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas; * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequā.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

PRO III. NOCTURNO.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis: terris oriuntur miſericordia & veritas.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætabitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

PSALMUS 85.

Per finem gentes illuminari rogat Chriſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meì, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * &

intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt ſimilis tuî in diis, Dómine; * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque fecíſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuũ.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére mei; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

PSALMUS 89.

Fugax hominum vita: gratiæ Dei ſplendor invocatur.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúſquàm montes fierent, aut formarétur terra & orbis, * à ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixíſti; Convertímini, fílii hóminũ.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies heſterna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat, manè flóreat, & tránſeat; * véſperè décidat, indúret & aréſcat;

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * ſæculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri, ſicut aránea meditabúntur: * dies annórum noſtrórum in ipſis, ſeptuagínta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor:

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ

tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumerare?

Déxteram tuam ſic notam fac, * & erudítos corde in ſapiéntia.

Convértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Réſpice in ſervos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos; * & ópera mánuum noſtrárum dirige ſuper nos; & opus mánuum noſtrárum dírige.

AD LAUDES.

Psalmus 33.

Deus juſtorum lumen & tutela: impiorum everſor.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * aúdiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum; * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet ángelus Dómini in circúitu timéntiū eum; * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me: * timórē Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dñi ſuper juſtos; * & aures ejus in preces eorū.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala, * ut perdat de terra memoriā eorū.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta eſt Dominus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dominus.

Cuſtodit Dominus omnia

oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

P s a l m u s 66.

Ut ab omnibus gentibus cognoſcatur & laudetur Deus, exoptat anima.

DEus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

P s a l m u s 98.

Chriſti poteſtas: ejus veſtigia adoranda: patribus locutus eſt.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes; * judícium & juſtítiam in Jacob tu feciſti.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum; * & adoráte ſcabellum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt.

Móyſes & Aáron in ſacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos; * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Cuſtodiébant teſtimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noſter, tu exaudiebas eos; * Deus, tu propítius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eórum.

Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus; * quóniam ſanctus Dñs Deus noſter.

C a n t i c u m E z e c h i æ. *Iſa.* 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæſívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea ablára eſt, & convolúta eſt à me, * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte vita mea; dum adhuc ordíter ſuccídit me: * de manè uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad mane, * quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De mane uſque ad veſperam finies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei, * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me: * Quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudabit te; * non expectábunt qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

In Feſtis dicitur.

CANTICUM ECCLI. 36.

MIſerére noſtrì, Deus ómnium, & réſpice nos; * & oſténde nobis lucem miſeratiónum tuárum:

Et immítte timórem tuum ſuper gentes quæ non exquiſiérunt te, * ut cognóſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam ſuper gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conſpéctu eórum ſanctificátus es in nobis, * ſic in conſpéctu noſtro magnificáberis in eis;

Ut cognóſcant te, * ſicut & nos cognóvimus, quóniam non eſt Deus præter te, Dñe.

Innova ſigna, & immúta mirabília: * gloríſica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effunde iram: * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Feſtína tempus, & meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui ſalvátur; * & qui péſſimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Contere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non eſt alius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enárrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * ſicut ab inítio.

Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum, * & Iſrael, quem coæquáſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ populum tuum.

PSALMUS 97.

Laudatur Chriſtus, quod gentibus notum fecerit ſalutare ſuum.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dñs ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuã.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo omnis terra;* cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini, * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrarũ & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in in æquitáte.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

AD templa nos rurſum vocat
Suo redux ſol lúmine;
Nováſque pro læto monet
Reférre grates múnere.

Laudéris ætérnùm, Deus,
Qui veritátis lúmine
Mentis ténebras ámoves,
Salútis & monſtras viam.

Præſta, fides non óccubet,
Si cúltui deſit tuo,
Quid noſtra vox, ni tínniens
Vanas per auras cymbalum?

Vires leónum per fidem
Vicére ſancti: hoc manus
Protécta ſcuto, nóxios
Retúndat hoſtis ímpetus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

PSALMUS 77.

Ad audiendam legem Dei invitatio: beneficia Judæis præſtita.

ATténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum; * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera;

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium

in Jacob, * & legem póſuit in Iſrael.

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera:

Fílii qui naſcéntur, & exúrgent, * & narrabunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant;

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans:

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Diviſio Pſalmi 77.

FIlii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, * convérſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos, * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excélſum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre menſam in desérto?

Quóniam percúſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare? * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideò audívit Dóminus, & díſtulit: * & ignis accénſus eſt in Jacob, & ira aſcéndit in Iſrael;

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperaverunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit;

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária miſit eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit (Dóminus) Auſtrum de cœlo; * & indúxit in virtúte ſua Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſa-

turâti ſunt nimis, & deſidérium eórum áttulit eis; * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Iſrael impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebántur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eorum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo: * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

Gloria, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

VOtis favéto, Spíritus,
Promiſſa terris véritas;
Te luce, mundi prœmia
Noſtris nihil ſint méntibus.

Da, nos fides velócibus
Ad ſumma pennis évehat;
Solámque, victrix ſénſuum,
Curet Deum te quærere.

Sit laus Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

EX PSALMO 77. Et

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram ſuã, * & non accéndit omnem iram ſuam.

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Quoties exacerbavérunt eum in deſérto? * in iram concitavérunt eum in inaquóſo?

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & ſanctum Iſrael exacerbavérunt.

Non ſunt recordati manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulántis;

Sicut póſuit in Ægypto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convertit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Miſit in eos cœnomyíam, & comédit eos; * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórũ in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eorum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ; * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem,

immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit ſémitæ iræ ſuæ, non pepércit à morte animábus eorum, * & juménta eórum in morte conclúſit;

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

ABſtulit (Dóminus) ſicut oves pópulũ ſuũ, * & perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſrael.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélſum; * & teſtimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprévit, * & ad níhilum redégit valdè Iſrael.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórũ, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hæreditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * & vírgines eórum non ſunt lamentátæ.

Sacerdótes eorum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabántur.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

EXcitátus eſt tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra: * oppróbrium ſempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraim non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctifícium ſuum * in terra quam fundávit in ſæcula:

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſuſtulit eum de grégibus óvium.

De poſt fœtántes accépit eum, * páſcere Jacob ſervũ ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, * & in intellec-

tibus mánuum ſuárum dedúxit eos.

Glória, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

FUlgens poli ſol cúlmine
Ignes, Deus, quot éxerit,
Tot vócibus te prædicat,
Tot penicillis éxhibet.

At ígnibus qui píngeris,
Ignes amóris éxcita:
Illámque votis da fidem,
Cui comes ſit charitas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Chriſti victoriis, & de Eccleſiæ per Evangelii prædicationem diffuſione.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delectentur in lætitia.

Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcendit ſuper occáſum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus, * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo; * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo;

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepulchris.

Deus, cùm egrederéris in conſpectu pópuli tui, * cum pertranſíres in desérto,

Terra mota eſt, étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sinaï, * à fácie Dei Iſrael.

Pluviam voluntáriam ſegregábis, Deus: hæreditáti tuæ; * & infirmáta eſt: tu verò perfecíſti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua paúperi, Deus.

Diviſio Pſalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum diléčti, diléčti; * & ſpeciéi domûs dividere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ columbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis, * mons coagulátus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum eſt Deo habitáre in eo; étenim Dóminus hábitabit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántiū: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendíſti in altum, ce-

píſti captivitátem : * accepíſti dona in homínibus :

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie ; * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi ; * & Dómini Dómini exitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum ; * vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus : Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris ;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, * ingréſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

Altera diviſio Pſalmi 67.

IN Eccléſiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Iſrael.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum ; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuæ ; * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúſalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórũ in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argénto.

Diſſipa gentes quæ bella volunt : * vénient legáti ex Ægypto ; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino ;

Psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem, * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo ; * ſuper Iſrael magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in ſanctis ſuis ; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem, & fortitúdinem plebi ſuæ : * benedíctus Deus.

AD NONAM.

HYMNUS.

LAbénte lucis ſídere,
Ne noſcat occáſum fides
Vigil ; tuî nec ímmemor,
Umquam, Deus, ſit núminis.

Inter procéllas ſæculi
Stet pulſa rupes æquore,
Præſtaque ſanctam dégener
Ne vita detúrpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

PSALMUS 70.

Se à Deo edoctam dicit Eccleſia : contra inimicos ſuos auxilium rogat.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum : * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína

Inclina ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvũ me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quoniam tu es patiéntia mea, Dómine; * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tamquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjútor fortis.

Diviſio Pſalmi 70.

Repleátur os meum laude, * ut cantem glóriã tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me;

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui cuſtodiébant ánimam meam, consilium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum; perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me; * Deus meus, in auxílium meũ réſpice.

Confundántur, & defíciant detrahentes ánimæ meæ; * operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo, * & adjíciam ſuper omnẽm laudem tuam.

Os meum annuntiábit juſtítiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Altera diviſio Pſalmi 70.

DEus, docuíſti me á juventúte mea; * & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et uſque in ſenéctam & ſénium; * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiém bráchiũ tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas? * & convérſus, vivificaſti me, & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me.

Multiplicáſti magnificéntiam tuam; * & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus; * pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſrael.

Exultábunt lábia mea cum cantávero tibi; * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditabitur juſtitiam tuã, * cùm confúſi & reveriti fúerint qui quærunt mala mihi.

AD VESPERAS.

PSALMUS 115.

Ob firmam fidem, ſibi auxilium Dei ſpondet juſtus.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiã, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus; * ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupíſti vincula mea; * tibi ſacrificábo hoſtiam laudis, & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúſalem.

PSALMUS 116.

Quòd gentibus innotuerit veritas; Dei laudatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

PSALMUS 125.

Apoſtolorum labores multi; ſed meſſis abundans.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes; * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant, & flebant, * mittentes sémina ſua;

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

PSALMUS 135.

Ex operibus mirandis laudatur Dominus.

COnfitémini Dño quóniam bonus; * quóniam in ætérnũ miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna ſolus; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intelléctu; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui firmávit terram ſu-

per aquas; * quoniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui fecit luminária magna; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Solem in poteſtátem diéi; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Lunam & ſtellas in poteſtátem noctis; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui percuſſit Ægyptum cum primogénitis eorum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui edúxit Iſrael de médio eórum; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

In manu poténti, & bráchio excélſo; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Qui divíſit mare rubrum in diviſiones; * quóniam in ætérnũ miſericórdia ejus;

Et edúxit Iſrael per médium ejus; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et excúſſit Pharaónem, & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui tradúxit pópulum ſuũ per desértum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui percúſſit reges magnos; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et occídit reges fortes; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et Og regem Baſan; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditatem; * quóniam in ætérnum miſericordia ejus;

Hæreditátem Iſrael ſervo ſuo; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtri; * quóniã in ætérnũ miſericordia ejus;

Et redémit nos ab inimícis noſtris; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui dat eſcam omni carni; * quóniã in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitemini Dómino dóminorum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

PSALMUS 147.

Eccleſia ad laudes Dei invitatur, quòd ei eloquia ſua commiſerit.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacẽ; * & ádipe fruméti sátiat te;

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanã; * nébulam ſicut cínerẽ ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuũ Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

FERIA QUINTA.

Dixit Deus: Producant aquæ, &c. Gen. 1. Eâdem die animæ cibum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.

OFFICII FINIS.

Deus in ſua erga homines charitate adorandus: hinc amor Dei & proximi.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

PRO I. NOCTURNO.

PSALMUS 25.

Quàm ſuave puræ conſcientiæ teſtimonium: decorem domûs Dei diligit juſtus.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; * & in Dómino ſperans, non infirmabor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos, & cor meum:

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis; * & cum iniqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium; * & cum ímpiis non ſedebo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam; * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quórum mánibus iniquitátes ſunt; * déxtera eorum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréſſus ſum: * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in diré͡cto: * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 39.

Antiquarum hoſtiarum loco ſe ſubſtituit Chriſtus: ipſe obedientiæ typus.

EXpéctans expectávi Dóminũ, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas; * & edúxit me de lacu miſériæ & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos: * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi & timébunt, * & ſperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpéxit in vanitátes & inſánias falſas.

Multa feciſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; *

& cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

Annuntiávi & locutus ſum: * multiplicati ſunt ſuper númerum.

Sacrificiũ & oblatiónẽ noluíſti;* aures autẽ perfeciſti mihi.

Holocaúſtum & pro peccáto non poſtuláſti; * tunc dixi; Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntátem tuã: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna; * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti.

Juſtitiã tuam non abſcóndi in corde meo; * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei; * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundantur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimam meã, * ut auferant eam.

Convertántur retrórſum, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & læténtur ſuper te omnes quæréntes te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum, & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale: Chriſti, & eccleſiæ dotes.

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúſa eſt grátia in labiis tuis; * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi; * virga direc-

tiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátẽ: proptérea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere populum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in ſæculum ſæculi.

PRO II. NOCTURNO.

Psalmus 45.

Eccleſia ex Dei tutelâ & beneficiis inconcuſſa.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram; * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Mirabilis Chriſti in Eccleſiam beneficentia.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eā.

Quoniam ecce reges terræ congregáti ſunt; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 60.

Juſtus ab inimicis liberatus: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiarétur cor meū; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuó in ſæcula; * prótegar in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Permanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

PRO III. NOCTURNO.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum pacificum, amplum, & omni bonorum copiâ felix.

DEus, judícium tuum regi da; * & juſtitiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem Pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem;

Et permanébit cum ſole, & ante lunam; * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare; * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent, * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit paúperem à potente; * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eorum; * & honorábile nomen eorũ coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper; * totâ die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſæcula: * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificabũt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in æternum; * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

PSALMUS 83.

Ex ſummis domûs Dei bonis, vehementer in atria Domini deſiderat juſtus.

QUàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivũ.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſæcula

ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaúdi oratiónem meam; * aúribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui;

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

PSALMUS 86.

Quantùm Eccleſiam prædiligit Chriſtus.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio eſt in te.

AD LAUDES.

PSALMUS 107.

Ad Dei nutum paratum cor juſti: vana ſalus hominis; ſolus ſalvans Deus.

PArátū cor meum, Deus, parátū cor meum: * cantábo, & pſallā in glória mea.

Exúrge, glória mea: exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * ſalvum fac dexterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * exultábo & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam extendam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me uſque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos, * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Domino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatione.

Scitote quoniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſione, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generationem & generatiónem véritas ejus.

PSALMUS 80.

Exultandum Deo qui tot beneficia contulit.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum; * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubá, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguã quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cophino ſerviérunt.

In tribulatione invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquã contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te, * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meã, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinvẽtiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibavit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

CANTICUM ISAIÆ 12.

COnfitébor tibi, Dómine, quoniam irátus es mihi: *convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus,* & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fontibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementote quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſrael.

In Feſtis dicitur CANTICUM *Tob.* 13.

BEnedícite Dñm, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúſalem cívitas Dei, * caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, * & bénedic Deum ſæculórum,

Ut reædíficet in te tabernáculum ſuum, & révocet ad te omnes captívos, * & gaúdeas in ómnia ſæcula ſæculórum.

Luce ſpléndidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient: * & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum,

Et terram tuâ in ſanctificatiónē habébunt. * Nomen enim magnū invocábunt in te.

Maledicti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabuntur ad Dóminum.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 145.

Non hominibus fidendum, ſed Deo, cujus opera & beneficia narrantur.

LAuda, ánima mea, Dóminū; * laudabo Dóminum in vita mea; pſallā Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedí-

tos : * Dñus illúminat cæcos :
Dóminus érigit eliſos : *
Dominus diligit juſtos :

Dominus cuſtódit ádvenas ; pupillum & víduam ſuſcípiet ; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula Deus tuus, Sion, * in generatiónē & generatiónem.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

TErris redux ſol émicat :
Aris litándus mox adeſt
Chriſtus : miníſtri Núminis,
Hymnos ſacris præmittite.

Non læſa tortóris manu
Procúmbit inſons hóſtia :
Hæc incruénto cæditur
Amóris enſe víctima.

Qui charitáte prævià
Nos, Chriſte, tantum diligis,
Te quanta nobis óptimum
Probant paréntem pígnora !

Ad hunc canálē, quo fluūt
Noſtræ ſalútis rívuli,
Mens currat, & cæléſtium
Prælíbet undas flúminum.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúſa córdibus
Ardéſcit imis cháritas. Amen.

PSALMUS 88.

Miſericordiæ Dei canticum : promiſſiones Davidi factæ ; Chriſtum differri humilis querela.

MIſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábo veritátem tuam in ore meo ;

Quóniam dixíſti : In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis ; * præp tur véritas tua in eis.

Diſpóſui teſtaméntū c meis ; * jurávi David meo : Uſque in ætérnum parábo ſemen tuum ;

Et ædificábo in gene nem & generatiónem dem tuam.

Confitebúntur cœli rabilia tua, Dómine étenim veritátem tuam clésia ſanctórum ;

Quóniam quis in núl æquabitur Dómino, * miiis erit Deo in fíliis

Deus, qui glorificátu concílio ſanctórū, * mag & terríbilis ſuper omnes, in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútu quis símilis tibi ? * pote Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris ; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum : * in bráchio virtútis tuæ diſperſíſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra ; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundáſti ; * Aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultabunt ; * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua ; * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas *

præcédent fáciem tuam.

Glória Patri, &c.

Divíſio Pſalmi 88.

BEátus pópulus, * qui ſcit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in juſtítia tua exaltabúntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum:

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra, * & ſancti Iſrael regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixíſti: * Poſui adjutórium in poténte, & exaltávi electum de plebe meâ.

Invéni David ſervũ meũ, * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipſíus inimícos ejus, * & odiẽtes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericordia mea cum ipſo; * & in nómine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: * Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélſum præ régibus terræ;

In ætérnum ſervábo illi miſericordiam meam, * & teſtamentum meum fidele ipſi.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem dereliquerint fílii ejus legem meam, * & in judiciis meis non ambuláverint;

Si juſtítias meas prophanáverint, * & mandáta mea non cuſtodiérint:

Viſitabo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum:

Miſericórdiam autem meã non diſpergam ab eo; * neque nocebo in veritate mea;

Neque profanábo teſtaméntum meum, * & quæ procedunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Glória Patri, &c.

Altera Divíſio Pſalmi 88.

SEmel jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar; * Semen ejus in æternũ manébit:

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in ætérnum: * & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti & deſpexíſti; * diſtulíſti Chriſtum tuum.

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui, * profanaſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus; * poſuiſti firmamentum

ejus formídinem:

Diripuérunt eum omnes tranſeuntes viam; * factus eſt opprobrium vicínis ſuis.

Exaltáſti déxteram depriméntiũ eum; * lætificáſti omnes inimícos ejus;

Avertíſti adjutórium gládii ejus, * & non eſt auxiliátus ei in bello:

Deſtruxíſti eum ab emundatióne; * & ſedem ejus in terram colliſíſti:

Minoráſti dies témporis ejus: * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia: * numquid enim vanè conſtituíſti omnes fílios hóminum?

Quis eſt homo, qui vivet, & non vidébit mortē? * éruet ánimā ſuam de manu ínferi.

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Domine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Dómine, opprobrii ſervórum tuórũ, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérũt commutatiónem Chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Glória, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Qui ſcates fons grátiæ,
Votis favéto, Spíritus;
Verſáre mentes éfficax
Nutu, rebélles állice.

Tu pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea;
Nobíſque ſis, quâ fervidi
Te diligamus, cháritas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

PSALMUS 104.

Beneficia Iſraeli collata enumerantur.

Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus & judícia oris ejus,

Semen Abraham, ſervi ejus; * fílii Jacob elécti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in ſæculum teſtaménti ſui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham; * & juraménti ſui ad Iſaac:

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſrael in teſtaméntum ætérnum;

Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, * funículum hæreditatis veſtræ.

Cum eſſent número brevi, pauciſſimi, * & íncolæ ejus;

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere chriſtos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári. Glória.

Divíſio Pſalmi 104. Et

VOcávit (Dóminus) famem ſuper terram, * & omne firmaméntum panis contrívit.

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum; * miſit rex; & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum Dominum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſionis ſuæ;

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſrael in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum vehemēter: * & firmávit eum ſuper inimícos ejus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus. Glória.

Altera divíſio Pſalmi 104.

MIſit (Dóminus) Moyſen ſervum ſuum, * Aáron, quem elegit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórū in terra Cham.

Miſit ténebras, & obſcurávit; * & non exacerbavit ſermones ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinē; * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipſórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cíniphes * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburentem in terra ipſórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum finium eórum.

Dixit, & venit locúſta, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eorum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Lætáta eſt Ægyptus in profectióne eórum, * quia incú-

buit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum; * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérũt, & venit coturnix; * & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in ſicco flúmina;

Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum:

Et edúxit populum ſuum in exultatióne; * & eléctos ſuos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populorũ poſſedérunt;

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant. Glória, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUo dante ſol ardet, Deus,
Ignes malígnos cómprime;
Ne membra rixæ dívidant
Quæ panis unus cólligat.

Quæ Numen unum máximum
Simúlque fratres díligit,
Ramis duóbus múltiplex
Eſt una virtus cháritas.

Tibi, Pater, ſit glória,
Par Fílio, cum Spíritu,
Qui pacis auctor mútuis
Fratres revíncis néxibus.
Amen.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei: Judæorum ingratus animus.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, * & fáciunt juſtítiam in omni témpore.

Meménto noſtrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui, * víſita nos in ſalutari tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándũ in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tuâ. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 105.

PEccávimus cum pátribus noſtris, * injuſtè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt aſcendéntes in mare * mare rubrum;

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum: * ut notam fáceret poténtiam ſuam;

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & dedúxit eos in abyſſis ſicut in deſérto;

Et ſalvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánſit.

Et credidérunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt; obliti ſunt óperum ejus; * & non ſuſtinuérunt

tinuérunt consílium ejus;

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo;

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & miſit ſaturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móyſen in caſtris, * Aáron ſanctum Dómini.

Apérta eſt terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit ſuper congregatiónem Abiron;

Et exárſit ignis in ſynagóga eórum, * flamma combúſſit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérūt ſcúlptile;

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetíſſet in confractióne, in conſpéctu ejus, ut avérteret iram ejus, ne diſpérderet eos;

Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem: * non crediderúnt verbo ejus.

Et murmuravérūt in tabernáculis ſuis; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto;

Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beelphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis: * & multiplicáta eſt in eis ruína.

Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſsávit quaſsátio:

Et reputátū eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus eſt Móyſes propter eos;

Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus; * & diſtínxit in lábiis ſuis. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter gentes, * & didicérunt ópera eórum.

Et ſerviérunt ſculptílibus eórum; * & factum eſt illis in ſcándalum;

Et immolavérunt fílios ſuos, * & fílias ſuas dæmóniis;

Et effudérunt ſánguinem innocéntem; * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárū ſuárum, quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféćta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in populum ſuum, * &

abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos: * ipſi autem exacerbavérunt eum in consílio ſuo; & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit teſtaménti ſui; * & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedít eos in miſericórdias, * in conſpéctu ómniũ qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter, * & cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini ſancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo & uſque in ſæculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat. Glória, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol recédit, próximo
Locum relínquens véſperi,
Ne delitéſce méntibus,
Lux vera, Chriſti grátia.

Erróris expers ámbulat
Quicúmque te currit duce,
A calle dévius perit
Te quisquis amens ábdicat.

Laus ſit Patri cum Fílio!
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui luce greſſus præviâ
Noſtros benígnè dírigis.
Amen.

PSALMUS 106.

Deus ſuos bonis cumulare amat.

COnfitémini Dño quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci:

Et de regiónibus congregávit eos: * à ſolis ortu & occáſu: ab aquilóne & mari:

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſuriéntes & ſitiéntes; * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia ſatiávit ánimam inánem; * & ánimã eſuriéntem ſatiávit bonis;

Sedéntes in ténebris, & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dó-

minum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eorum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris, & umbrâ mortis; * & vincula eórum diſrúpit.

Confiteántur Domino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 106.

SUſcépit eos (Dóminus) de via iniquitatis eórum; * propter injuſtitias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abomináta eſt ánima eórum; * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis;

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et ſacríficent ſacrifícium laudis, * & annúntient opera ejus in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus; * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ, * & exaltáti ſunt fluctus ejus:

Aſcéndũt uſque ad cœlos, & deſcéndunt uſque ad abyſſos; * ánima eórum in malis tabeſcebat:

Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius; * & omnis ſapientia eórum devoráta eſt:

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum edúxit eos

Et ſtátuit procéllam ejus in auram, * & ſiluérunt fluctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntatis eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus; * & mirabília ejus filiis hominum.

Et exáltent eum in eccléſia plebis, * & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 106.

POſuit, (Dóminus) flúmina in desértum; * & éxitus aquárum in ſitim:

Terram fructíferam in ſalſúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Poſuit desértum in ſtagna aquárum, * & terram ſine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illìc eſuriéntes, * & conſtituérunt civitátem habitatiónis;

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * &

vexáti ſunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes, * & errare fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? * & intélliget miſericórdias Dómini? Glória, &c.

AD VESPERAS.

Psalmus 121.

Eccleſiæ concordia, pietas, & dotes celebrantur.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedês noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas; * cujus participátio ejus in idípſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael ad confiténdum nómini Dómini;

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abũdántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te;

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

Psalmus 127.

Quàm proſperæ ſint res timentibus Deum.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui ſicut novéllæ olivárum * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ;

Et vídeas fílios fiIiórum tuórũ; * pacem ſuper Iſrael.

Psalmus 131.

Oratio Eccleſiæ Chriſtum & ejus gratias depoſcentis.

MEménto, Dñe, David, * & omnis manſuetúdinis ejus;

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locũ Dómino: * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta; * invénimus eam in campis ſylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur juſtítiam; * & ſancti tui exúltent.

Propter David ſervũ tuũ, * non avértas fáciẽ Chriſti tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum; * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum, * & teſtimónia mea hæc, quæ docébo eos;

Et filii eórum uſque in ſæculum * sedébunt ſuper ſedem tuam;

Quóniam elégit Dóminus Sion; * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi; * hìc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedicam; * paúperes ejus ſaturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam ſalutári; * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illùc prodúcam cornu David; * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne: * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

PSALMUS 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbã, barbam Aáron; * quod deſcéndit in oram veſtiménti ejus:

Sicut ros Hermon; * qui deſcendit in montem Sion:

Quóniam illìc mandávit Dóminus benedictiónem; * & vitam uſque in ſæculum.

PSALMUS 137.

Beneficentia & veritas Dei exaltantur.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniã audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quónia m magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum;

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, *

& alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me; * Dómine, miſericórdia tua in ſæculum; ópera mánuũ tuárum ne deſpícias.

FERIA SEXTA.

Ait Deus: Faciamus hominem, &c: etiam Feriâ ſextâ hominem devium Chriſtus redemit.

OFFICII FINIS.

Deus in ſuâ erga peccatores miſericordiâ adorandus: hinc peccatorum pœnitentia; in adverſis patientia.

AD OFFICIUM NOCT.
PRO I. NOCTURNO.

PSALMUS 6.

Oratio pœnitentis miſericordiam Dei implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Domine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quoniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dominus oratiónem meã ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valde velóciter.

PSALMUS 31.

Pia adhortatio, ut quiſque ſe a peccatis abſtrahat.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátũ, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniã tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * convérſus ſũ in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitũ tibi feci, * & injuſtítiam meã non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remisíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio

aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meũ à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 37.

Mala vitæ ſuſtinenda in peccatorum vindictam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infíxæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuã.

Non eſt sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ, * & ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei, * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátẽ meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequebar bonitátẽ.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

PRO II. NOCTURNO.

PSALMUS 40.

Eleemoſynæ meritum: Judæ proditio.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî; * ſana ánimã meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et ſi ingrediébatur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur forás; * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábãt mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſraeļ à ſæculo, & uſque in ſæculum; * Fiat, fiat.

PSALMUS 54.

A fictis amicis ſervari orat Chriſtus.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam; * inténde mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea; * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me; * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit * à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique;

Et ſi is, qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos, * & deſcéndant in inférnum vivéntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus ſalvábit me.

Veſperè, & manè, & merídie narrabo & annũtiábo; * & exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſæcula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deũ; * exténdit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtamẽtum ejus, diviſi ſunt ab ira vultûs ejus; * & appropinquávit cor illíus.

Molliti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum; * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum interitûs.

Viri ſánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos; * ego autem ſperábo in te, Dómine.

PSALMUS 58.

Eccleſiæ zelus adversùs impios.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris ſánguinum ſalva me;

Quia ecce cepérunt áni-

mam meam ; * irruérunt in me fortes ;

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine ; * ſine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meum, & vide ; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſrael,

Inténde ad viſitándas omnes gentes : * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam ; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum ; * quóniam quis audívit ?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne, * in ira conſummatiónis, & non erunt

Et ſcient, quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Converténtur ad véſperam ; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum ; * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurabunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultábo manè miſericórdiam tuam ;

Quia factus es ſuſcéptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſcéptor meus es ; * Deus meus, miſericórdia mea.

PRO III. NOCTURNO.

PSALMUS 59.

Synagogæ afflictæ flebilis querimonia : auxilii divini deprecatio.

DEus, repulíſti nos, & deſtruxíſti nos ; * irátus es, & miſértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam : * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura ; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem ; * ut fúgiant à fácie arcûs ;

Ut liberéntur dilécti tui : * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo ; * Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem ta-

bernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes, * & Ephraim fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ ſubditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

P s a l m u s 69.

Chriſti ſibi opem poſcentis oratio.

Deus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur, & reveréantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum, & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moreris.

P s a l m u s 87.

Chriſtus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, ſe Deo commendat.

Domine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta eſt malis ánima mea; * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimatus ſum cum deſcendéntibus in lacum; * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mortuos liber;

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlchris, quorum non es memor ámplius; * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me.

Longè fecíſti notos meos à me; * poſuérunt me abominatiónem ſibi

Tráditus ſum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericórdiam

tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam, * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus ſum & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; * circumdedérunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

AD LAUDES.

PSALMUS 50.

Pœnitêtis animæ amara contritio.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnã miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſerationum tuárũ, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte meâ, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátẽ meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertêntur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique; * holocaúſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntate tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalẽ.

Tunc acceptábis ſacrificiũ juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

In Feſtis loco Pſalmi Miſeréré, *dicitur Pſ.* 92. Dóminus regnávit decórem &c. *in Dominicâ ad Laudes*

PSALMUS 5.

Contra malignos auxilium deprecatur juſtus.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátẽ; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus;

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vánum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecúndùm multitudinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt; & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuũ; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronaſti nos.

PSALMUS 78.

Urbis & templi vaſtitas: perſecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jeruſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum, eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem, * accendétur, velut ignis, zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gen-

tes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia paúperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter; & propter glóriam nominis tui, Dómine, líbera nos; * & propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórum?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris * últio sanguinis ſervorum tuórum, qui effúsus eſt:

Introeat in conſpéctu tuo gémitus compeditorum; * ſecúndùm magnitúdinē bráchii tui poſſide filios mortificatórum;

Et redde vicínis noſtris séptuplum in ſinu eórum; * impropérium ipsórum quod exprobravérunt tibi, Dñe.

Nos autem pópulus tuus, & oves paſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſæculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiabimus laudem tuam.

CANTICUM Habacuc 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab Auſtro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

Operuit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus:

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus, * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpéxit, & diſſólvit gentes; * & contriti ſunt montes ſæculi.

Incurváti ſunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiopiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui aſcendes ſuper equos tuos; * & quadrígæ tuæ, ſalvátio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juramenta tríbubus, quæ locutus es.

Fluvios ſcíndes terræ: vidérunt te, & doluerunt montes; * gurges aquárum tranſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuã; * altitúdo manus ſuas levavit.

Sol & luna ſteterunt in ha-

bitáculo ſuo, * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulguràntis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * in furóre obſtupefácies gentes.

Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum chriſto tuo.

Percuſſíſti caput de domo ímpii; * denudaſti fundaméntũ ejus uſque ad collum.

Maledixíſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad diſpergéndum me.

Exultátio eórum, * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam fecíſti in mari equis tuìs, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus: * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcáteat;

Ut requiéſcam in die tribulatiónis; * ut aſcéndam ad pópulum accínctum noſtrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus; * & non erit arméntum in præſépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quaſi cervórum;

Et ſuper excélſa mea dedúcet me victor * in pſalmis canentem. Glória.

In Feſtis dicitur CANTICUM *Tob.* 13.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * & in ómnia ſæcula regnum tuum;

Quóniam tu flagéllas & ſalvas; dedúcis ad ínferos & redúcis: * & non eſt qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Iſrael, * & in conſpéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ídeò diſpérſit vos inter gentes quæ ignórant eum; * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis ſcire eos, * quia non eſt álius Deus omnípotens præter eum.

Ipſe caſtigávit nos propter iniquitátes noſtras; * & ipſe ſalvabit nos propter miſericórdiam ſuam.

Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; * regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam oſténdit majeſtátem ſuam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, * credéntes quod fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuam.

Ego autem, & ánima mea *

in eo lætábimur. Glória.

PSALMUS 95.

Cantatur per Chriſtum facta ſalus: ipſe judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Domino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; * in omnibus populis mirabília ejus;

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis; * terribilis eſt ſuper omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dominus autem cœlos fecit.

Confeſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Domino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nomini ejus.

Tollite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in atrio ſancto ejus.

Commoveátur à facie ejus univerſa terra; * dicite in géntibus, quia Dóminus regnavit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovebitur; * judicabit populos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniã venit judicáre terram:

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvam redúxit ſol diem:
Mortis tuæ per grátiam,
O Chriſte, vitæ rédditos.
Novis tuére víribus.

Livóre ſanátos tuo,
Tuóque lotos ſánguine,
Peccando ne novam ſinas,
Paráre nos tibi crucem.

Per damna, per penúrias
Vitæque per diſcrímina,
Da, militemus súbditis
Tibi, Redémptor, córdibus.

Crux eſt gradus, quâ téndere
Ad alta fas eſt átria:
Cœli futúris álterum
Iter negatur cívibus.

O ſempiterna Trínitas,
Nos ferre lætos fac crucem
Spinis coronatum caput
Membris ruberet mollibus.
Amen.

PSALMUS 108.

Chriſtus Judæ proditori, aliiſque impiis digna, pœnas; ſibi autem ſalutem precatur.

DEus, laudem meam ne tacueris; * quia os peccatóris, & os doloſi ſuper me apértum eſt.

Locuti ſunt advérſum me linguâ doloſâ, & ſermónibus odii circumdedérunt me; *

expugna-

& expugnavérunt me gratis.
Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.
Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.
Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 108.

CONſtitue (Dómine) ſuper eum peccatorem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.
Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & oratio ejus fiat in peccátum:
Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.
Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.
Nutántes transferántur filii ejus, & mendicent, * & ejiciantur de habitatiónibus ſuis.
Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant alieni labóres ejus.
Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.
Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleatur nomen ejus.
In memóriam redeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Domini; * & peccátum matris ejus non deleatur.
Fiant contra Dominum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;
Pro eo quod non eſt recordátus fácere miſericordiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.
Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.
Et índuit maledictionem ſicut veſtiméntum; * & intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.
Fiat ei ſicut veſtiméntum quo operitur, * & ſicut zona quâ ſemper præcingitur.
Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dominum, * & qui loquúntur mala advérsus animam meã.
Et tu, Domine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuavis eſt miſericórdia tua. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 108.

LIbera me, quia egenus & pauper ego ſum; * & cor meum conturbátum eſt intra me.
Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.
Genua mea infirmata ſunt à jejúnio, * & caro mea immutata eſt propter oleum.
Et ego factus ſum opprobrium illis; * vidérunt me, & moverunt cápita ſua.
Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſecundùm miſericórdiam tuã.
Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, feciſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui inſúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui detrahunt mihi, pudóre; * & operiántur ſicut diploide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia aſtitit à dextris paúperis, * ut ſalvam faceret à perſequéntibus ánimam meã.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Spíritus qui póſtulas
Miris gemens ſuſpíriis!
Chriſti fluéntis úberes
Fructus rependé ſánguinis.

Cruóre dum litans ſuo
Fit noſtra Chriſtus víctima,
Deo placéntes hóſtias
Mentes amóre cónſecra.

Laus ſit Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui parta Chriſti ſánguine
Nobis rependis præmia.
Amen.

PSALMUS 68.

Variæ paſſionis Chriſti circumſtantiæ.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meã.

Infixus ſum in limo profúndi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos capitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael;

Quóniam propter te ſuſtínui opprobrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus filiis matris meæ;

Quóniam zelus domûs tuæ comedit me, * & opprobria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et operui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meũ cilícium; & factus ſum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui ſedébant in porta; * & in me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meã ad te, Dómine: * tempus beneplaciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquarum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 68.

Exaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndum multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropériũ meũ, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tribulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non inveni.

Et dedérunt in eſcam meã fel; * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant; * & dorſum eórum *ſemper incúrva.*

Effúnde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eórum deſerta; * & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet;

Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper doló em vulnerum meorum addidérunt.

Appone iniquitátem ſuper iniquitatem eorum; * & non intrent in juſtitiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; * & cum juſtis non ſcribantur. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 68.

Ego ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcepit me.

Laudabo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra;

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpexit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitabunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidebit eam; * & qui *díligunt* nomen ejus, habitá-

bunt in ea. Glória, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi ſolis ignes das, Deus,
Ignes coérce nóxios:
Lethále virus éxulet,
Quo pectus ardet ínvidum.
Extíngue bella plúrimis
Exóſa jam cruóribus
Tuóque germen lítium
Agro nocívum ſúbmove.
O Trínitas, unus Deus,
Te deprecámur ſúpplices,
Unum quibus Chriſtus caput,
Uno movéri ſpíritu. Amen.

PSALMUS 21.

Chriſtus moriturus Patrem in cruce obſecrat, ut ſibi adſit.

DEus, Deus meus, réſpice in me; quare me dereliquíſti? * longe à ſalúte mea verba delictórum meorum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaudíes; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo, * oppróbrium hóminum, & abjectio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locuti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 21.

NE diſceſſeris à me, quóniam tribulátio próxima eſt, * quóniam non eſt qui adjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liquéſcens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis; * & in pulverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concilium malignantium obſedit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi vero conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne

elongáveris auxílium tuum à me; * ad defenſionem meã cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum frátribus meis: * in médio eccléſiæ laudábo te.

Gloria, &c.

Altera diviſio Pſalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael; * quóniam non ſprevit, neque deſpexit deprecatiónem páuperis;

Nec avertit fáciem ſuam à me; * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpéctu timéntiũ eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur; & laudabunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eorum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univerſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univerſæ famíliæ géntium;

Quoniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi vivet; * & ſemen meum ſerviet ipſi.

Annuntiabitur Dómino generatio ventura; * & annuntiabunt cœli juſtitiam ejus pópulo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Gloria, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

EN orbe noſtro ſol fugit:
Ætérne, tu ſplendor Patris,
Si, Chriſte, nobis occubes,
Mox cordis umbrat cæcitas.

Quid ergo ceſſas? ingruunt
Intus, foris pericula
Hoſti ne præda linquimur,
Tuo redempti ſanguine?

Turbáta quid mens flúctuat?
Curâ patérnâ nos regis;
Deus, paterne quos amas
Tuo beábis lúmine. Amen.

PSALMUS 30.

Ultima verba Chriſti morientis, & ſe Deo in morte committentis.

IN te, Domine, ſperávi, non confundar in æternũ: * in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuã, * accelera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitudo mea, & refugium meum es tu; *

& propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum: * redemíſti me, Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervantes vanitátes * ſupervacuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo & lætábor in miſericórdia tua;

Quoniam reſpexíſti humilitátem meam, * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meá;

Nec concluſiſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatioſo pedes meos.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére mei, Dómine, quoniam tribulor: * conturbatus eſt in ira oculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemitibus

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriū, & vicinis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde; * factus ſum tamquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperationem multórum commorantium in circuitu: * in eo dum convenírent ſimul advérsùm me, accípere ánimam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperavi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequentibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum: * ſálvum me fac in miſericórdia tua.

Domine, non confúndar quoniam invocávi te; * erubeſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolóſa, * quæ loquúntur advérsus juſtum iniquitatem, in ſupérbia, & in abuſióne.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 30.

QUam magna multitúdo dulcedinis tuæ, Dómine, * quam abſcondiſti timentibus te!

Perfeciſti eis qui ſperant in te, * in conſpectu filiorum hominum.

Abſcondes eos in abſcóndito faciei tuæ, * à conturbatióne hominum.

Proteges eos in tabernáculo tuo, * a contradictióne linguarum.

Benedictus Dóminus; * quóniam mirificavit miſericórdiam ſuam mihi in civitate munita

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projectus

ſum à fácie oculórum tuorum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritatem requiret Dominus, & retríbuet abundanter faciéntibus ſupérbiam.

Viriliter agite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperatis in Domino.

Glória, &c.

AD VESPERAS.

PSALMUS 128.

Recensis eccleſiæ prælia.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricaverunt peccatóres; * prolongaverunt iniquitatem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatorum; * confundántur & convertántur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquam evellátur, exaruit;

De quo non implévit manum ſuam qui metit; * & ſinum ſuum qui manípulos colligit:

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Domini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Domini.

PSALMUS 129.

Redemptio pœnitenti à Chriſto promiſſa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſervaveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtinui te, Dómine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: * ſperavit anima mea in Dómino.

A cuſtodia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Domino;

Quia apud Dóminum miſericordia, * & copioſa apud eum redémptio;

Et ipſe redimet Iſrael * ex ómnibus iniquitatibus ejus.

PSALMUS 130.

Humilitas, gratum Deo ſacrificium.

DOmine, non eſt exaltatum cor meum; * neque elati ſunt oculi mei;

Neque ambulavi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltavi ánimã meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea:

Speret Iſrael in Dómino, *

in eo lætábimur. Glória.

PSALMUS 95.

Cantatur per Chriſtum facta ſalus: ipſe judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Domino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; * in omnibus populis mirabilia ejus;

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis; * terribilis eſt ſuper omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dominus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Domino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra; * dícite in géntibus, quia Dóminus regnavit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicabit populos in æquitáte.

Lætentur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniã venit judicáre terram:

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvam redúxit ſol diem:
Mortis tuæ per grátiam,
O Chriſte, vitæ rédditos.
Novis tuére viribus.

Livóre ſanátos tuo,
Tuóque lotos sánguine,
Peccando ne novam ſinas,
Paráre nos tibi crucem.

Per damna, per penúrias
Vitæque per diſcrímina,
Da, militemus súbditis
Tibi, Redémptor, córdibus.

Crux eſt gradus, quâ téndere
Ad alta fas eſt átria:
Cœli futúris álterum
Iter negatur cívibus.

O ſempiterna Trínitas,
Nos ferre lætos fac crucem
Spinis coronátum caput
Membris rubéret móllibus.
Amen.

PSALMUS 108.

Chriſtus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas; ſibi autem ſalutem precatur.

DEus, laudem meam ne tacueris; * quia os peccatóris, & os doloſi ſuper me apértum eſt.

Locuti ſunt advérsùm me linguâ doloſâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * expugna-

& expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 108.

Conſtítue (Dómine) ſuper eum peccatórem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & oratio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopatum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant alieni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quod non eſt recordátus fácere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificare.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in oſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meã.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 108.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meum conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſecúndum miſericórdiam tuã.

Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, feciſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui inſúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætabitur.

Induántur, qui detrahunt mihi, pudóre; * & operiántur ſicut diploide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudabo eum;

Quia aſtitit à dextris paúperis, * ut ſalvam faceret à perſequéntibus animam meã.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Spíritus qui póſtulas
Miris gemens ſuſpíriis!
Chriſti fluéntis úberes
Fructus repénde ſánguinis.

Cruóre dum litans ſuo
Fit noſtra Chriſtus víctima,
Deo placéntes hoſtias
Mentes amóre cónſecra.

Laus ſit Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui parta Chriſti ſánguine
Nobis repéndis præmia.
Amen.

PSALMUS 68.

Variæ paſſionis Chriſti circumſtantiæ.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meã.

Infixus ſum in limo profúndi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capillos capitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rapui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael;

Quóniam propter te ſuſtínui opprobrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus filiis matris meæ;

Quoniam zelus domûs tuæ comedit me, * & opprobria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meũ cilícium; & factus ſum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui ſedébant in porta; * & in me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meã ad te, Dómine: * tempus beneplaciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritate ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquarum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropériū meū, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpectu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invénī.

Et dedérunt in eſcam meā fel; * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant; * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitatio eórum deſérta; * & in tabernáculis eorum non ſit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vulnerum meórum addidérunt.

Appone iniquitátem ſuper iniquitatem eórum; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; * & cum juſtis non ſcribántur. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra;

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitá-

bunt in ea. Gloria, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi ſolis ignes das, Deus,
Ignes coërce nóxios:
Lethále virus éxulet,
Quo pectus ardet ínvidum.
Extíngue bella plúrimis
Exóſa jam cruóribus
Tuóque germen lítium
Agro nocívum ſúbmove.
O Trínitas, unus Deus,
Te deprecámur ſúpplices,
Unum quibus Chriſtus caput,
Uno movéri ſpíritu. Amen.

PSALMUS 21.

Chriſtus moriturus Patrem in cruce obſecrat, ut ſibi adſit.

DEus, Deus meus, réſpice in me; quare me dereliquíſti? * longe à ſalúte mea verba delictórum meorum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaudies; * & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo, * opprobrium hóminum, & abjectio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locuti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, eripiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxíſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ;

In te projéctus ſum ex utero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 21.

NE diſcéſſeris à me, quóniam tribulátio proxima eſt, * quóniam non eſt qui adjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis; * & in pulverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concilium malignantium obſedit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi veró conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne

longáveris auxílium tuum à me; * ad defenſionem meã cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum frátribus meis: * in médio eccléſiæ laudábo te.

Gloria, &c.

Altera diviſio Pſalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael; * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem paúperis;

Nec avertit fáciem ſuam à me; * & cum clamárem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpectu timéntiũ eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur; & laudabunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univerſæ famíliæ géntium;

Quoniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ:* in conſpectu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi vivet; * & ſemen meum ſerviet ipſi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura; * & annuntiabunt cœli juſtitiam ejus pópulo qui naſcetur, quem fecit Dóminus.

Glória, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

EN orbe noſtro ſol fugit:
Ætérne, tu ſplendor Patris,
Si, Chriſte, nobis occubes,
Mox cordis umbrat cæcitas.

Quid ergo ceſſas? ingruunt
Intus, foris perícula
Hoſti ne præda linquimur,
Tuo redémpti ſánguine?

Turbáta quid mens flúctuat?
Curâ patérnâ nos regis;
Deus, patérne quos amas
Tuo beábis lúmine. Amen.

PSALMUS 30.

Ultima verba Chriſti morientis, & ſe Deo in morte committentis.

IN te, Domine, ſperávi, non confúndar in æternũ: * in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuã,* accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; *

& propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commméndo ſpíritum meum: * redemíſti me, Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervantes vanitátes * ſupervacuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo & lætábor in miſericórdia tua;

Quoniam reſpexíſti humilitátem meam, * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meā;

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meì, Dómine, quoniam tribulor: * conturbatus eſt in ira oculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriū, & vicinis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * forâs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde; * factus ſum tamquam vas perditum;

Quóniam audívi vituperationem multórum commorantium in circúitu: * in eo dum convenírent ſimul adverſùm me, accípere ánimam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperavi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequentibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum: * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Domine, non confúndar quoniam invocávi te; * erubeſcant ímpii, & deducántur in infernum.

Muta fiant lábia dolóſa, * quæ loquúntur advérsus juſtum iniquitatem, in ſupérbia, & in abuſióne.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 30.

QUam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondiſti timentibus te!

Perfecíſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiorum hóminum.

Abſcondes eos in abſcóndito faciei tuæ, * à conturbatióne hominum.

Proteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus; * quóniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitáte muníta

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ: * Projectus

ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritatem requiret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viriliter agite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Glória, &c.

AD VESPERAS.

PSALMUS 128.

Recentis eccleſiæ prælia.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres; * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum; * confundántur & convertántur retrorsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquam evellátur, exaruit;

De quo non implévit manum ſuam qui metit; * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui prætéribant: Benedíctio Dómini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

PSALMUS 129.

Redemptio pœnitenti à Chriſto promiſſa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaúdi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtinui te, Dómine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

PSALMUS 130.

Humilitas, gratum Deo ſacrificium.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum; * neque elati ſunt óculi mei;

Neque ambulavi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimã meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea:

Speret Iſrael in Dómino, *

ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Chriſtus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde; * totâ die conſtituebant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpéntis; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iniquis eripe me,

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos; * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaúdi, Dómine, vocem deprecationis meæ.

Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli:

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes; in ignem dejícies eos; * in miſeriis non ſubſíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injúſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

PSALMUS 140.

In adverſis patientia.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me; * inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo: * elevátio manuum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiâ ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ, * ad excuſandas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicábo cum eléctis eorum.

Corrípiet me juſtus in miſericordia, & increpábit me; * oleum autem peccatóris non impinguet caput meum;

Quoniam adhuc & orátiô mea * in beneplácitis eórum.

Abſórpti ſunt juncti petræ júdices eórum; * aúdient verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ e-

rúpta eſt ſuper terram ; * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecus inférnum.

Quia ad te , Dómine , Dómine, óculi mei ; * in te ſperávi , non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi , * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * ſinguláriter ſum ego , donec tránſeam.

SABBATO.

Deus requievit ab omni opere, &c. Gen. 2.

OFFICII FINIS.

Deus remunerator in æterna , quam nobis paravit , requie laudandus : hinc æternæ beatitudinis deſiderium.

AD OFFICIUM NOCT.
PRO I. NOCTURNO.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine , quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo ?

Qui ingréditur ſine mácula, * & operátur juſtítiam ;

Qui loquitur veritátem in corde ſuo ; * qui non egit dolum in lingua ſua ,

Nec fecit próximo ſuo malum , * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malígnus; * timéntes autem Dóminum gloríficat :

Qui jurat próximo ſuo , & non décipit ; * qui pecuniã ſuam non dedit ad uſúram , & múnera ſuper innocéntẽ non accépit.

Qui facit hæc , * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 16.

Juſtus ab inimicis liberari poſcit : beatitudinis ſpes.

EXaúdi , Dómine , juſtítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónẽ meam , * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum prodeat : * oculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum , & viſitáſti nocte : * igne me examináſti ; & non eſt invénta in me iníquitas ;

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis , * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi , quóniam exaudíſti me , Deus : * inclína aurem tuam mihi ; & exaúdi verba mea.

Miríﬁca miſericórdias tuas , * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me , * ut pupíllam oculi.

Sub umbra alárum tuárũ prótege me , * à fácie im-

piórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei animam meã circumdedérunt; ádipem ſuũ concluſérunt : * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * oculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt filiis; * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo: * ſatiábor cum apparúerit glória tua.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo; æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo ?

Dum appropiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si conſiſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperabo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quoniam abſcóndit me in tabernaculo ſuo : * in die malorum protexit me in abſcondito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meũ ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantabo, & pſalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére mei, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum; Exquiſivit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declines in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelínquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige

me in ſémitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra viventium.

Expécta Dominum, viríliter age; & confortetur cor tuum, * & ſúſtine Dominum.

PRO II. NOCTURNO.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia: justitia Dei: juſtorum gloria.

DIxit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolóſè egit in conſpéctu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus; * nóluit intelligere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubíli ſuo; aſtitit omni viæ non bonæ; * malitiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo miſericórdia tua, * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei: * judícia tua abyſſus multa.

Homines & juménta ſalvábis, Domine, * quemádmodum multiplicaſti miſericórdiam tuam, Deus.

Filii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum ſperábunt.

Inebriabúntur ab ubertate domús tuæ, * & torrente voluptatis tuæ potabis eos;

Quoniam apud te eſt fons vitæ, * & in lúmine tuo videbimus lumen.

Prætende miſericórdiam tuam ſcientibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non veniat mihi pes ſupérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitatem; * expulſi ſunt, nec potuérunt ſtare.

PSALMUS 38.

Mundi contemptus: vitæ brevitas: æterni refrigerii deſiderium.

DIxi: Cuſtódiam vias meas, * ut non delinquá in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm conſiſteret peccator adversum me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſilui à bonis; * & dolor meus renovatus eſt.

Concaluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſũ in lingua mea; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórũ, quis eſt, * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos; * & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vá-

nitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur:

Theſaurízat; * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbriũ inſipiénti dedíſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manus tuæ ego defeci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcére fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaúdi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * aúribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas; quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

PSALMUS 41.

Solatium juſti, ſpes melioris vitæ.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquarum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam;* quóniam transibo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei,

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat,* in voce cataractárũ tuárum.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo; Suſcéptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contriſtátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per ſingulos dies ; * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitebor illi ; * ſalutare vultûs mei, & Deus meus.

PRO III. NOCTURNO.

PSALMUS 48.

Nihil contra infernum proſunt opes ; juſtitia ſola ex eo eripit.

AUdíte hæc, omnes gentes : * aúribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & fílii hominum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquetur ſapiéntiam ; * & meditátio cordis mei prudentiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam ; * apériam in pſaltério propoſitionem meam.

Cur timébo in die mala ? * iníquitas calcanei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiarum ſuárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placationem ſuam,

Et pretium redemptiónis ánimæ ſuæ : * & laborábit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit ſapiéntes moriéntes :

Simul insípiens & ſtultus períbunt ; * & relinquent alienis divítias ſuas ;

Et ſepúlchra eorum domus illorum in ætérnum ; tabernacula eórum in progenie & progénie : * vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit : * comparátus eſt juméntis inſipientibus, & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis : * & poſtea in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti ſunt : * mors depaſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno ; * & auxilium eórum veteráſcet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet animam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ne timúeris cum dives factus fuerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia ; * neque deſcéndet cum eo glória ejus :

Quia ánima ejus in vita ipſius benedicétur ; * confitébitur tibi cum benefeceris ei.

Introibit uſque in progénies patrum ſuorum ; * & uſque in ætérnum non videbit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt jumentis inſipiéntibus, & ſímilis factus eſt illis.

P S A L M U S 57.

Malorum ſupplicia, bonorumque præmia, Deum juſtum arguent.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero; * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſorũ; * molas leónũ confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum ſuum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priùſquam intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * utique eſt Deus júdicans eos in terra.

P S A L M U S 79.

Miſeriarum finis per Chriſti adventum exoratur.

QUi regis Iſrael, inténde; * qui dedúcis velut ovem, Joſeph:

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtáre coram Ephraim, Benjamin, & Manáſſe.

Excita poténtiam tuam; & veni, * ut ſalvos fácias nos.

Deus, convérte nos, * & oſtende fáciem tuam; & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lacrymis in menſúra?

Poſuíſti nos in contradictiónem vicinis noſtris; * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos; * & oſténde faciem tuam; & ſalvi érimus.

Víneam de Ægypto tranſtuliſti; * ejecíſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus; * plantáſti radíces ejus; & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbuſta ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites ſuos uſque ad mare ; * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxíſti macériam ejus ; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam ?

Exterminávit eam aper de ſylva, * & ſinguláris ferus depáſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere ; * réſpice de cœlo, & vide, & viſita víneam iſtam :

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi.

Incénſa igni, & ſuffóſſa : * ab increpatióne vultûs tui peribunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ, * & ſuper filium hóminis quem confirmáſti tibi.

Et non diſcédimus à te : * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos, * & oſténde fáciem tuam ; & ſalvi érimus.

AD LAUDES,

PSALMUS 23.

Dei imperium in omnia : ſolus juſtus ſtabit in loco ſancto : Chriſti ad cœlos aſcenſus.

Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus ; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo ;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcendet in montem Dómini ? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimā ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras ; & elevámini, portæ æternáles ; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras ; & elevamini, portæ æternáles ; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

PSALMUS 61.

Vanus impii conatus adversùs juſtum : divitiæ contemnendæ : Deus juſtus remunerator.

Nonne Deo ſubjécta erit ánima mea ? * ab ipſo enim ſalutáre meum ;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus ; * ſuſcéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúſque irrúitis in hóminem ? * interfícitis univerſi vos, tamquā paríeti inclináto, & macériæ depulſæ ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repéllere; cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quoniã ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnũ.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in ſtatéris, * ut decípiãt ipſi de vanitáte in idípſũ.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audívi; quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

PSALMUS 100.

Miſericordiæ & juſtitiæ divinæ laus: bene vivendi norma.

Miſericórdiã & judíciũ * cantabo tibi, Domine.

Pſallam, & intélligam in via immaculata, * quando venies ad me.

Perambulabam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injúſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum: * declinántem à me malígnum non cognoſcébã.

Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo, * hunc perſequébar.

Supérbo óculo & inſatiábili corde; * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut ſédeant mecum; * ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit ſupérbiam: * qui loquitur iníqua, non diréxit in conſpéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébã omnes peccatóres terræ, * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

CANTICUM MOYSI *Deut.* 32.

Udíte, cœli, quæ loquor: * aúdiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum,

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * Dei perfécta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitate, juſtus & rectus; * peccavérunt ei, & non

filii

filii ejus in sórdibus.

Generátio prava atque pervérſa, * hæccine reddis Dómino, pópule ſtulte & inſípiens ?

Numquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſsedit te, & fecit, & creávit te ?

Meménto diérum antiquórum: * cogita generatiónes ſíngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; * majóres tuos; & dicent tibi:

Quando dividebat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat filios Adam,

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Iſrael.

Pars autem Dómini, pópulus ejus; * Jacob funiculus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis:

Circumdúxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit; * & non erat cum eo Deus aliénus:

Conſtítuit eum ſuper excélſam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de ſaxo duríſſimo.

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan:

Et hircos cum medúlla trítici; * & sanguinem uvæ biberet meracíſſimum

Incraſsatus eſt diléctus, & recalcitrávit: * incraſſátus, impinguátus, dilatatus.

Dereliquit Deum factorem ſuum, * & recéſſit à Deo ſalutari ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis,* & in abominationibus ad iracúndiam concitavérunt:

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorabant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquiſti, * & oblítus es Dómini creatoris tui.

Vidit Dominus, & ad iracúndiam concitatus eſt; * quia provocaverunt eum filii ſui, & fíliæ.

Et ait: Abſcóndam fáciem meam ab eis, * & conſiderabo noviſſima eórum:

Generatio enim pervérſa eſt, * & infidéles filii:

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus ſuis;

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccénſus eſt in furóre meo, * & ardébit uſ-

que ad inférni noviſſima :

Devorabitque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundamenta comburet.

Congregabo ſuper eos mala ; * & ſagittas meas complebo in eis.

Conſuméntur fame, * & devorábunt eos aves morſu amariſſimo :

Dentes beſtiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem ſimul ac vírginem, lacténtem cum hómine ſene.

Dixi : Ubinam ſunt ? * ceſſáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum diſtuli ; * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent : Manus noſtra excélſa, * & non Dóminus fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia : * útinam ſáperent, & intellígerēt, ac noviſſima providérent !

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia ?

Nonne ídeò, * quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dóminus conclúſit illos ?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum : * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomórrhæ :

Uva eórum, uva fellis, * & botri amariſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſáuris meis ?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis ; * & adeſſe feſtinant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerebitur :

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſúmpti ſunt.

Et dicet : Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam ?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum :

Surgant, & opituléntur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me :

Ego occídam, & ego vívere fáciam ; percútiam, & ego ſanábo ; * & non eſt qui de manu mea poſſit crúere.

Levábo ad cœlum manum meam, * & dicam : Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis ; * & his qui odérunt me, retríbuam ;

Inebriábo ſagíttas meas ſánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eorum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Glória, &c.

In Feſtis dicitur: CANTICUM *Iſa.* 26.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion: * Salvátor pónetur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Speráſtis in Dómino in ſæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * détrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte:* ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cum féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non vidébit glóriā Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundantur zelántes pópuli; * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.

PSALMUS 149.

Deo ſanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo qui fecit eum; * & fílii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dño in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória; * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis ;

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum : * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

DUm ſolis orti lux micat,
Menti recúrrat hæc dies,
Quam vix adúmbrat ſpléndida
Flammántis aſtri cláritas.

Caduca nobis præmia
Offert levis mundi favor :
Perénne pondus glóriæ
Æquantne nugæ ſæculi ?

Quis det mihi velócibus
Pennis colúmbæ rémigem !
Surgam volátu líbero,
Mundi fugácis ímmemor.

Huc vota tendunt córdium:
Sed hæc negátur glória ;
Ni férvidi pro præmio
Nunc præliémur mílites.

Felix labor, quem Número,
Deus, remúneras tuo !
Fac tanta nos pro víribus.
Cœli meréri gaúdia. Amen.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati : ob religionem & futuram requiem omnia ſuſtinenda.

DEus, aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantaſti eos : * afflixíſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos :

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe rex meus & Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo, * & gládius meus non ſalvábit me :

Salváſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudíſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die ; * & in nómine tuo confitébimur in ſæculum.

Nunc autem repuliſti, & confudíſti nos ; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros ; * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tamquam oves eſcárum, * & in géntibus diſperſíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannatiónem & deriſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt; * & confuſio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis & obloquèntis; * à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos; nec oblíti ſumus te, * & iníquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non receſſit retrò cor noſtrum, * & declinaſti sémitas noſtras à via tua;

Quóniam humiliaſti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſalmi 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri,* & ſi expándimus manus noſtras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos; * & rédime nos propter nomen tuum.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

COeléſtis auctor grátiæ,
Qui nos adóptas filios,
Fac, mens ſuî jam nil memor
Domos repóſcat pátrias.

Adoptiónem flétibus
Efflagitámus íntegram,
Cui nos ſacráto, Spíritus,
Prædeſtináſti pígnore.

Da nos, Deus, qui túrbidâ
Jactámur undâ ſæculi;
Cœli ſedéntes líttore,
Pleno fruámur ótio. Amen.

PSALMUS 72.

Si improbi in hac vita felices; probi, quòd ſua quemque præmia maneant, conſolatione levantur.

QUam bonus Iſrael Deus * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei;

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia; * opérti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum; * tranſiérunt in affectum cordis:

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam; * iniquitátem in excelſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum. * & lingua eorum tranſívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt; Quómodo ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excélſo? Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 72.

ECce ipſi peccatóres, & abundántes in ſæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verùmtamen propter dolos poſuiſti eis; * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quomodo facti ſunt in deſolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, Domine, * in civitáte tua imaginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad níhilum redáctus ſum, & neſcivi.

Ut juméntum factus ſum apud te; * & ego ſemper tecum. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 72.

TEnuíſti, (Dómine,) manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant ſe à te, períbunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion. Glória, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi luce vincis sídera
O Chriſte, quid tardat dies,
Quo nos amóris, & tui
Vultûs beábis lúmine.

Tunc ſancta quæ calígine
Noctis tegúntur dógmata,
Ruptis apérta núbibus
Pleno patébunt in die.

Nunc illa venális patet
Multo labóre glória:
Hanc promeréri, Trínitas,
Tuam dabis per grátiam.
Amen.

PSALMUS 60.

In Deo ſpes animæ oppreſſæ: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula; * prótegar in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS 85.

De fide gentium vaticinium: ſe in æternum à periculis liberandum orat, & ſperat juſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndum ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque fecíſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi. 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in æternum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga

poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpectu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſericors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére mei; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quoniam tu, Dómine, adjuviſti me, & conſolátus es me.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol ad umbras lábitur,
Tu méntium lux, grátia,
Cœli viam ne deſinas
Tuo docére lúmine.

Cingunt iter perícula:
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O Trine, qui regnas, Deus,
Fructus adaúge, quos petis,
Mox dona, juſtus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

PSALMUS 93.

Deus ſuperborum quondam vindex, & juſtorum conſolator.

DEus ultionum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * uſquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injuſtitiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt:

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intelligite, inſipiéntes in pópulo, * & ſtulti, aliquando ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non conſiderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quoniam vanæ ſunt. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Domine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mitiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditatem ſuam non derelínquet;

Quoadúſque juſtítia convertatur in judícium; * & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérſus malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérſus operántes iniquitátem?

Niſi quia Dóminus adjúvit me, * paulominus habitáſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus eſt pes meus; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolorum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimã meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam juſti, * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutóriũ ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum diſpérdet eos; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter. Glória, &c.

PSALMUS 125.

Poſt labóres merces & ſolatium.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc replétum eſt gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: * facti ſumus lætantes.

Convérte, Dómine, captivitatem noſtrã, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mittentes sémina ſua;

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portántes manipulos ſuos.

AD VESPERAS.

PSALMUS 114.

Chriſtus mortis victor: æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, * quóniam exaúdiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuã mihi, * & in diebus meis invocabo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocavi.

O Dómine, líbera ánimã meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimã meam de morte, * óculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

PSALMUS 119.

Juſti patientia: vitæ præſentis miſerias luget.

AD Dominum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam

meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

P S A L M U S 136.

Flebilis captivi populi querimonia, dum recordaretur Sion.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus, * & flévimus cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpendimus órgana noſtra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos; * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quomodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna,

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non meminero tuî;

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt; Exinaníte, exinaníte * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beatus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

P S A L M U S 141.

Ab impiis liberari, & Deo frui poſcit anima fidelis.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum;

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsũ pronúntio,

In deficiéndo ex me ſpíritum meum; * & tu cognovíſti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſconderunt láqueũ mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & videbam; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine; * dixi: Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliatus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam

meam, ad confiténdum nómini tuo; * me expectant juſti, donec retríbuas mihi.

P s a l m u s 143.

Victoria ab hoſtibus, Dei donum eſt.

BEnedíctus Dñus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus;

Protéctor meus, & in ipſo ſperávi; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuíſti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus eſt; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcénde; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos; * emítte ſagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto; éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallam tibi,

Qui das ſalútem régibus,* qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno,

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem; * & déxtera eorum, déxtera iniquitátis;

Quorum fílii ſicut novéllæ plantatiónes * in juventúte ſua:

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi;

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtóſæ, abundántes in egréſſibus ſuis; * boves eórum craſſæ:

Non eſt ruína macériæ, neque tránſitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc ſunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

AD COMPLETORIUM PER HEBDOMADAM.

Pater. Ave.

COnverte nos, Deus ſalutáris noſter; ℟ Et avérte iram tuam à nobis. *Pſ.* 84. 5.

Deus, in adjutórium. Glória. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, &c. *Deinde ſine Ant.*

P s a l m u s 4.

In Deo, non in divitiis ſpes collocanda.

CUm invocárem, exaudívit me Deus juſtítiæ meæ: * in tribulatióne dilataſti mihi.

Miſerére meî, * & exaúdi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? * ut quid di-

ligitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et ſcitóte quóniam mirificávit Dóminus ſanctū ſuū; * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus veſtris, in cubílibus veſtris compungímini.

Sacrificáte ſacrifícium juſtítiæ, & ſperáte in Dómino: * multi dicunt: Quis oſténdit nobis bona?

Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine: * dediſti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei ſui * multiplicáti ſunt.

In pace in idípſum * dórmiam, & requieſcam;

Quóniam tu, Dómine, ſinguláriter in ſpe * conſtituiſti me.

PSALMUS 30.

Dei præſidio ſe commendat anima.

IN te, Dómine, ſperávi non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quoniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum: * redemiſti me, Dómine Deus veritátis.

PSALMUS 90.

Nil timendum ſub Dei tutela: Angelorum cuſtodiæ commiſſus homo.

QUi hábitat in adjutório Altíſſimi, * in protectióne Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: Suſcéptor meus es tu, & refúgium meum; * Deus meus, ſperábo in eum;

Quoniam ipſe liberávit me de laqueo venántium, * & à verbo áſpero.

Scápulis ſuis obumbrábit tibi, * & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus; * non timébis à timóre noctúrno,

A ſagítta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrſu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à latere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis conſiderábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quoniam, Tu es, Dómine, ſpes mea, * altiſſimum poſuiſti refúgium tuū;

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non

appropinquábit tabernáculo tuo :

Quóniam Angelis ſuis mandavit de te, * ut cuſtódiãt te in ómnibus viis tuis;

In mánibus portábunt te, * nę fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áſpidem & baſilíſcum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me ſperávit, liberábo eum ; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum: * cum ipſo ſum in tribulatióne, eripiã eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & oſténdam illi ſalutáre meum.

PSALMUS 133.

Miniſtros ſuos ad Dei cultum hortatur Eccleſia.

ECce nunc benedícite Dóminũ,* omnes ſervi Dñi

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri ;

In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion,* qui fecit cœlũ & terrã

Poſt Glória Patri, *dicitur* : Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, *pro diverſitate Temporis.*

CANTICUM SIMEONIS. *Luc.* 2.

NUnc dimíttis ſervum tuum, Dómine, * ſecúndùm verbum tuũ in pace;

Quia vidérunt óculi mei * ſalutare tuum,

Quod paráſti * ante fáciẽ ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Iſrael. Glória, &c.

Quando ad Primam dictæ ſunt preces, ſequentes dicuntur ad Complet. In Vigiliis, per Adventum, & Quadrageſimam, quando Officium fit de Feria, dicuntur flexis genibus: Kyrie, eléiſon, Chriſte, eléiſon, Kyrie, eléiſon.

Pater noſter. *Secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. *Secretò.*

℣. Carnis reſurrectiónem.

℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum noſtrórum :

℟. Et laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum ; ℟. Et laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſæculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli : ℟. Et laudábilis, & glorióſus in ſæcula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus noſter, ℟. Benedícat nos Deus. *Pſ.* 66. 7. 8.

Deindè dicitur: Confiteor. Misereátur. Indulgentiam. *ut ad Primam.*

Poſtea hebdomadarius altà voce proſequitur :

℣. Exaúdi nos, Deus ſalu-

taris noſter, ℟. Spes ómniũ fínium terræ. *Pſ.* 64. 6.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

VIſita, quæſumus, Dómine, habitatiónem iſtam, & omnes inſídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui ſancti hábitent in ea, qui nos in pace cuſtódiant; & benedíctio tua ſit ſuper nos ſemper; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Submiſſiori voce: Grátia Dómini noſtri Jeſu-Chriſti, & cháritas Dei, & communicátio ſancti Spíritûs ſit cum ómnibus vobis.

℟. Amen. 2. *Cor.* 13. 13.

ANTIPHONA DE BEATA, AD DEVOTIONEM.

A Complet. Præſentationis Domini, uſque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ incluſivè, Ant.

AVe, Regína cœlórum,
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix; ſalve, porta,
Ex qua mundo lux eſt orta:
Gaude, Virgo glorióſa,
Super omnes ſpecióſa:
Vale, ô valde decóra,
Et pro nobis Chriſtum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

OREMUS.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium, ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eúmdem Chriſtum Dóminũ noſtrum.

℟. Amen.

In Sabbato ſancto, ac toto tempore Paſchali, Ant.

REgína cœli, lætáre, allelúia.
Quia quem meruíſti portáre, allelúia.
Reſurrexit, ſicut dixit, allelúia,
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Circumdedíſti me lætítiâ: ℟. Ut cantet tibi glória mea. alleluia. *Pſ.* 29. 12. 13.

OREMUS.

DEus, qui per Reſurrectiónem Filii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es: præſta, quæſumus; ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gaúdia vitæ; Per eumdem Chriſtum Dóminũ noſtrum.

℟. Amen.

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES,

Dicendæ ante Lectiones.

DOMINICA,
Et in Officiis novem Lectionum, quæ non ſunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO:
& pro Feriâ 2. & 5.

Abſolutio 2. Mach. 1. 3. 4.

ADapériat Deus cor veſtrum in lege ſua, & in præcéptis ſuis : & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Deus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ. *Eph.* 1. 17. ℟. Amen. *Et ſic ad ſequentes.*

2. Filius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. 20.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13.

IN II. NOCTURNO:
& pro Feria 3. & 6.

Abſolutio 3. Reg. 8. 58.

DEus noſter inclinet corda noſtra ad ſe; ut cuſtodiámus mandàta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dòmini noſtri Jeſu Chriſti benedícat nos in omni benedictióne ſpirituali. *Eph.* 1. 3.

5. Sciámus ſupereminéntem ſciéntiæ charitátem Chriſti, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Eph.* 3. 19.

6. Unctio, quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO:
& pro Feriâ 4. & Sabbato.

Abſolutio 2. Mach. 1. 2. 5.

DEus meminerit teſtaménti ſui, quod locútus eſt, & exaúdiat oratiónes veſtras. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Detur tibi ſermo in apertióne oris tui cum fidúcia, notum fácere myſtérium Evangélii. *Eph.* 6. 19.

Feriâ 4. verò, & Sabbato dicitur : Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Eph.* 3. 14. 16. 17.

8. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.* 4. 13. 14.

9. Deus ſpei répleat nos om-

ni gaúdio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe, & virtute Spíritûs ſancti. *Rom.* 15. 13

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium, nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Si, nona Lectio ſit de Sancto, nona Benedictio erit:

Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fieri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

Quando D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, poſtquàm præmiſit ex more:

Jube, Domne, benedícere.

Dignior poſt illum dicit:

Ora pro nobis, Pater.

Ipſe autem Epiſcopus reſpondet:

Oro ut charitas veſtra magis ac magis abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu. *Philip.* 1. 9. *Chorus reſpondet:* Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ

quæ ſunt novem Lectionum

IN I. & III. NOCTURNO.

Abſolutiones & Benedictiones erunt ut ſupra: ſed

IN II. NOCTURNO.

Ut ſequitur:

4. Nobíſcum ſit Deus qui in ancilla ſua adimplevit miſericórdiam, quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13. 13. 18.

5. Reſpíciat, qui hoſtem pópuli ſui per manum féminæ percúſſit Dñus Deus noſter. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Si Officium de Beata tres habeat Lectiones tantùm ſine Evangelio, tres Benedictiones erunt de Beata ut ſupra. Si verò tertia Lectio ſit de Evangelio dicitur pro 3. Benedict. Fulgeat nobis illuminátio Evangelii glóriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

IN FESTIS SANCTORUM

quæ ſunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Benedictiones ut ſupra in Officio trium Nocturnorum.

IN II NOCTURNO.

4. Deus det nobis illumináto oculos, ut ſciámus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in ſanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos faciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui eripuit nos de poteſtate tenebrárum. *Coloſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiantur óculi noſtri, ut convertámur á tenebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM,

quæ ſunt trium tantùm Lectionum. Benedictiones, ut ſupra in 2. Nocturno pro Sanctis.

Si 3. Lectio ſit de Evangelio. 3. Benedictio erit: Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii, &c. *Ut ſupra.*

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS VERNA.

SABBATO PRIMO IN QUADRAGESIMA.

Hodie & deinceps uſque ad Paſcha, Veſperæ dicuntur ante comeſtionem, tam in Feſtis quàm in Feriis, exceptis ſolis Dominicis, in quibus Veſperæ dicuntur horâ conſuetâ.

AD VESPERAS.

Prompta ſit converſio ad Dominum.

Pſalmi ut in Pſalterio.

Ant. t. 1. A. O Periántur ſacris hómines, & clament ad Dóminum in fortitúdine, & convertátur vir à via ſua mala. *Jon.* 3. 8.

Ant. t. 2. D. Nos prævaricáti ſumus in Deum noſtrum: & nunc, ſi eſt pœniténtia in Iſrael ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Dño Deo noſtro. 1. *Eſdr.* 10. 2. 3.

Ant. t. 3. a. Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini: ſecúndùm enim magnitúdinem ipsíus, ſic & miſericórdia illíus cum ipſo eſt. *Eccli.* 2. 22. 23.

Ant. t. 4. A. Pœniténtibus dedit viam juſtítiæ; convértere ad Dóminum, & relínque peccáta tua. *Eccli.* 17. 20. 21.

Ant. t. 5. A. Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus, & indulgéntiam ejus fuſis lácrymis poſtulémus. *Judith.* 8. 14.

Capitulum. Eccli. 5. 8. 9.

N On tardes convérti ad Dóminum, & ne differas de die in diem: subi-

tò enim véniet ira illíus, & in tempore vindíctæ diſpérdet te.

℟. Scrutémur vias noſtras, & quæramus, & revertámur ad Dóminum. * Levémus corda noſtra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Hoc ſciéntes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno súrgere.* Levémus. Glória.* Levémus. *Thren.* 3. 40. 41. *Rom.* 13. 11.

HYMNUS.

QUiſquis fatéris te reum,
Ad cor revérſus pœnitens,
Dic íntimos, dic flébili
Cordis dolóres cármine.

Riſus inánes éxulent,
Ad ſacra curvus átria
Luget Sacérdos; & tuos
Clamóre fletus próvocat.

Salútis ecce nunc dies:
Qui deviáſti pródigus
Fili, demum revértere:
Parens en ulnas éxplicat.

Lugens tuis dum flétibus
Noxas madéntes írrigas;
Illas Pater benígnior
Mundánte tergit déxterâ.

At nē vocátus pátriam
Domum revérti differas:
Magis treméndum, nil tibi
Iráta quàm benígnitas.

Sacro, Deus, jejúnio
Qui nos piári præcipis,
Das pœniténdi témpora,
Et cor ſimul da pœnitens.

Audi, beata Trínitas,
Noſtriſque votis ánnuens,
Contrita fac jejúniis
Tibi litémus péctora.
Amen.

Et hæc Doxologia dicitur in omnibus Hymnis uſque ad Dominicam Paſſionis.

℣. Filii hóminū, úſquequò gravi corde? ℟. Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? *Pſ.* 4. 3.

Ad Magnif. *Ant.* 1. *D.* Miſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes; & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam. *Sap.* 11. 24.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

EN ſolis abſcéſſit jubar,
Noctíſque ſuccédunt vices:
O ſplendor ætérni Patris!
Adéſto lumen méntibus.

Omnes ad aram cérnuo
Vultu precámur súpplices;
Qui proſperum donas diem,
Da tuta noctis ótia.

Nos teſta quamquam fíctilis,
Opus tamen ſumus tuum:
Períre, Chriſte, ne ſinas
Tuo redémptos sanguine.

Dum corpus eſcis témperat,
Potuque parco véſcitur,
Hinc prompta ſit mens líbero
Sursum volátu téndere.

Frangántur artes pérfidæ
Hoſtis quibus nos ímpetit:
Quæ prava nocte súſcitat
Per te fugémus sómnia.

Jejúna membra cándido
Ornet decóre caſtitas;
Et pura per ſuſpíria
Vigil tibi cor éxcubet

beata Trínitas,
: votis annuens,
ac jejúniis
us péctora. Amen.

im. 1. Petr. 5. 8.

eſtóte & vigiláte,
adversárius veſter
tamquam leo rú-
iit quærens quem
cui resíſtite fortes

ace in idípſum *
, & requiéſcam.
o mea requieſcet
uóniam notas mi-
vias vitæ. * Dór-
ória. * Dórmiam.
Act. 2. 26. 28.
ſ. ſuperius dicitur
s Sabbatis, & Feſtis
s ad 1. Completorium,
ageſimam.
odi nos, Dómine,
lam óculi: ℟. Sub
árum tuárum pró-
Pſ. 16. 8.
nc dimíttis Ant. t.
ecogitábo tibi, Dó-
nnes annos meos in
ine ánimæ meæ. Iſ.

tur Completorium uſ-
eriam quartam majo-
mada.

NICA PRIMA

QUADRAGESIMA.

FICIUM NOCT.

tor. Veníte, * Re-
r ad Dóminum; &
ios. Oſee 6. 1. 2.

IN I. NOCTURNO.

Revertímini ad Dóminum, quia ecce nunc dies ſalútis.

Ant. t. 4. E. Revertatur unuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras, & ſtúdia veſtra. *Jerem.* 18. 11.

Ant. t. 7. D. Exacerbáſtis eum qui fecit vos: oblíti eſtis Deum, qui nutrívit vos. *Baruch.* 4. 7. 8.

Ant. t. 8. G. Expéctat Dóminus ut miſereátur veſtri; & ideò exaltábitur parcens vobis. *Iſ.* 30. 18.

℣. Tempus benepláciti, Deus, ℟. In multitúdine miſericordiæ tuæ. *Pſ.* 68. 14.

De Epíſtola II. beáti Pauli Apoſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6. v. 1. ad 11.

ADjuvantes autem exhortámur, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis. Némini dantes ullam offenſiónem, ut non vituperétur miniſtérium noſtrum; ſed in ómnibus exhibeamus noſmetípſos ſicut Dei miníſtros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in neceſſitatibus, in angúſtiis, in plagis, in carcéribus, in ſeditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in caſtitate, in ſciéntia, in longanimitáte, in ſuavitate, in Spíritu ſancto, in charitáte non ficta, in verbo veritátis, in vir-

túte Dei; per arma juſtítiæ à dextris & à ſiniſtris; per glóriam & ignobilitátem; per infámiam & bonam famam; ut ſeductóres & veráces; ſicut qui ignóti, & cógniti: quaſi moriéntes, & ecce vívimus: ut caſtigáti, & non mortificáti: quaſi triſtes, ſemper autem gaudéntes: ſicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, & ómnia poſſidéntes.

℟. Dies propitiatiónis eſt, ut propitiétur vobis Dóminus: * Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hâc, períbit de pópulis ſuis. ℣. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleántur peccáta veſtra. * Omnis ánima. *Levit.* 23. 28. 29. *Act.* 3. 19.

Lectio ij. v. 11. *ad finem.*

OS noſtrum patet ad vos, ô Corínthii, cor noſtrum dilatátum eſt. Non anguſtiámini in nobis: Anguſtiámini autem in viſcéribus veſtris: eámdem autem habéntes remuneratiónem, tamquam fíliis dico, dilatámini & vos. Nolíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio juſtítiæ cum iniquitáte? aut quæ ſocíetas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Chriſti ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem conſénſus templo Dei cum idólis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus, & immúndum ne tetigéritis; & ego recípiam vos: & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in fílios & fílias, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt, * Invocáte eum, dum propè eſt. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miserébitur ejus. ℣. Properántes in advéntum diéi Dómini; * Invocáte. *Iſ.* 55. 6. 7. 2. *Petr.* 3. 12.

Lectio iij. Cap. 7. *v.* 6. *ad* 12.

QUi conſolátur húmiles, conſolátus eſt nos Deus in advéntu Titi. Non ſolùm autem in advéntu ejus, ſed étiam in conſolatióne, quâ conſolátus eſt in vobis, réferens nobis veſtrum deſidérium, veſtrum fletum, veſtram æmulatiónem pro me, ita ut magis gaudérem. Quóniam etſi contriſtávi vos in epíſtola, non me pœnitet: etſi pœnitéret, videns quòd epíſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtávit, nunc gáudeo; non quia contriſtáti eſtis, ſed quia contriſtáti eſtis ad pœni-

téntiam. Contriſtáti enim eſtis ſecúndùm Deum, ut in nullo detriméntum patiámini ex nobis. Quæ enim ſecúndùm Deum triſtítia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur; ſæculi autem triſtítia mortem operátur. Ecce enim hoc ipſum, ſecúndùm Deum contriſtári vos, quantam in vobis operátur ſollicitúdinem: ſed defenſiónem, ſed indignatiónem, ſed timórem, ſed deſidérium, ſed æmulatiónem, ſed vindíctam: in ómnibus exhibuíſtis vos, incontaminátos eſſe negótio.

℟. Hæc récolens in corde meo, ídeò ſperábo. * Miſericórdiæ Dómini quia non ſumus consúmpti: quia non defecérunt miſeratiónes ejus. ℣. Patiénter agit, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam reverti. * Miſericórdiæ. Glória. * Miſericórdiæ. *Thren.* 3. 21. 22. 2. *Petr.* 3. 9.

IN II. NOCTURNO.

Benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducat.

Ant. t. 3. *a.* Altíſſimus ódio habet peccatóres, & miſértus eſt pœniténtibus. *Eccli.* 12. 3.

Ant. t. 4. *a.* Quàm bonum eſt correptum manifeſtáre pœniténtiam! ſic enim effúgies voluntárium peccátum. *Eccli.* 20. 4.

Ant. t. 3. *a.* Bonæ ſpei feciſti fílios tuos, Dómine; quóniam júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. *Sap.* 12. 19.

℣. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; ℟. Dómine, quis ſuſtinébit? *Pſ.* 129. 3.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. Serm. 4. *de Quadrageſim.*

PRædicatúrus vobis, dilectíſſimi, ſacratíſſimum maximúmque jejúnium, quo áptius utar exórdio, quam ut verbis Apóſtoli, in quo Chriſtus loquebátur, incípiam; dicámque quod lectum eſt: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis? Quamvis enim nulla ſint témpora quæ divínis non ſint plena munéribus, & ſemper nobis ad miſericórdiam Dei per ipſíus grátiam præſtétur accéſſus; nunc tamen ómnium mentes majóri ſtúdio ad ſpirituáles profectus movéri, & amplióri fidúciâ oportet animári, quando ad univérſa pietátis offícia, illíus nos diéi, in quo redémpti ſumus, recúrſus invítat; ut excéllens ſuper ómnia, paſſiónis Domínicæ ſacraméntum, purificátis & corpóribus & ánimis celebrémus.

℟. Miníſtri Dei mei, ſanctificáte jejúnium, vocáte cœtum: * Congregáte omnes habitatóres terræ in domum Dei veſtri, & clamáte ad Dóminum. ℣. Omnes ubíque pœniténtiam agant, eò quod

Deus ſtátuit diem in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte. * Congregáte omnes. *Joel.* 1. 13. 14. *Act.* 17. 30. 31.

Lectio v.

DEbebátur quidem tantis myſtériis ita inceſsábilis devótio, & continuáta reveréntia, ut tales permanerémus in conſpéctu Dei, quales nos in ipſo paſchali feſto dignum eſt inveníri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum eſt, &, dum carnis fragilitáte auſtérior obſervántia relaxátur, dumque per várias actiónes vitæ hujus ſollicitúdo diſténditur, necéſſe eſt de mundáno púlvere étiam religióſa corda ſordéſcere: magnâ divínæ inſtitutiónis ſalubritáte províſum eſt, ut ad reparándam méntium puritátem, quadragínta nobis diérum exercitátio mederétur, in quibus aliorum témporum culpas & pia ópera redímerent, & jejúnia caſta decóquerent.

℟. Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre * Et deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. ℣. Optimum eſt grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis, * Et deprecári. *Daniel* 9. 3. *Hebr.* 13. 9.

Lectio vj.

INgreſsúri ígitur, dilectíſſimi, dies myſticos, & purificándis ánimis atque corpóribus ſacrátiùs inſtitútos, præcéptis Apoſtólicis obedíre curémus, emundántes nos ab omni inquinaménto carnis ac ſpíritûs: ut caſtigátis colluctatiónibus, quæ ſunt inter utrámque ſubſtántiam, ánimus, quem ſub Dei gubernáculis conſtitútum, córporis ſui decet eſſe rectórem, dominatiónis ſuæ obtíneat dignitátem; ut némini dantes ullam offenſiónem, vituperatiónibus obloquéntium non ſimus obnóxii. Dignâ enim ab infidélibus reprehenſióne carpémur, & noſtro vítio linguæ ímpiæ in injúriam ſe religiónis armábunt, ſi jejunántium mores à puritáte perféctæ continéntiæ diſcrepárint. Non enim in ſola abſtinéntia cibi ſtat noſtri ſumma jejúnii; aut fructuosè córpori eſca ſubtráhitur, niſi mens ab iniquitáte revocétur.

℟. Dómine, nunc séquimur te, * Quærimus fáciem tuam. † Ne confúndas nos: ſed fac nobis juxta manſuetúdinem tuam. ℣. In labóribus, in vigíliis, in jejúniis. * Quærimus. Glória. † Ne confúndas nos. *Daniel.* 3. 41. 42. 2. *Cor.* 6. 5.

IN III. NOCTURNO.

Non ſit ſine ſpe dolor noſter.

Ant. t. 2. *D.* Humiliémus Deo ánimas noſtras; ut fáciat nobíſcum miſericórdiam ſuam. *Judith.* 8. 16. 17.

Ant. t. 8. *C.* Deus meus, confúndor & erubéſco levare fáciem meam ad te. 1. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. *i.* 4. *A.* Dómine, nobis confuſio faciéi: tibi autem Dómino Deo noſtro miſericórdia, & propitiátio. *Dan.* 9. 8. 9.

℣. Dómine, ante te omne deſidérium meum: ℟. Et gémitus meus à te non eſt abſcónditus. *Pſ.* 37. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4. *v.* 1.

IN illo témpore; Ductus eſt Jeſus in desértum à ſpíritu, ut tentarétur à diábolo. Et cùm jejunáſſet quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus, póſtea esúriit. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Papæ.

Serm. 38. *de Quadrag.*

ACcedéntes, dilectíſſimi, ad Quadragéſimæ inítium, id eſt, ad diligentiórem Dómini ſervitútem; quia quaſi ad quemdam agónem ſancti óperis introímus, ad pugnas tentatiónum ánimos præparémus, & intelligámus quantò ſtudioſióres pro noſtra ſalúte fuérimus, tantò nos vehementiùs ab adversáriis impeténdos. Sed fórtior eſt qui in nobis eſt, quàm qui advérsùm nos eſt; & per ipſum válidi ſumus, in cujus virtúte confídimus. Quia ob hoc Dóminus ſe tentári à tentatóre permíſit, ut cujus munímur auxílio, ejúſdem erudirémur exémplo.

℟. Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne, ſperent in te qui novérunt nomẽ tuũ; * Quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine. ℣. Habéntes talem ſpem, multâ fidúciâ útimur. * Quóniam. *Pſ.* 9. 10. 11. 2. *Cor.* 3. 12.

Lectio viij.

NUlla ſunt ſine tentatiónum experiméntis ópera virtútis; nulla ſine probatiónibus fides; nullum ſine hoſte certámen; nulla ſine congreſſióne victória. Vita hæc noſtra in médio inſidiárum, in médio præliórum eſt. Si nólumus décipi, vigilándum eſt: ſi vólumus ſuperáre, pugnándum eſt. Et ídeò ſapientíſſimus Sálomon, (Fili, inquit, accédens ad ſervitútem Dei, præpara ánimam tuam ad tentatiónem.) Vir enim ſapiéntiâ Dei plenus, ſciens ſtúdium religiónis labórem habére certáminis, cùm prævidéret pugnæ perículum, antè admónuit pugnatúrum: ne fortè, ſi ad ignorántem tentátor accéderet, imparátum cítiùs vulneráret.

℟. Tu, Deus noſter, ſuávis & verus es, pátiens, & in miſericórdia diſpónens ómnia. Etenim ſi peccavérimus, * Tui ſumus, ſciéntes magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, ſalva nos, perímus. * Tui ſumus. *Sap.* 15. 1. 2. *Matth.* 8. 25.

Lectio ix.

AUdiámus dicéntem Apóſtolum: (Non eſt no-

bis colluctatio advérsus carnem & sánguinem, ſed advérsus príncipes, & poteſtátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpiritália nequítiæ in cœléſtibus:) & non ignorámus quòd hi hoſtes noſtri, contra ſe geri ómnia séntiunt, quæcúmque nos pro noſtra ſalúte ágere tentámus, & hoc ipſo quòd boni áliquid appétimus, adversários provocámus; hæc enim inter nos atque illos per diabólicæ invidiæ fómitem inveteráta diſséníio eſt, ut quia ab his bonis excidérunt ad quæ nos, Deo auxiliánte, provéhimur, noſtris juſtificatiónibus torqueántur. Si ergo nos erígimur, illi córruunt: ſi nos convaléſcimus, illi infirmántur. Remédia noſtra, plagæ iſtórum ſunt; quia curatióne vúlnerum noſtrórum vulnerántur.

℟. Débuit Jeſus per ómnia frátribus ſimilári, * Ut miséricors fíeret, & fidélis Póntifex. † In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis, qui tentántur, auxiliári. ℣. Perféctio tua, & doctrína tua ſancto tuo, Dómine, quem probáſti in tentatióne. * Ut miséricors. Glória. † In eo enim. *Hebr.* 2. 17. 18. *Deut.* 33. 8.

Non dicitur Te Deum, *in Dominicis & Feriis Quadrageſimæ.*

AD LAUDES.

Animæ pœnitentis humilis oratio.

℣. *Sacerdotalis.* Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtri. *Pſ.* 122. 2.

Ant. 1. *A.* DOmine, ut poſſímus invenire miſericórdiam tuam, in ánimo contríto & ſpíritu humilitátis ſuſcipiámur. *Dan.* 3. 39.

Ant. 1. 2. *D.* Iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum. 1. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 1. 3. *A.* Deus patrum noſtrórum, cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies, & in témpore tribulatiónis peccata dimíttis his, qui ínvocant te. *Tob.* 3. 13.

Ant. 1. 4. *A.* Iniquitátes noſtræ & peccáta noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabéſcimus. *Ezech.* 33. 10.

Ant. 1. 5. *A.* Tu Dominátor virtútis, diſpónis nos, dans tempus & locum, per quæ poſſent mutári à malítia. *Sap.* 12. 18. 20.

Capitulum. Eccli. 5. 6. 7.

NE dicas: Miserátio Dómini magna eſt; multitúdinis peccatórum meórum miſerébitur: miſericórdia enim, & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réſpicit ira illíus.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccavi tibi. *Pſ.* 40. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Accédens tentátor, dixit Jeſu: Si Fílius Dei es, dic ut lápides iſti panes fiant: qui reſpóndens, dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. *Matth.* 4. 3. 4.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiam tuam ánnuâ Quadrageſimáli obſervatióne puríficas: præſta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abſtinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Dómine.

Capitulum. Regi ſæculórum. *& ℟. br. ut in Pſalterio.*

CANON

Ex Concílio Bituricénſi. *An.* 1584. *Tit.* 1. *de Pœnit. Can.* 10.

QUi curam animárum habent, veram confiténdi ratiónem pópulo ſuo expónant, præſértim témpore Quadragéſimæ, & Advéntûs Dómini, necnon circa ſolemnióres feſtivitátes anni. Ab inítio Quadragéſimæ confeſſiónes incípiant audíre, ut, adveniénte Feſto Paſchæ, omnes fidéles Euchariſtiam ſumant.

AD TERTIAM.

Ant. Iniquitátes.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 1. 2.

EXhortámur ne in vácuũ grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accepto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te.

℟. *br.* Deus judex juſtus, * Fortis, & pátiens. Deus. ℣. Numquid iráſcitur per síngulos dies? * Fortis. Glória. Deus. *Pſ.* 7. 12.

℣. Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit. ℟. Arcum ſuum teténdit, & parávit illum. *Pſ.* 7. 13.

AD SEXTAM.

Ant. Deus patrum.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 2. 3.

ECce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies ſalútis. Némini dantes ullam offenſiónem, ut non vituperétur miniſtérium noſtrum.

℟. *br.* Tu exúrgens, Dómine, * Miſeréberis Sion. Tu exúrgens. ℣. Quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus. * Miſeréberis. Glória. Tu exúrgens. *Pſ.* 101. 14.

℣. Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, ℟. In témpore opportúno. *Pſ.* 31. 6.

AD NONAM.

Ant. Tu dominátor.

Capitulum. *Rom.* 2. 4. 5.

IGnóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? ſecúndùm autem durítiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.

℟. *br.* Si vocem ejus audiéritis, * Nolíte obduráre corda veſtra. Si vocem. ℣. Sicut in irritatione ſecúndùm

diem tentatiónis in deſérto. * Nolíte. Glória. Si vocem. *Pſ.* 94. 8. 9.

℣. Non declínes, Dómine, cor meum in verba malítiæ, ℟. Ad excusándas excuſatiónes in peccátis. *Pſ.* 140. 4.

AD VESPERAS.

Multum eſt in converſionis mora periculum.

Ant. t. 3. *A.* HOc ſciéntes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno súrgere, abjiciámus ópera tenebrárum. *Rom.* 13. 11. 12.

Ant. t. 4. *A.* Sicut dicit Spíritus ſanctus: Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra. *Hebr.* 3. 7. 8.

Ant. t. 7. *C.* Hódie cognominátur; ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti. *Hebr.* 3. 13.

Ant. t. 8. *C.* Ignorátis quid erit in cráſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad módicum parens, & deínceps exterminábitur. *Jacob.* 4. 14. 15.

Ant. t. 2. *D.* Ipſi diligénter ſcitis, quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. 1. *Theſſ.* 5. 2.

Capitulum. Eph. 5. 14. 15. 16.

DIcit Deus : Surge, qui dormis, & exúrge à mórtuis, & illuminábit te Chriſtus. Vidéte ítaque, fratres, quómodo cautè ambulétis: non quaſi inſipiéntes, ſed ut ſapiéntes: rediméntes tempus, quóniam dies mali ſunt.

Hymnus ut in Veſp. Sabbati.

℣. Dixíſti, Dómine : Convertímini filii hóminum;

℟. Quóniam quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt. *Pſ.* 89. 3. 5.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Conſummátâ omni tentatióne, diábolus receſſit à Jeſu; & ecce Angeli acceſſérunt, & miniſtrábant ei. *Luc.* 4. 13. *Matth.* 4. 11.

Oratio ut ad Laudes.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM I. Quadragéſimæ.

AD OFFIC. NOCT.

Invitatorium ut in Dominica : Antiphonæ ex uno Nocturno Dominicæ ſuper Pſalmos Feriales: ita ut Feriâ 2. *&* 5. *Antiph. ſumantur ex* 1. *Nocturno. Feriâ* 3. *&* 6. *ex* 2. *Noct. & Feriâ* 4. *& Sabbato, ex* 3. *Noct.*

Verſus ex eodem Noct. Dom. unde Antiphonæ.

Duo prima Reſp. cujuslibet Feriæ erunt pariter ex uno Nocturno Dominicæ, juxta Rubricam præcedentem; tertium verò Reſponſorium erit proprium & Evangelio diei congruum.

AD LAUDES.

Verſus Sacerdot. Antiphonæ, Capit. & ℣. *ut ad Laudes Dominicæ, præter Antiph. ad* Bened. *quæ erit propria.*

AD PRIMAM.

Capitulum. Joel. 2. 17.

INter veſtíbulum & altáre plorábunt Sacerdótes miníſtri Dómini, & dicent;

Parce, Dómine, parce pópulo tuo, & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium.

Reliqua ut in Dominica præter Canonem: Preces flexis genibus ut in Pſalterio: ad reliquas Horas brev. Antiph. Capit. ℟. br. & ℣. ut in Dominica.

AD VESPERAS.

Antiphonæ, Capit. Hymnus & ℣. ex Veſperis Dominicæ j. in Quadrageſ. Antiph. ad Magnif. *erit propria. Completorium ut in Sabbato præcedenti.*

FERIA SECUNDA DOMINICÆ I. QUADR.

Incipit Liber Exodi.

Lectio j. Cap. I. ℣. I. *ad* II.

HÆc ſunt nómina filiórum Iſrael qui ingréſſi ſunt in Ægyptum cum Jacob: ſínguli cum dómibus ſuis introiérunt: Ruben, Símeon, Levi, Judas, Iſſachar, Zabúlon & Bénjamin, Dan & Népthali, Gad & Aſer. Erant ígitur omnes ánimæ eórum, qui egréſſi ſunt de fémore Jacob, ſeptuagínta: Joſeph autem in Ægypto erat. Quo mórtuo, & univérſis frátribus ejus, omníque cognatióne illâ, filii Iſrael crevérunt, & quaſi germinántes multiplicáti ſunt; ac roboráti nimis, implevérunt terram. Surréxit intérea rex novus ſuper Ægyptum qui ignorábat Joſeph: & ait ad pópulum ſuum: Ecce, pópulus filiórum Iſrael multus, & fórtior nobis eſt. Veníte, ſapiénter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur: & ſi ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis noſtris, expugnatíſque nobis egrediátur de terra.

℟. Dies propitiatiónis eſt. *pag.* 148.

Lectio ij. Cap. I. *v.* 22. *& Cap.* 2. *v.* I. *ad* II.

PRæcépit ergo Pháraoomni pópulo ſuo, dicens: Quidquid maſculini ſexûs natum fúerit, in flumen projícite: quidquid feminíni, reſerváte. Egréſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi; & accépit uxórem ſtirpis ſuæ: quæ concépit, & péperit filium; & videns eum elegántem, abſcóndit tribus ménſibus. Cùmque jam celáre non poſſet, ſumpſit fiſcéllam ſcírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice: poſuítque intus infántulum, & expóſuit eum in carécto ripæ flúminis, ſtante procul ſoróre ejus, & conſideránte evéntum rei. Ecce autem deſcendébat filia Pharaónis, ut lavarétur in flúmine: & puéllæ ejus gradiebántur per crepídinem álvei. Quæ cùm vidíſſet fiſcéllam in papyrióne, miſit unam è famulábus ſuis, & allátam apériens, cernénſque in ea párvulum vagiéntem, miſérta ejus, ait: De infántibus Hebræórum eſt hic. Cui ſoror púeri: Vis inquit, ut vadam, & vocem tibi mulíerem Hebræã, quæ nutríre poſſit infántu-

lum? Reſpóndit, Vade. Perréxit puella, & vocávit matrem ſuam. Ad quam locúta fília Pharaónis: Accipe, ait, púerum iſtum, & nutri mihi; ego dabo tibi mercédem tuam. Suſcépit múlier, & nutrívit púerum; adultámque trádidit fíliæ Pharaónis. Quem illa adoptávit in locum filii, vocavítque nomen ejus Móyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.

℟. Quærite Dóminum. *pag.* 148.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 25. v. 31.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm vénerit Filius hóminis in majeſtáte ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedébit ſuper ſedem majeſtátis ſuæ; & congregabúntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homília ſancti Cypriáni Epíſcopi & Mártyris.

De opera & eleemoſynis.

QUid pótuit nobis majus Chriſtus edícere? quómodo magis pótuit, juſtítiæ ac miſericórdiæ noſtræ ópera provocáre, quàm quod præſtári dixit ſibi, quidquid egénti præſtétur & páuperi? ut qui reſpectu fratris in Eccléſia non movétur, vel Chriſti contemplatióne moveátur; & qui non cógitat in labóre, atque in egeſtáte consérvum, vel Dóminum cógitet in ipſo illo, quem conſpicit deſtitútum. Et idcírco, fratres charíſſimi, quibus metus in Deum pronus eſt, & ſpreto calcatóque jam mundo, ad ſupérna & divína ánimus eréctus eſt, fide plenâ, mente devótâ, operatióne continuâ, promeréndo Dómino obſéquium præbeámus. Demus Chriſto veſtiménta terréna, induménta cœléſtia receptúri: demus cibum & potum ſæculárem, ad convívium cœléſte ventúri. Ne parùm metámus, plúrimùm ſeminémus. Securitáti ac ſalúti ætérnæ, dum tempus eſt, conſulámus.

℟. Congregabúntur ante Fílium hóminis omnes gentes, & ſeparábit eos, ſicut paſtor ſégregat oves ab hœdis: & * Státuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. ℣. Miſericórdia fáciet locum unicuíque ſecúndùm méritum óperum ſuórum. * Státuet. Glória. * Státuet. *Matth.* 25. 32. 33. *Eccli.* 16. 15.

Ad Bened. Ant. t. 4. A. Dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei, poſſidéte parátum vobis regnum à conſtitutióne mundi: eſurívi enim, & dedíſtis mihi manducáre. *Matth.* 25. 34 35.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut jejuniórum ſancta devótio ab omni noſ

expiet contagióne delícti; ut cùm judicatúrus orbem advénerit Fílius tuus, non invéniat in nobis quod condémnet, ſed quod donis ſempitérnis remúneret; Qui tecum vivit, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Pœnit. Can.* 1.

SI quis díxerit, in Cathólica Ecclésia pœniténtiam non eſſe verè & próprié Sacraméntum pro fidélibus, quóties poſt baptíſmum in peccáta labúntur, ipſis Deo reconciliándis, à Chriſto Dómino inſtitútum, anathéma ſit.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. D.* Dicet Rex his qui à ſiníſtris erunt: Diſcédite à me, maledícti, in ignem ætérnum: eſurívi enim, & non dediſtis mihi manducáre. Et ibunt hi in ſupplícium ætérnum; juſti autem in vitam ætérnam. *Matth.* 25. *v.* 42. 46.

Oratio.

ABsólve, quæſumus, Dómine, noſtrórum víncula peccatórum; & quidquid pro eis merémur, propitiátus avérte; Per Dóminum, &c.

FERIA TERTIA.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 6.

MOyſes autem paſcébat oves Jethro sóceri ſui ſacerdótis Mádian: cùmque minâſſet gregem ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. Dixit ergo Móyſes: Vadam, & vidébo viſiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyſes, Móyſes. Qui reſpóndit. Adſum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: ſolve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. ℟. Miniſtri Dei mei. *pag.* 149.

Lectio ij. v. 6. ad 15.

ABſcóndit Móyſes fáciem ſuam; non enim audébat aſpícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præſunt opéribus: & ſciens dolórem ejus, deſcéndi, ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, & edúcam de terra illa in terram bonam, & ſpatióſam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebuſæi. Clamor ergo filiórum Iſrael venit ad me: vidíque afflictiónem eórum, quâ ab Ægyptiis opprimúntur. Sed veni, &

mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, filios Iſraël, de Ægypto. Dixítque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, ut vadam ad Pharaonem, & edúcam filios Iſraël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum; & hoc habebis ſignum, quod míſerim te: Cum edúxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. Ait Moyſes ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſen. Ego ſum qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.

℟. Poſui faciem meam. *pag.* 150.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 21. *v.* 10.

IN illo tempore; Cum intraſſet Jeſus Jeroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic? Pópuli autem dicebant: Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrávit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo. Et reliqua.

Homilia ſancti Joannis Chryſoſtomi.

In Matth. Hom. 28.

VOs eſtis templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitat in vobis; Non ſit igitur in domo pectoris veſtri negociátio illícita. Nihil boni quod facimus, vel facere poſſumus adjuvante Domino, appetitu jactantiæ faciamus, non terreni lucri concupiſcentiâ, non malarum cupiditate rerum; ne ingrediatur Jeſus irátus & rigidus, & non aliter emundet templum ſuum, niſi flagello adhibito; id eſt, correctione graviſſimâ; & de ſpelunca latronum, id eſt, de habitaculo dæmonum per uſum iniquæ cupiditatis: & de domo negotiationis, id eſt, de corde terreni lucri inhiante, ſuæ faciat domum habitationis. Utamur igitur, dilectiſſimi, ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtitútis, & ſolertiori curâ noſtras maculas tergamus. Quámlibet enim caſte & ſobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ converſationis aſpergitur; & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita a fumo totius vanitatis eſt alienus, ut nullâ poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri.

℟. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? * Si quis autem templum Dei violáverit, diſperdet illum Deus: † Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. ℣. Ponam faciem meam contra illum, qui contaminave-

rit ſanctuárium meum, ac polluerit nomen ſanctum meum. * Si quis autem. Glória. ✝ Templum enim. 1. *Cor.* 3. 16. 17. *Lev.* 20. 3.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *a.* Scriptum eſt: Domus mea domus orationis vocábitur. *Matth.* 21. 13.

Oratio.

RESpice, Dómine, famíliam tuam; & præſta, ut apud te mens noſtra, tuo deſidério fúlgeat, quæ ſe carnis maceratióne caſtígat; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 14. *de Pœnitent. Cap.* I.

DOminus ſacraméntum Pœniténtiæ tum præcípuè inſtítuit, cùm à mortuis excitátus inſufflávit in diſcípulos ſuos, dicens: Accípite Spíritum ſanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, reténta ſunt.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Acceſſérunt ad Jeſum cæci, & claudi in templo; & ſanávit eos. *Matth.* 21. 14.

Oratio.

ASceńdant ad te, Dómine, preces noſtræ; & ab Eccléſia tua cunctam repélle nequítiam; Per Dóminum, &c.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 7.

DIxit quoque Dóminus ad Móyſen & Aáron in terra Ægypti: Menſis iſte, vobis princípium ménſium; primus erit in ménſibus anni. Loquímini ad univérſum cœtum filiórum Iſrael, & dícite eis: Décimâ die menſis hujus tollat unuſquíſque agnum per famílias & domos ſuas. Sin autem minor eſt númerus, ut ſufficere poſſit ad veſcéndum agnum, aſſúmet vicínum ſuum qui junctus eſt dómui ſuæ, juxta númerum animárum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque mácula, máſculus, anniculus; juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et ſervábitis eum uſque ad quartam décimam diem menſis hujus, immolabítque eum univérſa multitúdo filiórum Iſrael ad véſperam.

℟. Adjútor in opportunitátibus. *pag.* 151.

Lectio ij. v. 7. *ad* 14.

ET ſument de ſánguine ejus, ac ponent ſuper utrúmque poſtem, & in ſuperliminaribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illâ aſſas igni, & ázimos panes cum lactúcis agréſtibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni: caput cum pédibus ejus & inteſtínis vorábitis. Nec remanébit quidquam ex eo uſque mane: ſi quid reſíduum fúerit, igne comburétis. Sic autem comedétis illum: Re-

nes veſtros accingétis, & calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, & comedétis feſtinánter: eſt enim Phaſe (id eſt, tránſitus) Dómini. Et tranſibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiámque omne primogénitum in terra Ægypti ab hómine uſque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædíbus in quibus éritis: & vidébo ſánguinem, & tranſíbo vos: nec erit in vobis plaga diſpérdens quando percúſſero terram Ægypti.

℟. Tu, Deus noſter, *pag.* 151.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 12. *v.* 38.

IN illo témpore, Reſpondérunt Jeſu quidam de Scribis & Phariſæis, dicéntes: Magíſter, vólumus à te ſignum vidére. Qui reſpóndens, ait illis: Generátio mala & adúltera ſignum quærit; & ſignum non dábitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophétæ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chriſóſtomi.

Hom. 44. *in Matth.*

VIri Ninivítæ ſurgent, & condemnábunt generatiónem hanc. Sicut Ninivítæ Judæos condemnábunt; ſic multi qui nunc inferióres nobis vidéntur, nos condemnábunt. Véniat in mentem quanta erit illâ condemnátio, ut incipiámus aliquándo ad veram accédere pœniténtiæ jánuam. Mihi hæc ipſi dico, meípſum primò exhórtor. Capiámus iter angúſtum. Uſquequò deliciábimur? úſquequò degémus otióſè, ridéntes & oſcitántes? Non ſumus adhuc ſatiáti deſídiâ & procraſtinatióne? Eadémne ſemper erunt? eádem menſa, eádem ſatúritas, idem ſumptus, eædem pecúniæ, poſſeſſiónes, conſtructiónes ædium? Et horum ómnium quis finis? Mors. Quis, inquam, términus? Cinis, ſepúlchrum, vermes. Aliam ergo vivámus vitam; faciámus de terra cœlum, melióra capeſſámus; ut rectè vivéndo, futúra bona conſequámur.

℟. Prædicavérunt Ninivítæ jejúnium, & veſtíti ſunt ſaccis à majóre uſque ad minórem. * Et † Convérſi ſunt de via ſua mala. ℣. Viri Ninivítæ ſurgent in judício cum generatióne iſta: quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ. * Et convérſi ſunt. Glória. † Convérſi ſunt. *Jonæ.* 3. 5. 10. *Matth.* 12. 41.

Ad Benedict. *Ant. t.* 5. *A.* Regína Auſtri ſurget cum generatióne iſta, & condemnábit eam; quia venit à fínibus terræ audíre ſapiéntiam Salomónis; & ecce pluſquã Sálomon hîc. *Matth.* 12. 42.

Oratio.

Oratio.

COncéde nobis, miséricors Deus, ut quantò plebs tibi dicáta multifórmis grátiæ tuæ donis fovétur, tantò in bonis opéribus fervéntior exíſtat; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *Can.* 34.

COnſtitúimus ut quátuor anni Témpora, ab ómnibus cum jejúnio obſervéntur: veniántque omnes ad Eccléſiam horâ nonâ cum Litaníis ad Miſsárum ſolémnia.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *C.* Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. *Matth.* 12. 50.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illúſtra; ut vidére poſsímus quæ agénda ſunt, & quæ recta ſunt ágere valeámus; Per, &c.

FERIA QUINTA.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 15. *ad* 21.

DIxit Dóminus ad Móyſen: Quid clamas ad me? Lóquere fíliis Iſrael, ut proficiſcántur. Tu autem éleva virgam tuam, & exténde manum tuam ſuper mare, & dívide illud; ut gradiántur fílii Iſrael in médio mari per ſiccum. Ego autem indurábo cor Ægyptiórum, ut perſequántur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exércitu ejus, & in cúrribus & in equítibus illíus. Et ſcient Ægyptii quia ego ſum Dóminus, cùm gloríficátus fúero in Pharaóne, & in cúrribus atque in æquítibus ejus. Tolléníque ſe Angelus Dei, qui præcedébat caſtra Iſrael, ábiit poſt eos: & cum eo páriter colúmna nubis, prióra dimíttens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiórum & caſtra Iſrael; & erat nubes tenebróſa, & illúminans noctem, ita ut ad ſe ínvicem toto noctis témpore accédere non valérent.

℞. Dies propitiatiónis, *Pag.* 148.

Lectio ij. v. 21. *ad* 29.

CUmque extendíſſet Móyſes manum ſuper mare, ábſtulit illud Dóminus, flante vento veheménti & urénte totâ nocte, & vertit in ſiccum: diviſáque eſt aqua. Et ingréſſi ſunt fílii Iſrael per médium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextrâ eórum & lævâ. Perſequentéſque Ægyptii ingréſſi ſunt poſt eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites, per médium maris. Jamque advénerat vigília matutína; & ecce reſpíciens Dóminus ſuper caſtra Ægyptiórum per colúmnam ignis & nubis, interfécit exércitum eórum: & ſubvértit rotas cúrruum; ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægyptii: Fu-

giámus Iſraélem; Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móyſen: Exténde manum tuam ſuper mare; ut revertántur aquæ ad Ægyptios ſuper currus & équites eórum. Cúmque extendíſſet Móyſes manum contra mare, revérſum eſt primo dilúculo ad prióremlocum: fugientibúſque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reverſæque ſunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui ſequéntes ingréſſi fúerant mare: nec unus quidem ſupérfuit ex eis.

℟. Quærite Dóminum. *Pag.* 148.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 15. 21.

IN illo témpore; Egréſſus Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidónis. Et ecce múlier Chananæa, á finibus ſuis egréſſa, clamávit, dicens ei: Miſerére mei, Dómine Fili David, filia mea malè à dæmónio vexátur. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 22. *in Cap. Matth.* 6.

NOs ipſi cauſa perditiónis noſtræ exiſtimus: non enim inſtánter ad Deum accédimus, non interpellámus aſsíduè, non rogámus quemádmodum pro tantâ eſt dignum causâ rogáre: Sed etſi eum adeámus aliquándo; hoc ita fácimus, quaſi non deſiderémus accípere, neque cum ea fide quæ cóngruit deprecántes: ſed oſcitántes prorſus, ac totâ mente torpéntes, ea quæ vidémur poſtuláre, neglígimus. . . Chananæam illam mulíerem magno certè dono implétam Chriſtus remíſit: in hac vero evidénter oſtendit, quóniam Deus étiam illa quæ nobis paráta non ſunt, dare poſſit, ſi veheméntius poſtulémus. Non, inquit, eſt bonum tóllere panem filiórum & dare cánibus; & tamen dedit, quia illa veheméntius exégit. Accedámus ígitur ad eum, & dicámus: Etiam, Dómine, & canes edunt de micis quæ cadunt de menſa dominórum ſuórum. Accedámus, inquam, opportúnè & importúnè: imò verò numquam contingit importúnè accédere. Importúnum quippe eſt, ſi non aſsíduè eum adeámus; eum enim qui cupit ſemper largíri, ſemper opportúnè orámus.

℟. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, & omnes reges terræ glóriam tuam; * Quia reſpéxit Dóminus in oratiónem humílium, & non ſprevit precem eórũ. ℣. Deus ſupérbis reſíſtit: humílibus autem dat grátiam. * Quia reſpéxit. Glória. * Quia reſpéxit. *Pſ.* 101. 16. 18. 1. *Petr.* 5. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Ve-

aït Chananæa, & adorávit Jeſum, dicens: Dómine, ádjuva me. *Matth.* 15. 25.

Oratio.

SUſcipe, quæſumus, Dómine, preces noſtras; & ſacrátæ tibi plebis, quæ per abſtinéntiam maceratur in córpore, poſtulatiónes ad aures miſericórdiæ tuæ benígnus admítte; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

§. 14. *de Pœnitent'a Cap.* 2.

AD novitátem & integritátem (in Baptiſmo recéptam) per Sacraméntum Pœniténtiæ ſine magnis noſtris flétibus & laboribus, divínâ id exigente juſtítiâ, perveníre nequáquam póſſumus: ut méritò Pœniténtia laborióſus quidam Baptíſmus à ſanctis Pátribus dicta fúerit. Eſt autem hoc Sacraméntum Pœniténtiæ lapſis poſt Baptíſmum ad ſalútem neceſſárium, ut nondum regenerátis ipſe Baptíſmus.

Ad Magnif. Ant. t. 3. *A.* Reſpóndens Jeſus, ait illi: O múlier! magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanáta eſt fília ejus ex illa hora. *Matth.* 15. 28.

Oratio.

ADéſto, Dómine, fidélibus tuis: & quibus ſupplicándi tríbuis miſerátus afféctum, concéde pius conſolatiónis auxílium; Per, &c.

FERIA SEXTA

QUATTUOR TEMPORUM.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 16. *v.* 2. *ad* 6.

MUrmurávit omnis congregátio filiórum Iſrael contra Móyſen & Aáron in ſolitúdine. Dixerúntque filii Iſrael ad eos: Utinam mortui eſſémus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebámus ſuper ollas cárnium, & comedebámus panem in ſaturitate! Cur eduxíſtis nos in desértum iſtud, ut occiderétis omnem multitúdinem fame? Dixit autem Dóminus ad Móyſen: Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo: egrediátur pópulus, & cólligat quæ ſufficiunt per singulos dies; ut tentem eum utrùm ámbulet in lege mea, an non. Die autem ſexto parent quod ínferant; & ſit duplum quàm collígere ſolébant per singulos dies.

℟. Miníſtri Dei mei, *Pag.* 149.

Lectio ij. v. 11. *ad* 15. *&* *v.* 31. *ad* 36.

LOcútus eſt autem Dóminus ad Móyſen, dicens: Audívi murmuratiónes filiórum Iſrael: lóquere ad eos: Véſperè comedétis carnes, & manè ſaturabímini pánibus, ſcietíſque quòd ego ſum Dóminus Deus veſter. Factum eſt ergo véſperè, & aſcéndens cotúrnix, coopéruit caſtra: manè quoque ros jácuit per circúitum

caſtrórum. Cùmque operuíſſet ſuperfíciem terræ, appáruit in ſolitúdine minútum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitúdinem pruínæ ſuper terram. Appellavítque domus Iſrael nomen ejus, Man: quod erat quaſi ſemen coriándri album, guſtúſque ejus quaſi ſímilæ cum melle. Dixit autem Móyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcépit Dóminus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiátur in futúras retrò generatiónes, ut nóverint panem, quo álui vos in ſolitúdine, quando edúcti eſtis de terra Ægypti. Dixítque Móyſes ad Aáron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantùm poteſt cápere gomor: & repóne coram Dómino, ad ſervándum in generationes veſtras, ſicut præcépit Dóminus Móyſi. Poſuítque illud Aáron in tabernáculo reſervándum. Fílii autem Iſrael comedérunt Man quadragínta annis, donec venírent in terram habitábilem: hoc cibo áliti ſunt, úſquequò tángerent fines terræ Chánaan.

℟. Póſui fáciem meam, *Pag.* 150.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 1.

IN illo témpore; Erat dies feſtus Judæórum, & aſcéndit Jeſus Jeroſólymam. Eſt autem Jeroſólymis probática piſcína. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 5. *in Joann.*

CUm vellet Deus appropinquántes Baptiſmatis fidem nos erudíre, non ſolùm morbos, ſed peccáta per aquam éxpulit. Quod ſigníficans, dixit: Ecce ſanus factus es; jam noli peccáre; ne detérius tibi áliquid contíngat. Quid hîc admonémur? Primùm quòd ex peccátis morbi generãtur. Deinde, quod verum eſt, apud gehénnam máximum & perpétuum eſſe supplícium. Illud prætérea conſiderándum, quòd ſi gravem priórum ſcélerum pœnam dédimus, deínde iíſdem incidérimus, dábimus longè majórem, & méritò ſanè. Qui enim ſupplício non fit mélior, tamquam ſtúpidus quidam & contémptor, graviórem ſibi pœnam præparat. Quòd ſi poſt datas pœnas in eádem íterum crímina relápſi, gravióri pœnâ affícimur, quid his ſperándum eſt, qui in ipſo ſupplício in iíſdem ſcéléribus pertináciter perſevérant? Quòd ſi in peccátis perſiſténdo nullam pœnam dedérimus; illud Apoſtólicum meminérimus; Quòd benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit: ſecúndùm autem durítiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.

℟. Expectátio Iſrael, Dómine: omnes, qui te dere-

línquunt, confundéntur. * Sana me, Dómine, & ſanábor: ſalvum me fac, & ſalvus ero; quóniam laus mea tu es. ℣. Dómine, hóminem non hábeo, ut cùm turbáta fúerit aqua, mittat me in piſcínam. * Sana me. Glória. * Sana. *Jerem.* 17. 13. 14. *Joan.* 5. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Erat autem quidam homo, trigínta & octo annos habens in infirmitáte ſua. Hunc cùm vidíſſet Jeſus jacéntem, dicit ei: Vis ſanus fieri? *Joan.* 5. 5. 6.

Oratio.

PRætende, Dómine, fidélibus tuis déxteram cœléſtis auxílii; & qui peccatóres ad pœniténtiam próvocas, ipſis ſincérum converſiónis deſidérium inſpíra; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi.

An. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 5.

NEcéſſe eſt ut hæc prophética, imò cœléſtis tuba quâ præcípitur (Clama, ne ceſſes; quaſi tuba exálta vocem tuam, & annúntia pópulo meo ſcélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum,) & prædicatóres & auditóres à ſomno torpóris & negligéntiæ tandem éxcitet; ut hi de útili ſua prædicatióne, & illi de obediénti impletióne, ætérnâ à Dómino donéntur remuneratióne.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Statim ſanus factus eſt homo ille; & ſúſtulit grabátum ſuum, & ambulábat. *Joan.* 5. 9.

Oratio.

AUxiliáre, Dómine, quæréntibus miſericórdiam tuam; ut qui animárum ſuárum languóres humíliter confiténtur, te operánte ad plenam rédeant ſanitátem; Per Dóminum noſtrum, &c.

SABBATO.

QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 20. *v.* 1. *ad* 8.

LOcútus eſt Dóminus cunctos ſermónes hos: Ego ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti, de domo ſervitútis. Non habébis deos aliénos coram me. Non fácies tibi ſcúlptile, neque omnem ſimilitúdinem quæ eſt in cœlo déſuper, & quæ in terra deórſum, nec eórum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorábis ea, neque coles: ego ſum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes, víſitans iniquitatem patrum in fílios, in tértiam & quartam generatiónem eórum qui odérunt me; & fáciens miſericórdiam in míllia his qui díligunt me, & cuſtódiunt præcépta mea. Non aſſúmes nomen Dómini Dei tui in vanum; nec enim habébit inſóntem Dóminus eum, qui aſſúmpſerit nomen Dómini Dei ſui in fruſtrà.

℟. Adjútor in opportunitátibus. *Pag.* 151.

Lectio ij. v. 8. *ad* 18.

MEménto ut diem Sábbati ſanctífices. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua. Séptimo autem die Sábbatum Dómini Dei tui eſt: non fácies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, ſervus tuus & ancílla tua, juméntum tuum, & ádvena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diébus fecit Dóminus cœlum & terram, & mare, & ómnia quæ in eis ſunt, & requiévit in die séptimo; idcírcò benedíxit Dóminus diéi Sábbati, & ſanctificávit eum. Honóra patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falſum teſtimónium. Non concupíſces domum próximi tui, nec deſiderábis uxórem ejus, non ſervum, non ancíllam, non bovem, non áſinum, nec ómnia quæ illíus ſunt.

℟. Tu, Deus noſter. *Pag.* 151.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8. *v.* 31.

IN illo témpore; Dicébat Jeſus ad eos qui credidérunt ei, Judæos: Si vos manséritis in ſermóne meo, verè diſcípuli mei éritis: & cognoſcétis veritátem, & véritas liberábit vos. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Joan. Tract. 41.

AMen, amen dico vobis: Quia omnis qui facit peccátum, ſervus eſt peccáti. O miſerábilis ſérvitus! Plerúmque hómines, cùm dóminos malos patiúntur, venáles ſe petunt; non quæréntes dóminum non habére, ſed ſaltem mutáre: ſervus peccáti quid fáciat? quem interpéllet? apud quem interpéllet? apud quem ſe venálem petat? Deínde ſervus hóminis aliquándo ſui dómini duris impériis fatigátus, fugiéndo requiéſcit: ſervus peccáti quò fugit? ſecum ſe trahit, quòcúmque fúgerit. Non fugit ſeípſam mala conſciéntia, non eſt quò eat, ſéquitur ſe; imò non recédit à ſe; peccatum enim quod facit, intus eſt. Fecit peccátum, ut áliquam corporálem cáperet voluptátem: volúptas tranſit, peccátum manet; prætériit quod delectábat, remánſit quod pungat.

℟. Aſpice in me, Dómine, & miſerére meî. * Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum: † Et non dominétur meî omnis injuſtítia. ℣. Omnis, qui facit peccátum, ſervus eſt peccáti. * Greſſus meos. Glória.

℟ Et non dominétur. *Pſ.* 118. 132. 133. *Joan.* 8. 34.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Si vos manséritis in ſermóne meo, verè diſcípuli mei éritis; & cognoſcétis veritátem, & véritas liberábit vos. *Joan.* 8. 31. 32.

Oratio.

PReces noſtras, quæſumus, Dómine cleménter exáudi; atque à peccatórum vínculis abſolútos, ab omni nos adverſitáte cuſtódi; Per Dóminum, &c.

C A N O N

Ex Concílio Tulléni ad Saponárias.

An. 859. *in Epiſtolà Synodi ad Epiſcopos Britonum.*

QUidam ex nobis mandáta Dei, & minas ejus atque promiſſiónes cognóſcimus; ſed non timémus, neque amámus: Quidam neque cognóſcere dignámur; & utríque ſumus in magno perículo, niſi convertámur, ántequam moriámur. Mors noſtra incérta eſt unicuíque noſtrûm; & certa eſt vindícta Dei, & in próximo; niſi convérſio & pœniténtia nobis ſubvénerit.

AD VESPERAS.

Officii finis.

Sincera ſit converſio.

Ant. t. 2. *D.* COnvertímini, peccátores, & fácite juſtítiam coram Deo, credéntes quòd fáciet vobíſcum miſericórdiam ſuam. *Tob.* 13. 8.

Ant. t. 3. *a.* Dóminus bonus propitiábitur cunctis, qui in toto corde requírunt Dóminum Deum. 2. *Paral.* 30. 18. 19.

Ant. t. 4. *A.* Sanctum nomen Dómini in excelſo & in ſancto hábitans, & cum contríto & húmili ſpíritu; ut vivíficet ſpíritum humílium. *Iſ.* 57. 15.

Ant. t. 7. *A.* Homo videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. 1. *Reg.* 16. 7.

Ant. t. 8. *G.* Ipſe (Dóminus) erit Salvátor meus; non enim véniet in conſpectu ejus omnis hypócrita. *Job.* 13. 16.

Capitulum. Eccli. 1. 36. 37. 39.

NE accéſſeris ad Dóminum, dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conſpectu hóminum, ne revélet Deus abſcónſa tua.

HYMNUS.

QUod lex adumbrábat vetus,
Quod ipſe ſacrávit, novi
Chriſtus miniſter fœderis,
Decúrrimus jejúnium.
Profána ceſſent gáudia:
Nos tempus ad luctum vocat:
Mœróre vultus pálleant,
Plactúque templa pérſonent.
Lugúbris at fruſtra ſonus
Ad Numen irátum venit,
Ni corde pulſus íntimo,
Senſum dolóris índicet.
Nil fróntibus ſparſus cinis:
Nil ſciſſa veſtis próderit;
Ni fracta ſcindantur ſimul
Vivo dolóre péctora.

Tuo, Deus, qui lúmine
Mentes tuéris íntimas,
Reos doléntes crímina
Flecti parátus, ſuſcipe.

Culpis tibi quot díſplicet,
Tot cor litat dolóribus:
Ultrix ſuo fac cháritas
Adúrat igne víctimam.

Audi, beáta Trínitas,
Noſtríſque votis ánnuens
Contríta fac jejúniis
Tibi litémus pectora. Amen.

℣. Sanat Dóminus contrítos corde; ℟. Et álligat contritiónes eórũ. *Pſ.* 146. 3.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *e.* Convérte nos, Dómine, ad te; & convertémur: ínnova dies noſtros, ſicut à princípio. *Thr.* 5. 21.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA SECUNDA
IN QUADRAGESIMA.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Dóminum, qui propè eſt ómnibus invocántibus eum in veritáte, *Veníte, adorémus. *Pſ.* 144. 18.

IN I. NOCTURNO.

Nonniſi contritos corde ſuſcipit Dominus.

Ant. t. 1. *A.* Eſt qui néquiter humíliat ſe, & interióra ejus plena ſunt dolo. *Eccli.* 19. 23.

Ant. t. 2. *D.* Si revérteris, Iſrael, ait Dóminus, ad me convértere: ſi abſtúleris offendícula tua à fácie mea, non commovéberis. *Jerem.* 4. 1.

Ant. t. 3. *a.* Convertímini, filii reverténtes, & ſanábo averſiónes veſtras. Ecce nos venímus ad te: tu enim es Dóminus Deus noſter. *Jerem.* 3. 22.

℣. Loquétur Dóminus pacem in plebem ſuam; ℟. Et in eos, qui convertúntur ad cor. *Pſ.* 84. 9.

Incipit liber Levítici.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

Vocávit Móyſen, & locútus eſt ei Dóminus de tabernáculo teſtimónii, dicens: Lóquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Homo, qui obtúlerit ex vobis hóſtiam Dómino de pecóribus, id eſt, de bobus & ovibus, ófferens víctimas, ſi holocáuſtum fúerit ejus oblátio, ac de arménto; máſculum immaculátum ófferet ad óſtium tabernáculi teſtimónii, ad placándum ſibi Dóminum; ponetque manum ſuper caput hóſtiæ, & acceptábilis erit, atque in expiatiónem ejus profíciens. Immolabítque vitulum coram Dómino, & ófferent filii Aáron ſacerdótes ſánguinem ejus, fundéntes per altaris circúitum, quod eſt ante óſtium tabernáculi.

℟. Nunc dicit Dóminus: Convertímini ad me in toto corde veſtro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. *Et ſcíndite corda veſtra, & non veſtiménta veſtra. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, peccatóres: & purificáte corda, & lugéte & plo-

râte. * Et ſcíndite. *Joel.* 2. 12. 13. *Jacob.* 4. 8. 9.

Lectio ij. Cap. 8. *v.* 4. *ad* 14.

CONgregátâ omni turbâ ante fores tabernáculi, ait: Iſte eſt ſermo, quem juſſit Dóminus fieri. Statímque óbtulit Aáron & fílios ejus. Cùmque laviſſet eos, veſtívit pontíficem ſubúculâ líneâ, accíngens eum bálteo, & índuens eum túnicâ hyacínthinâ, & déſuper humerále impóſuit, quod aſtríngens cíngulo aptávit rationáli, in quo erat Doctrina & Véritas. Cídari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, póſuit láminam áuream conſecrátam in ſanctificatione, ſicut præcéperat ei Dóminus. Tulit & unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum omni ſupelléctili ſua. Cùmque ſanctíficans aſpersiſſet altáre ſeptem vícibus, unxit illud, & ómnia vaſa ejus, labrúmque cum baſi ſua ſanctificávit óleo. Quod fundens ſuper caput Aáron, unxit eum, & conſecrávit: fílios quoque ejus oblátos veſtívit túnicis líneis, & cinxit bálteis, impoſuítque mitras, ut júſſerat Dóminus.

℟. Nolíte jejunáre ſicut uſque ad hanc diem, ut audiátur in excélſo clamor veſter. * Nonne hoc eſt magis jejúnium quod elégi? Diſsólve colligatiónes impietátis, & omne onus dirúmpe. ℣. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleántur peccáta veſtra. * Nonne hoc eſt. *Iſ.* 58. 4. 6. *Act.* 3. 19.

Lectio iij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 8.

ARreptíſque Nadab & Abiu fílii Aáron thuríbulis, poſuérunt ignem & incénſum déſuper, offeréntes coram Dómino ignem aliénum; quod eis præcéptum non erat. Egreſsúſque ignis à Dómino, devorávit eos, & mórtui ſunt coram Dómino. Dixítque Móyſes ad Aáron: Hoc eſt quod locútus eſt Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli glorificábor. Quod áudiens tácuit Aáron. Vocátis autem Móyſes Miſaéle & Eliſaphan fíliis Oziel, pátrui Aáron, ait ad eos: Ite & tóllite fratres veſtros de conſpéctu Sanctuárii, & aſportáte extra caſtra. Confeſtímque pergéntes, tulérunt eos ſicut jacébant, veſtítos líneis túnicis, & ejecérunt forás, ut ſibi fúerat imperátum. Locutúſque eſt Móyſes ad Aáron, & ad Eleázar, & Ithamar fílios ejus: Cápita veſtra nolíte nudáre, & veſtiménta nolíte ſcíndere, ne fortè moriámini, & ſuper omnem cœtum oriátur indignátio. Fratres veſtri & omnis domus Iſrael plangant incéndium quod Dóminus ſuſcitávit: vos autem non egrediémini fores tabernáculi, alióquin períbitis: óleum quippe ſan-

ctæ unctiónis eſt ſuper vos. ℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes veſtras, & * Fácite vobis cor novum, & ſpíritum novum: quia † Nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus Deus; revertímini, & vívite. ℣. Patiénter agit Dóminus propter vos, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti. * Fácite vobis. Glória. † Nolo mortem. *Ezech.* 18. 31. 32. 2. *Petr.* 3. 9.

IN II. NOCTURNO.

Væ illi qui ſolam gerit pœnitententiæ larvam: ſcrutatur corda & renes Deus.

Ant. t. 4. *A.* Quæ eſt ſpes hypócritæ? Numquid Deus áudiet clamórem ejus, cùm vénerit ſuper eum angúſtia? *Job* 27. 8. 9.

Ant. t. 7. *A.* Si peccáverint tibi (non eſt enim homo qui non peccet,) & revérſi fúerint ad te in univérſo corde ſuo, Dómine, & totâ animâ ſuâ; propitiáberis pópulo tuo qui peccávit. 3. *Reg.* 8. 46. 48. 50.

Ant. t. 8. *C.* Tu exáudies, & propitiáberis unicuíque ſecúndùm omnes vias ſuas, ſicut víderis cor ejus; quia tu noſti ſolus cor ómnium filiórum hóminum. 3. *Reg.* 8. 39.

℣. Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, ℟. Scrutans corda & renes, Deus. *Pſ.* 7. 10.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. Serm. 2. *in Capite Jejunii.*

CONvertímini ad me in toto corde veſtro ... ait Dóminus omnípotens. Fratres, ſi dixíſſet, Convertímini, nihil addens; eſſet nobis fórſitan líberum reſpondére: Factum eſt, jam áliud propóne mandátum. Nunc autem ſpirituális, ut áudio, converſiónis nos ádmonet, quæ non unâ die perfícitur: útinam vel in omni vita quâ dégimus in hoc córpore, váleat conſummári! Forma ſiquidem converſiónis eſt iſta, non véritas, vácuam virtúte, gerens ſpéciem pietátis. Miſer homo, qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignárus interiórum ſuórum! Putans áliquid ſe eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſedúcit. Sicut aqua effúſus ſum, ait Pſalmíſta in perſóna hóminis hujuſcémodi, & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea. Exteriórem quippe ſuperfíciem íntuens, ſalva ſibi ómnia ſuſpicátur, non ſéntiens vermem occúltum, qui in interióra corródit. Manet tonſúra, veſtis necdum mutáta eſt, jejuniórum régula cuſtodítur, ſtatútis psállitur horis: ſed cor longè eſt à me, dicit Dóminus.

℟. Humiliémus Deo ánimas noſtras: * Et in ſpíritu conſtitúti humiliáto, ſerviéntes illi, expectémus húmi-

les conſolatiónem. ℣. Abnegántes impietátem, & ſæculária deſidéria, sóbriè & juſtè, & piè vivámus in hoc ſæculo. * Et in ſpíritu. *Judith.* 8. 16. 20. *Tit.* 2. 12.

Lectio v.

ATténde ſolérter quid díligas, quid metuas: unde gáudeas, aut contriſtéris; & ſub hábitu religiónis ánimum ſæculárem, ſub pannis converſiónis invénies cor pervérſum. Totum enim cor in his quátuor affectiónibus eſt: & de his accipiéndum puta quod dícitur, Ut in toto corde tuo convertáris ad Dóminum. Convertátur proínde amor tuus: ut nihil omníno díligas niſi ipſum, aut certè propter ipſum. Cõvertátur étiam ad ipſum timor tuus: quia pervérſus eſt timor omnis quo métuis áliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gáudium tuum, & triſtítia tua æque convertántur ad ipſum. Hoc autem ita fiet, ſi nonniſi ſecúndùm eum dóleas, aut lætéris. Quid enim pervérſum magis, quàm lætári cùm malè féceris, & in rebus péſſimis exultáre? Sed & ea quoque quæ ſecúndùm carnem eſt triſtítia, mortem operátur. Si pro tuo, ſive próximi peccáto doles, benefacis, & hæc triſtítia eſt ad ſalútem. Si gáudeas ad múnera grátiæ; hoc gáudium ſanctum eſt, & ſecúrum gáudium in Spíritu ſancto.

℟. Si voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique: holocáuſtis non delectáberis. * Sacrifícium Deo, ſpíritus contribulátus: cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. ℣. Quæ ſecúndùm Deum triſtítia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur. * Sacrifícium Deo. *Pſ.* 50. 18. 19. 2. *Cor.* 7. 10.

Lectio vj.

ADdit deínde Prophéta (Et ſcíndite corda veſtra & non veſtiménta veſtra.) Quibus verbis maniféſtè prior ille pópulus Judæórum, & durítiæ cordis, & vanæ ſuperſtitiónis argúitur. Crebra ſíquidem apud eos ſcíſſio véſtium, ſed non córdium eſſe ſolébat. Quando enim ſcinderéntur corda lapídea, quæ non póterant nec circumcídi? (Scíndite, inquit corda veſtra, & non veſtiménta veſtra.) Quis in vobis eſt, cujus volúntas circa unum áliquid ſolet obſtinátior inveníri? Scindat cor ſuum gládio ſpíritûs, quod eſt verbum Dei: ſcindat illud, & in multas minútias feſtínet diſpertíri: alióquin non eſt convérti ad Dóminum in toto corde, niſi ſciſſo corde... Audi hóminem, quem ſecúndùm cor ſuum invénerat Deus: (Parátum, inquit, cor meum, Deus, parátum cor meum:)

parátum ad adverſa, parátum ad próſpera: parátum ad humília: parátum ad ſublímia, parátum ad univérſa quæcúmque præcéperis.

℟. Dimíttam advérſum me elóquium meum: * Loquar in amaritúdine ánimæ meæ. † Dicam Deo: Noli me condemnáre. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. * Loquar. Glória † Dicam Deo. *Job.* 10. 1. 2. *Luc.* 15. 18.

IN III. NOCTURNO.

Induat novum hominem, quiſquis verè convertitur ad Dominum.

Ant. 1. 2. *D.* Accedámus cum vero corde, in plenitúdine fidei, aſpérſi corda a conſciéntia mala. *Hebr.* 10. 22.

Ant. 1. 4. *a.* Si reprehénderit nos cor noſtrum; major eſt Deus corde noſtro, & novit ómnia. 1. *Joan.* 3. 20.

Ant. 1. 8. *g.* Renovámini ſpíritu mentis veſtræ, & indúite novum hóminem, qui ſecúndum Deum creátus eſt in juſtítia, & ſanctitáte veritátis. *Epheſ.* 4. 23. 24.

℣. Miſerére mei, Dómine, & exáudi me. ℟. Tibi dixit cor meum, Exquiſívit te fácies mea. *Pſ.* 26. 7. 8.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17. *v.* 1.

In illo témpore; Aſſúmit Jeſus Petrum, & Jacóbum, & Joánnem fratrem ejus, & ducit illos in montem excélſum ſeórſum, & transfigurátus eſt ante eos. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In hunc locum; inter Homil. æſtiv. de Sanctis.

Quia Dóminus ac Redémptor noſter eléctos ſuos per hujus vitæ labóres ad illam, quæ labórem neſcit, vitam futúræ beatitúdinis introdúcere diſpóſuit, modò per Evangélium ſuum ſudóres certáminum temporálium, modò æternórum deſcríbit palmam præmiórum: ut audítis vidélicet agónum neceſſitátibus, meminerint ſibi réquiem in hac vita nequáquam eſſe peténdam: audítâ rurſum dulcédine futúræ retributiónis léviùs ferant mala tranſitória, quæ bonis ſperáverint remuneránda perpétuis... Oſtenſúrus glóriam ſuam diſcípulis, in montem eos ducit excélſum: ut dóceat omnes, qui hanc vidére deſíderant, non in ínfimis jacére voluptátibus, non illécebris ſervíre carnálibus, non cupiditátibus adhæréſcere terrénis; ſed æternórum amóre ad ſupérna ſemper érigi.

℟. Quaſi colúmbæ meditántes gemémus: multiplicátæ ſunt enim iniquitátes noſtræ, & peccáta noſtra reſpondérunt nobis; * Quia ſcélera noſtra nobíſcum, & iniquitátes noſtras cognóvimus. ℣. Si dixérimus quo-

niam peccátum non habémus; ipſi nos ſedúcimus, & véritas in nobis non eſt. * Quia ſcélera. *Iſ.* 59. 11. 12. 1. *Joan.* 1. 8.

Lectio viij.

TRansfigurátus eſt ante eos: & reſplénduit fácies ejus ſicut ſol. Transfigurátus eſt ante diſcípulos Dóminus, & ſui córporis glóriam, quâ per reſurrectiónem erat illuſtrándus, ſignificat: & electórum ómnium quantæ claritátis poſt reſurrectiónem ſint córpora futúra, maniféſtat... Quod ſi beátus Petrus glorificátam Chriſti humanitátẽ contémplans, tanto affícitur gáudio; quis ſermo explicáre, quis ſenſus valet comprehéndere, quanta ſint gáudia juſtórum, cùm accéſſerint ad Sion montem, & ad civitátem Dei vivéntis Jerúſalem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam; ipsúmque civitátis ejúsdem artíficem & conditórem Deum, non per ſpéculum, & in ænígmate, ſicut nunc, ſed fácie ad fáciem conſpéxerint?

℟. Benedíctum nomen tuum, Deus patrum noſtrórum, qui cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies, & in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his qui ínvocant te: * Ad te, Domine, fáciem meam convérto, & ad te óculos meos dírigo. ℣. Pater, peccávi in cœlum, & coram te. * Ad te. *Tob.* 3. 13. 14. *Luc.* 15. 21.

Lectio ix.

AD noſtram, fratres chariſſimi, conſcientiam revertámur; & ſi Dómini glóriam vidére deléctat, tranſitis carnálibus deſidériis ſubeámus in montem virtútum. Si ad veſtiménta Dómini candidiſſima pertinére vólumus, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs, perficiéntes ſanctificatiónem in timóre Dei. Si vocem Dei Patris audíre, ſi conſubſtantiális ejus Fílii majeſtátem deſiderámus intuéri, ſtudeámus ſollícitè pervérſa & inutília mortálium verba declináre: ſtudeámus à ſupervácuis ſæculi falléntis óculos avértere ſpectáculis, quátenus reſurrectiónis noſtræ glóriâ coruſcánte, & ipſi quidem quæ modò nequímus magnália noſtri Conditóris vidére ſimul & dícere mereámur.

℟. Super flúmina Babylónis illìc sédimus & flévimus, cùm recordarémur Sion: interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos: Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion: * Quómodo cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna? ℣. Ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes. * Quómodo. Glória. * Quómodo. *Pſ.* 136. 1. 3. 4. *Rom.* 8. 23.

AD LAUDES.

Miſericordia illi, qui ſincero corde ad Deum revertitur.

℣. *Sacerdos.* Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia in te ſperavi. *Pſ.* 142. 8.

Ant. 1. *A.* POſtquam convertiſti me, Domine, egi pœniténtiam: confuſus ſum & erúbui, quóniam ſuſtinui opprobrium adoleſcéntiæ meæ. *Jerem.* 31. 19.

Ant. 1. 2. *D.* Deus meus, confúndor, & erubéſco leváre faciem meam ad te. 1. *Eſdr.* 9. 6.

Ant. 1. 3. *a.* Dediſti timórem tuum in córdibus noſtris, ut laudémus te; quia convértimur ab iniquitate. *Baruch.* 3. 7.

Ant. 1. 4. *a.* Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitúdine mali, & incédit curva & infirma, & óculi deficientes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & juſtitiam, Dómine. *Baruch.* 2. 18.

Ant. 1. 7. *c.* Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad ſe! *Eccli.* 17. 28.

Capitulum. Iſ. 55. 7.

DErelinquat impius viã ſuam, & vir iniquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum; & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum; quóniam multus eſt ad ignoſcendum.

℣. Convértere, Dómine, & éripe animam meam; ℟. Salvum me fac propter miſericordiam tuam. *Pſ.* 6. 5.

Ad Bened. Ant. 1. 5. *a.* Petrus dixit ad Jeſum: Dómine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciámus hic tria tabernacula: Tibi unum, Móyſi unum, & Eliæ unum. *Matth.* 17. 4.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis omni nos virtute deſtitui, intériùs exteriuſque cuſtódi; ut ab omnibus adverſitátibus muniámur in córpore, & à pravis cogitatiónibus mundemur in mente; Per Dóminum, &c.

Ad Horas br. Ant. de Laudibus, quartâ prætermiſſâ.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi, &c. ℟. *br. ut in Pſalterio.*

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Seſ. 14. *de Pænit. Cap.* 4.

DEclarat ſancta Synodus, contritionem non ſolùm ceſſationem à peccáto, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continére; juxta illud: Projícite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 12. 2.

NOlite conformári huic ſæculo, ſed reformámini in novitate ſensûs veſ-

tri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona

℟. *br.* Ego dixi : Domine, * Miſerere mei. Ego dixi. ℣. Sana animam meam ; quia peccavi tibi. * Miſerere. Gloria. Ego dixi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Sana contritiones ejus, ℟. Quia commota eſt. *Pſ.* 59. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 17.

SI qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſiérunt : ecce facta ſunt ómnia nova.

℟. Cor mundum * Crea in me, Deus. Cor. ℣. Et ſpíritum rectum innova in viſcéribus meis. * Crea. Glória. Cor. *Pſ.* 50. 12.

℣. Iniquitatem meam ego cognóſco : ℟. Et peccatum meum contra me eſt ſemper. *Pſ.* 50. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 1. 9.

SI confiteámur peccáta noſtra ; fidélis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccáta noſtra, & emúndet nos ab omni iniquitate.

℟. *br.* Dixi : Confitébor adversùm me * Injuſtitiam meam. Dixi. ℣. Et tu remiſiſti impietatem peccáti mei. * Injuſtitiam. Glória. Dixi. *Pſ.* 31. 5.

℣. Delíctum meum cógnitum tibi feci; ℟. Et injuſtítiam meam non abſcóndi. *Pſ.* 31. 5.

AD VESPERAS.

Non eſt [illegible]

Ant. 1. *d.* VOs eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda veſtra. *Luc.* 16. 15.

Ant. 2. *D.* Nunc depónite & vos omnia, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum. *Coloſ.* 3. 8. 9. 10.

Ant. 4. *e.* Niſi converſi fuéritis, & efficiámini ſicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlorum. *Matth.* 18. 3.

Ant. 7. *d.* Munda priùs quod intus eſt; ut fiat id quod deforis eſt mundum. *Matth.* 23. 26.

Ant. 8. *g.* In tribulatióne máxima erunt, niſi pœniténtiam ab opéribus ſuis egerint : quia ego ſum ſcrutans renes & corda. *Apoc.* 2. 22. 23.

Capitulum. Rom. 6. 12. 13.

NOn ergo regnet peccátum in veſtro mortali córpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris; ... ſed exhibete vos tamquam ex mortuis viventes.

HYMNUS *ut in Veſperis Sabbati.*

℣. Sacrificium Deo ſpíritus cõtribulatus : ℟. Cor contrítum & humiliatum, Deus, non deſpícies. *Pſ.* 50. 19.

Ad Magnif. Ant. 1. *A.* Deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus, dicens : Némini dixeritis vi-

CANON

Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 6. Cap. 6.

DIſponúntur (adúlti) ad juſtítiam, cùm peccatóres ſe eſſe intelligéntes, à divínæ juſtítiæ timóre, quo utíliter concutiúntur, ad cõſiderándam Dei miſericórdiam ſe converténdo, in ſpem erigúntur, fidéntes Deum ſibi propter Chriſtum propítium fore; illúmque tamquam juſtítiæ fontem dilígere incípiunt.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Qui me miſit, mecum eſt, & non relíquit me ſolum: quia ego, quæ plácita ſunt ei, fácio ſemper. *Joan.* 8. 29.

Oratio.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, perpétuum grátiæ tuæ præſídium, quo voluntátem tuam plácitis tibi ſemper opéribus exequámur; Per Dóminum, &c.

FERIA TERTIA.

Incipit liber Númeri.
Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

LOcútus eſt Dóminus ad Móyſen in deſérto Sínaï in tabernáculo fœderis, primâ die menſis ſecúndi, anno áltero egreſſiónis eórũ ex Ægypto, dicens: Tóllite ſummam univérſæ congregatiónis filiórum Iſrael per cognatiónes & domos ſuas, & nómina ſingulórum, quidquid ſexûs eſt maſculíni, à vigéſimo anno & ſuprà, ómnium virórum fórtium ex Iſrael; & numerábitis eos per turmas ſuas, tu & Aáron. Erúntque vobíſcum príncipes tríbuum ac domórum in cognatiónibus ſuis.

℟. Humiliémus. *Pag.* 170.

Lectio ij. v. 47. *ad finem.*

LEvítæ autem in tribu familiárum ſuárum non ſunt numeráti cum eis. Locutúſque eſt Dóminus ad Móyſen, dicens: Tribum Levi noli numeráre, neque pones ſummam eórum cum fíliis Iſrael: ſed conſtítue eos ſuper tabernáculum teſtimónii, & cũcta vaſa ejus, & quidquid ad cæremónias pértinet. Ipſi portábunt tabernáculum & ómnia utenſília ejus: & erunt in miniſtério, ac per gyrum tabernáculi metabúntur. Cùm proficiſcéndum fúerit, depónent Levítæ tabernáculum: cùm caſtra metándum, érigent. Quiſquis externórum accéſſerit, occidétur. Metabúntur autem caſtra filii Iſrael unuſquiſque per turmas, & cúneos atque exércitum ſuum. Porrò Levítæ per gyrum tabernáculi figent tentória, ne fiat indignátio ſuper multitúdinem filiórum Iſrael, & excubábunt in cuſtódiis tabernáculi teſtimónii. Fecérunt ergo filii Iſrael juxta ómnia quæ præcéperat Dóminus Móyſi.

℟. Si voluíſſes. *Pag.* 171.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 23. v. 1.

IN illo témpore; Jeſus locútus eſt ad turbas, & ad diſcípulos ſuos, dicens: Super cáthedram Móyſi ſedérunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcúmque díxerint vobis ſerváte, & fácite: ſecúndùm ópera verò eórum nolíte fácere. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 72. in Matth.

CHriſtus auditóres ut eméndet, illud máximè jubet quod primùm ad salútem conducébat, nempe doctóres non contémnere, nec contra Sacerdótes insúrgere. Neque modò jubet, ſed étiam ipſe ſervat. Nam corrúptos illos è gradu non déjicit; quâ ratióne illis grávius judícium attrahébat: diſcípulis verò nullam relinquébat inobediéntiæ occaſiónem, ne quis porrò díceret, Quia ímprobus doctor eſt, ídeò ſégnior evási, hunc quoque obtéxtum aufert. Sic ergo illorum principátum conſtítuit, etiámſi ímprobi eſſent, ita ut poſt tantam ipſis oblátam criminatiónem díceret: (Omnia quæcúmque díxerint vobis fácite:) neque ſua dicùnt, ſed quæ Dei ſunt, quæ per Móyſen ille præcépit: animadvérte quantum Móyſi conferat honórem, rurſus ſuam cum véteri lege concórdiam oſténdens, quando quidem hinc illos venerábiles reddit. Super cáthedram Móyſi ſedérunt, inquit; quia non póterat illos ex vita commendáre, à quibus licébat id facit, à ſede nempe & à ſucceſſióne.

℟. Obedíte præpóſitis veſtris, & * Subjacéte eis: ipſi enim pervígilant quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri. † Deus autem pacis aptet vos in omni bono. ℣. Pópulum meum docébunt quid ſit inter ſanctum & pollútum. * Subjacéte eis. Glória. † Deus autem. *Hebr.* 13. 17. 20. 21. *Ezech.* 44. 23.

Ad Bened. Ant. t. 7. A. Super cáthedram Móyſi ſedérunt Scribæ & Phariſæi. Omnia quæcúmque díxerint vobis, ſerváte, & fácite. *Matth.* 23. 2. 3.

Oratio.

DEus, qui Eccléſiæ tuæ miníſtros ſic ipſe commendáſti, ut qui eos ſpernit, te ſpernat; qui eos audit, te áudiat: præſta, ut vidéntes miniſtérium quod accepérunt, populórum veneratióne dignos ſe ſemper exhíbeant; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. Cap. 4. de Pænit.

DOcet (ſancta Synodus) etſi contritiónem aliquándo charitáte perféctam eſſe contíngat, hominémque Deo reconciliáre, priùſ-

quam ſacraméntum actu ſuſcipiátur ; ipſam nihilóminus reconciliatiónem ipſi contritióni ſine ſacraménti voto, quod in illa inclúditur, non eſſe adſcribéndam.

Ad Magnif. *Ant.* 2. *D.* Qui major eſt veſtrûm, erit miníſter veſter. Qui autem ſe exaltáverit, humiliábitur : & qui ſe humiliáverit, exaltábitur. *Matth.* 23. H. 12.

Oratio.

Concéde, quǽſumus, omnípotens Deus ; ut qui de paradíſo per ſupérbiam ejécti ſumus, ad eúmdem per humilitátem redeámus ; Per Dóminum, &c.

FERIA QUARTA.

De libro Númeri.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 2. *ad* 9.

Murmuráti ſunt contra Móyſen & Aaron cuncti filii Iſrael, dicéntes : Utinam mórtui éſſemus in Ægypto : & in hac vaſta ſolitúdine útinam pereámus, & non indúcat nos Dóminus in terram iſtam, ne cadámus gládio, & uxóres ac líberi noſtri ducántur captívi ! Nonne mélius eſt revérti in Ægyptum ? Dixerúntque alter ad álterum : Conſtituámus nobis ducem, & revertámur in Ægyptum. Quo audíto Móyſes & Aaron, cecidérunt proni in terram coram omni multitúdine filiórum Iſrael. At vero Jóſue filius Nun, & Caleb filius Jéphone, qui & ipſi luſtráverant terram, ſcidérunt veſtiménta ſua, & ad omnem multitúdinem filiórum Iſrael locúti ſunt : Terra quam circuívimus, valde bona eſt. Si propítius fúerit Dóminus, indúcet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manántem.

℟. Quaſi colúmbæ, *pag.* 172.

Lectio ij. v. 26. *ad* 35.

Locutúſque eſt Dóminus ad Móyſen & Aaron, dicens : Uſquequò multitúdo hæc péſſima múrmurat contra me ? Querélas filiórum Iſrael audívi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dóminus ; ſicut locúti eſtis audiénte me, ſic fáciam vobis. In ſolitúdine hac jacébunt cadávera veſtra. Omnes qui numeráti eſtis à vigínti annis & ſuprà ; & murmuráſtis contra me, non intrábitis terram, ſuper quam levávi manum meam, ut habitáre vos fácerem, præter Caleb filium Jéphone ; & Jóſue filium Nun. Párvulos autem veſtros, de quibus dixíſtis quòd prædæ hóſtibus forent, introdúcam ; ut vídeant terram, quæ vobis diſplícuit. Veſtra cadávera jacébunt in ſolitúdine. Filii veſtri erunt vagi in deſérto annis quadragínta, & portábunt fornicatiónem veſtram, donec conſumántur cadávera patrum in deſérto, juxta númerum quadragínta diérum, quibus conſi-

deráſtis terram: annus pro die imputábitur: Et quadragínta annis recipiétis iniquitátes veſtras, & ſciétis ultiónem meam.

℟. Benedíctum, *pag.* 173.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 20. *v.* 17.

IN illo témpore; Aſcéndens Jeſus Jeroſólymam, aſſúmpſit duódecim diſcípulos ſecrétò, & ait illis: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & Fílius hóminis tradétur princípibus Sacerdótum, & Scribis, & condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Pſal. 126. *n.* 4. & 5.

FIlii Zebedæi ántequam humiliaréntur ſecúndùm paſſiónem Dómini, jam ſibi loca eligébant, ubi ſedérent, unus ad déxteram, alter ad ſiníſtram. Revocávit illos Dóminus ad humilitátem, cùm hoc audíret, & ait illis: Potéſtis bíbere cálicem quem ego bibitúrus ſum? Exaltári vultis, ántequam humiliémini? Dóminus ipſe veſter, qui eſt lux vera, humiliátus eſt, ántequam exaltétur. Potéſtis bíbere, inquit, cálicem quem ego bibitúrus ſum? Et illi, Póſſumus. Et ille, Cálicem, inquit, meum bibétis; ſedére autem ad déxteram, vel ad ſiníſtram meam, ait, non eſt meum dare vobis; ſed illis parátum eſt à Patre meo. Quid eſt, Non eſt meum dare vobis? Non eſt meum dare ſupérbis: hoc enim adhuc erant. Sed ſi vultis illud accípere, nolíte eſſe quod eſtis. Aliis parátum eſt; & vos álii eſtóte, & vobis parátum eſt. Quid eſt, Alii eſtóte? Priùs humiliámini, qui jam vultis exaltari. Intellexérunt ergo humilitátem profutúram ſibi, & corrécti ſunt. Ergo & nos hoc audiámus.

℟. Dic ut ſédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad ſiníſtram in regno tuo. * Jeſus dixit: Neſcítis quid petátis: ſedére ad dexteram meam vel ſiníſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus parátum eſt à Patre meo. ℣. Vidit præſumptiónem cordis eórum, & oſténdit eis viam æquitátis. * Jeſus dixit. Glória. * Jeſus. *Matt.* 20. 21. 22. 23. *Eccli.* 18. 10. 11.

Ad Bened. *Ant.* t. 3. *A.* Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum; & qui majóres ſunt, poteſtátem exércent in eos: non ita erit inter vos. *Matth.* 20. 25. 26.

Oratio.

DEus, totíus bonitátis fons, & origo; réſpice propítius conſiténtis tibi plebis humilitátem; ut quos peccatórum conſciéntia déjicit, tua ſemper miſericórdia érigat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentino.

Seſſ. 14. de Pænit. Cap. 4.

CONtrítio imperfécta quæ attrítio dícitur, quóniam vel ex turpitúdinis peccáti conſideratióne, vel ex gehénnæ & pœnárum metu communíter concípitur, ſi voluntátem peccándi exclúdat cum ſpe véniæ, non ſolùm non facit hóminem hypócritam & magis peccatórem, verùm étiam donum Dei eſt, & Spíritûs ſancti impúlſus, non adhuc quidem inhabitántis, ſed tantùm movéntis, quo pœnitens adjútus viam ſibi ad juſtítiam parat.

Ad Magnif. *Ant. c.* 1. *A.* Qui volúerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus: ſicut Filius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre, & dare ánimam ſuam, redemptiónem pro multis. *Matth.* 20. 27. 28.

Oratio.

DEus, qui ſupérbis reſíſtis, & grátiam præſtas humílibus; concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in ſe formam fidélibus exhíbuit unigénitus Fílius tuus; Qui tecum, &c.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

HÆc ſunt verba, quæ locútus eſt Móyſes ad omnem Iſraël trans Jordánem in ſolitúdine campéſtri, contra mare rubrum, inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Háſeroth, ubi auri eſt plúrimùm: úndecim diebus de Horeb per viam montis Seïr uſque ad Cadeſbárne. Quadragéſimo anno, undécimo menſe, primâ die menſis locútus eſt Móyſes ad fílios Iſraël ómnia quæ præcéperat illi Dóminus, ut díceret eis: poſtquam percúſſit Sehon regem Amorrhæórum, qui habitábat in Héſebon: & Og regem Baſan, qui manſit in Aſtaroth, & in Edraï, trans Jordánem in terra Moab. Cœpitque Móyſes explanáre legem, & dícere: Dóminus Deus noſter locútus eſt ad nos in Horeb, dicens: Súfficit vobis quòd in hoc monte mansíſtis: revertímini, & veníte ad montem Amorrhæórum, & ad cætera quæ ei próxima ſunt campéſtria, atque montána, & humilióra loca contra Merídiem, & juxta littus maris, terram Chananæórũ, & Líbani uſque ad flumẽ magnũ Euphrátem.

℟. Nunc dicit, *pag.* 168.

Lectio ij. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 10.

HÆc ſunt præcépta, & cæremóniæ, atque judícia, quæ mandávit Dóminus Deus veſter, ut docérem vos, & faciátis ea in terra, ad quam tranſgredímini poſſidéndam; ut tímeas Dóminum Deum tuum, & cuſtódias ómnia mandáta & præcépta ejus, quæ ego præcípio tibi, & fíliis, ac ne-

póttibus tuis, cunctis diébus vitæ tuæ, ut prolongéntur dies tui. Audi, Iſrael, & obsérva, ut fácias quæ præcépit tibi Dóminus, & bene ſit tibi, & multiplicéris ámpliùs, ſicut pollícitus eſt Dóminus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manántem. Audi, Iſrael: Dóminus Deus noſter, Dóminus unus eſt. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota fortitúdine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo: & narrábis ea fíliis tuis, & meditáberis in eis ſedens in domo tua, & ámbulans in itínere, dórmiens, atque conſúrgens. Et ligábis ea quaſi ſignum in manu tua, erúntque & movebúntur inter óculos tuos; ſcribéſque ea in límine, & óſtiis domûs tuæ.

℟. Nolíte, *pag.* 169.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 16. v. 19.

IN illo témpore: Ait Jeſus Phariſæis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpurâ, & byſſo: & epulabátur quotídie ſplèndidè. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. Hom. 40. n. 3.

DIves iſte non abſtuliſſe aliéna reprehénditur, ſed própria non dediſſe. Nec dícitur; quia vi quemquam oppréſſit; ſed quia in accéptis rebus ſe éxtulit. Hinc ergo ſummópere colligéndum eſt, quâ pœnâ mulctándus ſit, qui aliéna dírípit; ſi inférni damnatióne percútitur, qui própria non largítur. Nemo ergo ſecúrum ſe exíſtimet, dicens: Ecce aliéna non rápio, ſed concéſſis lícitè rebus fruor; quia dives iſte non idcírco punítus eſt, quóniam aliéna ábſtulit; ſed quia accéptis rebus ſemetípſum malè derelíquit. Hoc quoque fuit quod hunc in inférno trádidit: quia in ſua felicitáte tímidus non fuit; quia accépta dona ad uſum arrogántiæ infléxit, quia víſcera pietátis ignorávit; quia peccáta ſua redímere, étiam cùm ſibi abundáret prétium, nóluit. Et ſunt nonnúlli qui cultum ſubtílium pretioſarúmque véſtium non putant eſſe peccátum. Quòd ſi vidélicet culpa non eſſet, nequáquam ſermo Dei tam vigilánter exprímeret, quòd dives qui torquétur apud ínferos, byſſo & púrpurâ indútus fuíſſet.

℟. Qui obtúrat aurem ſuam ad clamórem páuperis, & * Ipſe clamábit, & non exaudiétur. † Qui ſéquitur miſericórdiam, invéniet vitam. ℣. Dives cùm eſſet in torméntis, vidit Abraham à longè, & Lázarum in ſinu ejus; & clamans di-

xit: Pater Abraham, miſerére meî, crúcior in hac flamma. * Ipſe clamábit. Glória. ✝ Qui séquitur. *Prov.* 21. 13. 21. *Luc.* 16. 23. 24.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *f.* Fili, recordáre quia recepíſti bona in vita tua, & Lázarus ſimíliter mala; nunc autem hic conſolátur, tu verò cruciáris. *Luc.* 16. 25.

Oratio.

PRotéctor in te ſperántium, Deus, ſine quo nihil eſt válidum, nihil ſanctum: multíplica ſuper nos miſericórdiam tuam; ut te rectóre, te duce, ſic tranſeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Tullénſi ad Saponárias.

An. 859. *in Epiſt. Syn. ad Britones.*

DIves purpurátus non proptérea ardet in inférno, quòd Salvátor eum reférat crudéliter aliéna rapuíſſe; ſed miſericórditer própria indigénti non tribuíſſe: inde exiſtimáte quantâ pœnâ cruciábitur qui aliéna dírípit; ſi inférni igne damnátur, qui peténti própria denegávit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Si Móyſen & Prophétas non áudiunt; neque, ſi quis ex mórtuis reſurréxerit, credent. *Luc.* 16. 31.

Oratio.

TRíbue, jejunántibus, Dómine, metum judiciórum tuórum ſalutárem; ut peccáta noſtra temporáliter caſtigántes, ætérna ſupplícia devitémus; Per Dóminum, &c.

FERIA SEXTA.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 16. *v.* 16. *ad finem.*

TRibus vícibus per annum apparébit omne maſculínum tuum in conſpéctu Dómini Dei tui, in loco quem elégerit; in ſolemnitáte azymórum, in ſolemnitáte hebdomadárum, & in ſolemnitáte tabernaculórum. Non apparébit ante Dóminum vácuus; ſed óffeı ret unuſquíſque ſecúndùm quod habúerit juxta benedictiónem Dómini Dei ſui, quam déderit ei. Júdices & magíſtros conſtítues in ómnibus portis tuis, quas Dóminus Deus tuus déderit tibi, per ſíngulas tribus tuas; ut júdicent pópulum juſto judício, nec in álteram partem declínent. Non accípies perſónam, nec múnera; quia múnera excæcant óculos ſapiéntûm, & mutant verba juſtórum. Juſtè quod juſtum eſt perſequéris; ut vivas, & poſsídeas terram, quam Dóminus Deus tuus déderit tibi. Non plantábis lucum, & omnem árborem juxta altáre Dómini Dei tui; nec fácies tibi, neque conſ-

ſtatues ſtátuam ; quæ odit Dóminus Deus tuus.

℟. Humiliémus, *pag.* 170.

Lectio ij. Cap. 17. *v.* 8. *ad* 14.

SI difficile & ambíguum apud te judícium eſſe perſpéxeris inter ſánguinem & ſánguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram; & júdicum intra portas tuas víderis verba variári ; ſurge, & aſcénde ad locum quem elégerit Dóminus Deus tuus. Veniéſque ad ſacerdótes Levítici géneris, & ad júdicem qui fúerit illo témpore ; quæréſque ab eis, qui indicábunt tibi judícii veritátem. Et fácies quodcúmque díxerint qui præſunt loco, quem elégerit Dóminus, & docúerint te juxta legem ejus : ſequeríſque ſententiam eórum ; nec declinábis ad déxteram, neque ad ſiníſtram. Qui autem ſuperbíerit, nolens obedíre ſacerdótis império, qui eo témpore miniſtrat Dómino Deo tuo, & decréto júdicis, moriétur homo ille, & áuferes malum de Iſrael : cunctúſque pópulus áudiens timébit, ut nullus deínceps intuméſcat ſupérbiâ.

℟. Si voluiſſes, *pag.* 171.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 21. *v.* 33.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus Princípibus Sacerdótum, & Senióribus pópuli : Homo erat Paterfamílias qui plantávit víneâ, & ſepem circúmdedit ei. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

De Script. Serm. 87.

PLantáta eſt vínea, lege datâ in córdibus Judæórum. Miſſi ſunt Prophétæ quæréntes fructum, bonam vitam eórum. Prophétæ ab eis contuméliis affecti, & occíſi ſunt. Miſſus eſt Chriſtus, únicus Fílius Patriſfamílias; & ipſum occidérunt hærédem ; & ideò perdidérunt hæreditátem. In contrárium eis vertit malum consílium. Ut poſſidérent, occidérunt ; & quia occidérunt, perdidérunt. Inter Judæos viſus eſt húmilis, contémptus eſt, occultábat enim majeſtátem. Contémptum eſt in eo quod promptum erat, nec cógnitum quod occúltum erat. Si enim cognovíſſent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíſſent. Numquid adhuc contemnéndus eſt ſedens in cœlo, ſi contémptus eſt cùm pendéret in ligno? Sic procédit ad eos qui ſperándo & differéndo volunt períre ; lóquitur ad eos, & íncrepat eos : Ne tardes convérti ad Dóminum. Ergo noli differre ; noli quod patet contra te cláudere. Ecce indulgéntiæ dator áperit tibi óſtium. Quid moráris ? Aperit, & foris rémanes.

Ne ergo dífferas. Miſerére ánimæ tuæ placens Deo.

℟. Cùm vénerit Dñus víneæ, quid fáciet agrícolis? * Malos malè perdet; & † Víneam ſuam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus ſuis. ℣. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; quia provocavérunt eum filii ſui. * Malos malè. Glória. † Víneam ſuam. *Matth.* 21. 40. 41. *Deuter.* 32. 19.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. *Matth.* 21. 43.

Oratio.

DEus, qui peccatóres períre non vis, ſed ad te convérti, & vívere desíderas: te súpplices exorámus, ut, quieſcénte irâ tuâ, optátam nobis véniam largiáris; Per, &c.

CANON

Ex Concilio Lateranénſi.

An. 1139. *Cap.* 22.

FAlſa fit pœniténtia, cùm pœnitens ab officio curiáli; vel negotiáli non recédit, quod ſine peccáto agi nullâ ratióne prævalet; aut ſi ódium in corde geſtétur; aut ſi offénſo cuílibet non ſatisfiat: aut ſi offendénti offénſus non indúlgeat; aut ſi arma quis contra juſtítiam gerat.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Qui cecíderit ſuper lápidem illum, confringétur: ſuper quem verò cecíderit, cónteret eum. *Matth.* 21. 44.

Oratio.

DEus, qui ad te redeúntibus miſeréri pótiùs éligis quàm iráſci; da nobis dignè flere quæ fécimus, ut grátiæ tuæ múnere numquam deſtituámur; Per Dóminum.

SABBATO.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 32. *v.* 45. *ad finem.*

COmplévit (Móyſes) omnes ſermónes iſtos, loquens ad univérſum Iſrael; & dixit ad eos: Pónite corda veſtra in ómnia verba, quæ ego teſtíficor vobis hódie; ut mandétis ea filiis veſtris cuſtodíre, & fácere, & impléré univérſa quæ ſcripta ſunt legis hujus: quia non incaſſum præcépta ſunt vobis, ſed ut ſinguli in eis víverent: quæ faciéntes longo perſeverétis témpore in terra, ad quam, Jordáne tranſmiſſo, ingredímini poſſidéndam. Locutúſque eſt Dóminus ad Móyſen in eâdem die, dicens: Aſcénde in montem iſtum Abarim, id eſt, tranſítuum, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Jéricho: & vide terram Chánaan, quam ego tradam filiis Iſrael obtinéndam, & mórere in monte. Quem conſcéndens jungéris pópulis tuis, ſicut mórtuus eſt Aáron frater tuus in monte Hor, & appóſitus pópulis ſuis: quia prævaricáti eſtis contra me, in médio filiórum Iſrael, ad Aquas contradictiónis in Ca-

des deſerti Sin: & non ſanctificáſtis me inter filios Iſrael. E contra vidébis terram, & non ingrediéris in eam, quã ego dabo filiis Iſrael.

℟. Quaſi columbæ. *Pag.* 172.

Lectio ij. Cap. 34. *v.* 1. *ad* 10.

Ascéndit ergo Moyſes de campéſtribus Moab ſuper montem Nebo, in vérticem Phaſga contra Jéricho: oſtendítque ei Dominus omnẽ terrã Galaad uſque Dan, & univérſum Néphtali, terrámque Ephraim & Manáſſe, & omnem terram Juda, uſque ad mare novíſſimum, & auſtrálem partem, & latitúdinem campi Jéricho civitátis palmárum uſque Segor. Dixítque Dóminus ad eum: Hæc eſt terra pro qua jurávi Abraham, Iſaac & Jacob, dicens: Sémini tuo dabo eam. Vidíſti eam óculis tuis, & non transíbis ad illam. Mortuúſque eſt ibi Móyſes ſervus Dómini, in terra Moab, jubénte Dómino; & ſepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognóvit homo ſepúlchrũ ejus uſque in præſentem diem. Móyſes centum & viginti annórum erat, quando mórtuus eſt: non caligávit óculus ejus, nec dentes illíus moti ſunt. Fleverúntque eum filii Iſrael in campéſtribus Moab trigínta diébus: & cõpléti ſunt dies planctûs lugéntium Móyſen. Jóſue verò filius Nun replétus eſt ſpíritu ſapiéntiæ, quia Móyſes póſuit ſuper eũ manus ſuas. Et obediérunt ei filii Iſrael, fecerúntque ſicut præcépit Dóminus Móyſi.

℟. Benedíctum. *Pag.* 173.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 15. *v.* 11.

In illo témpore; Ait Jeſus ad Phariſæos & Scribas; Homo quidam habuit duos filios; & dixit adoleſcéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem ſubſtántiæ quæ me contíngit. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. *Comm. in Luc.*

Qui ſe à Chriſto ſéparat, exul eſt pátriæ, civis eſt mundi. Bene autem in ſe revértitur, qui à ſe recéſſit. Etenim qui ad Dóminum regréditur, ſe ſibi reddit; & qui recédit à Chriſto, ſe ſibi ábdicat. Jam redeámus ad Patrem, ne nos ei reconciliatiónis faciámus moram, quam non fecit Pater. Fácilè reconciliátur, quando impénſè rogátur. Sed etſi novit Deus ómnia, vocem tamen tuæ confeſſiónis expéctat. Confitére magis, ut roget pro te Eccléſia, & illácrymet pópulus. Exúrge ergo, curre ad Eccléſiam; hîc eſt Pater; hîc eſt Fílius; hîc eſt Spíritus ſanctus. Occúrrit tibi quia audit te intra mentis ſecréta tractantem. Et cùm adhuc longè ſis, videt, & accúrrit, ne quis impédiat; compléctitur quia

que; ſupra collum cadit, ut jacéntem érigat,& onerátum peccátis, atque in terréna defléxum, refléctat ad cœlum, in quo ſuum quærat auctórem. Qui lapſus fúerit per pœniténtiam reviviſcit.

℟. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccávi in cœlum, & coram te: * Jam non ſum dignus vocári filius tuus: †. Fac me ſicut unum de mercenáriis tuis. ℣. Deus meus, confúndor & erubéſco leváre fáciem meam ad te. * Jam non ſum. Glória. † Fac me. *Luc.* 15. 18. 19. 1. *Eſdr.* 9. 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipsíus, & miſericórdiâ motus eſt; & accúrrens cécidit ſuper collum ejus, & oſculátus eſt eum. *Luc.* 15. 20.

Oratio.

POpulum tuum, quæſumus, miséricors Deus, ad te confugiéntem patérnâ récipe pietáte; ut qui tuam iracúndiam méritò formídant, de tuâ poſſint véniâ gratulári; Per Dóminum,&c.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno, *Seſſ.* 14. *de Pœnit. Can.* 6.

SI quis negáverit confeſſiónem ſacramentálem, vel inſtitútam, vel ad ſalútem neceſſáriam eſſe jure divíno; aut díxerit modum ſecrétè confiténdi ſoli Sacerdóti, quem Eccléſia cathólica ab inítio ſemper obſerváwit, & obsérvat, aliénum eſſe ab inſtitutióne & mandáto Chriſti, & invéntum eſſe humánum; anathéma ſit.

AD VESPERAS.

Officii finis.

Firma ſit converſio.

Ant. 1. *d.* FIli, peccáſti? Non adjícias íterum: ſed & de priſtinis deprecáre, ut tibi dimittántur. *Eccli.* 21. 1.

Ant. t. 2. *D.* Homo qui jejúnat in peccátis ſuis, & íterum éadem fáciens, quid próficit humiliándo ſe? Oratiónem illíus quis exáudiet? *Eccli.* 34. 31.

Ant. t. 3. *A.* Dóminus Deus noſter, non cum pátribus noſtris íniit pactum, ſed nobíſcum qui in præſentiárum ſumus, & vívimus. *Deuter.* 5. 2. 3. 17.

Ant. t. 4. *a.* Scito & vide, quia malum & amárum eſt reliquíſſe te Dóminum Deū tuum, eo témpore, quo ducébat te per viam. *Jerem.* 2. 19. 17.

Ant. t. 8. *g.* Qui baptizátur à mórtuo, & íterum tangit eum, quid próficit lavátio illíus? *Eccli.* 34. 30.

Capitulum. Jerem. 2. 35. 36.

ECce ego judício conténdam tecum, eò quòd díxeris: Non peccávi. Quàm vilis facta es nimis, íterans vias tuas!

H Y M N U S.

CIbi per abſtinéntiam
Nocens caro dum pléctitur,

Quo tibi mens ſóbria
Litet, Deus, jejúnio.
Quid corpus extrà cónteri
Mendáce vultu próderit?
Ni fórtior cupídinis
Mens inde frænet ímpetus.
Ad te revérſos en novis
Invádit hoſtis fráudibus;
Furénſque ſeptem cónvocat
Se nequióres ſpíritus.
Scrutátor alme córdium,
Infírma tu ſcis vírium:
Fractus citò relábitur,
Ni quem leváſti ſúſtines.
Arúndo ſicut móbilis,
Quocúmque vento vértitur;
Poténte firma déxterâ
Quem ſuſcitáſti ſpíritu.
Et tu, ſepúlchro críminum
Qui ſurgis, à lapſu cave;
Pejóra ne prióribus
Fiant tibi noviſſima.
Audi, beáta Trínitas,
Noſtríſque votis ánnuens,
Contríta fac jejúniis
Tibi litémus péctora.
Amen.

℣. Auxílium meum à Dómino: ℟. Non det in commotiónem pedem tuum. *Pſ.* 120. 2. 3.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Fácies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & própriâ voluntáte, & ore tuo locútus es. *Deut.* 23. 23.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Ultrà non ſervientes peccáto, * Dóminum veníte, adorémus. *Rom.* 6. 6.

IN I. NOCTURNO.

Cave à relapſu; major eſt in eo peccati malitia.

Ant. t. 3. *a.* Eſto firmus in via Dómini, & in veritáte ſenſûs tui; & proſequátur te verbum pacis & juſtitiæ. *Eccli.* 5. 12.

Ant. t. 4. *n.* Quare vultis adjícere ſuper peccáta, & vétera cumuláre delícta? Grande quippe peccátum eſt. 2. *Paral.* 28. 13.

Ant. t. 7. *c.* Sicut canis, qui revértitur ad vómitum ſuum, ſic imprúdens, qui íterat ſtultítiam ſuam. *Prov.* 26. 11.

℣. Appoſuérunt adhuc peccáre ei: ℟. In iram excitavérunt Excelſum. *Pſ.* 77. 17.

Incipit liber Jóſue.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

ET factum eſt poſt mortem Móyſi ſervi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jóſue fílium Nun miniſtrum Móyſi, & díceret ei: Móyſes ſervus meus mórtuus eſt: ſurge, & tranſi Jordánem iſtum, tu, & omnis pópulus tecum, in terram, quam ego dabo fíliis Iſrael. Omnem locum, quem calcáverit veſtígiū pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locútus ſum Móyſi. A deſérto & Líbano uſque ad flúvium magnum Euphráten, omnis terra Hethæórum, uſque ad mare magnum contra ſolis occáſum erit términus veſter. Nullus póterit vobis reſíſtere

re cunctis diébus vitæ tuæ: ſicut fui cum Móyſe, ita ero tecum: non dimíttam, neque derelínquam te. Confortáre, & eſto robúſtus: tu enim ſorte dívides pópulo huic terram, prò qua jurávi pátribus ſuis, ut tráderem eam illis.

℟. Revérſi ſunt ad iniquitátes prióres: írritum fecérunt pactum meum: * Quamóbrem hæc dicit Dóminus: Ecce ego indúcam ſuper eos mala. ℣. Quidam promitténtes circa fidem excidérunt.* Quamóbrem. *Jerem.* 11. 10. 11. 1. *Tim.* 6. 21.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad.* 7.

Miſit igitur Jóſue filius Nun de Setim duos viros exploratóres in abſcóndito, & dixit eis: Ite, & conſideráte terram, urbémque Jéricho. Qui pergéntes, ingréſſi ſunt domũ mulíeris meretrícis, nómine Rahab, & quievérunt apud eam. Nuntiatúmque eſt regi Jéricho, & dictum: Ecce viri ingréſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſrael, ut explorárent terrã. Miſítque rex Jéricho ad Rahab, dicens: Educ viros qui venerunt ad te, & ingréſſi ſunt domum tuã: exploratóres quippe ſunt, & omnem terram conſideráre venérunt. Tollénſque múlier viros, abſcóndit, & ait: Fáteor, venérunt ad me; ſed neſciébam unde eſſent; cùmque porta clauderétur in ténebris, & illi páriter exiérunt, néſcio quò abiérunt: perſequímini citò, & comprehendétis eos. Ipſa autem fecit aſcéndere viros in ſolárium domûs ſuæ, operuítque eos ſtípulâ lini, quæ ibi erat.

℟. Tranſgréſſus eſt Juda, & abominátio facta eſt in Iſrael: * Et hoc rurſum fecíſtis: non reſpíciam ultrà ad ſacrifícium, nec accípiam placábile quid de manu veſtra. ℣. Quem fructũ habuíſtis tunc in illis, in quibus nunc erubéſcitis? Nam finis illórum mors eſt. * Et hoc rurſum. *Malach.* 2. 11. 13. *Rom.* 6. 21.

Lectio iij. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

Igitur Jóſue de nocte conſúrgens movit caſtra: egredientéſque de Setim, venérunt ad Jordánem ipſe & omnes filii Iſrael, & moráti ſunt ibi tres dies. Quibus evolútis, tranſiérunt præcónes per caſtrórum médium, & clamáre cœpérunt: Quando vidéritis arcam fœderis Dómini Dei veſtri, & ſacerdótes ſtirpis Levíticæ portántes eam, vos quoque conſúrgite, & ſequímini præcedentes: ſit que inter vos & arcam ſpátium cubitórum duûm míllium; ut procul vidére poſſítis, & noſſe per quam viam ingrediámini: quia prius non ambulâſtis per eam: & cavéte ne appropinquétis ad arcam. Dixítque Jóſue ad pópulum: Sanctificámini: cras enim fáciet Dóminus inter vos mi-

nabília. Et aït ad Sacerdótes: Tóllite arcam fœderis, & præcédite pópulum. Qui juſſa compléntes, tulérunt, & ambulavérunt ante eos. Dixítque Dóminus ad Jóſue: Hódie incípiam exaltáre te coram omni Iſrael: ut ſciant quòd ſicut cum Móyſe fui, ita & tecum ſim.

℟. Jurávi, & ſtátui cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ. * Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine; † Vivífica me ſecúndùm verbum tuum. ℣. Velle, ádjacet mihi: perfícere autem, non invénio. * Humiliátus. Glória. † Vivífica me. *Pſ.* 118. 106. 107. *Rom.* 7. 18.

IN II. NOCTURNO.

Deum ora, cautè ambulas; ne cadas iterum.

Ant. 1. 2. *D.* In via ruínæ non eas, ne ponas ánimæ tuæ ſcándalum. Qui credit Deo, atténdit mandátis: & qui confídit in illo non minorábitur. *Eccli.* 32. 25. 28.

Ant. 1. 4. *e.* Omni cuſtódiâ ſerva cor tuum: quia ex ipſo vita procédit: dírige ſémitam pédibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabiliéntur. *Prov.* 4. 23. 26.

Ant. 1. 8. *g.* Abiérunt in voluntátibus, & in pravitáte cordis ſui mali; factíque ſunt retrórsùm, & pejùs operáti ſunt. *Jerem.* 7. 24. 26.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne: ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 107. 13.

Sermo ſancti Baſilii Magni.

Lectio iv. Hom. 2. de jejun.

Est omni quidem témpore jejúnium útile ſervántibus; neque enim dæmonum malígnitas áliquid advérsùs jejunántem audet. Et ánimæ noſtræ cuſtódes Angeli lubéntiùs ac ſtudióſiùs eos curant, qui per jejúniū purgáti fúerint. Multò verò magis hoc témpore, quando per univérſum orbem circumquáque prædicátio hæc annuntiátur; nec ínſula ulla, nec terra, non cívitas, non gens, non dénique locus ullus tam desértus, ubi prædicátio iſta non audiátur; ſed & exércitus, & iter faciéntes terrâ, maríque, mercatóres quoque omnes ſimíliter áudiunt, libentérque ſuſcípiunt. Itaque nemo è jejunántium número ſeſe ſúbtrahat, in quo & generatiónes cunctæ, ſexus omnis, ætas & ordo indudúntur.

℟. Dormitávit ánima mea præ tædio: confírma me in verbis tuis. * Viam iniquitátis ámove à me; & de lege tua miserére meî. ℣. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? * Viam. *Pſ.* 118. 28. 29. *Rom.* 7. 24.

Lectio v.

Non eſt autem ad perfectum laudabiléque jejúnium ſatis, cibórum abſtinéntia: ſed jejunémus jejúnium Deo gratum & accep-

tuum. Verum Deo placens jejúnium eſt, abſtinére à malo, linguam continére, iram temperáre, aliénũ eſſe à concupiſcéntiis, detractióne, perjúrio & mendácio. Horum itaque moderátio verum erit jejúnium: pulchrũ eſt jejúnium in hujúſmodi verſári abſtinéntiâ. Igitur in Dño delectémur, in meditatióne ſermónum ſpíritûs, & communicatióne ſacrórũ myſteriórum; & demum in cunctis ánimas noſtras dirigéntibus inſtitútis ſolátium conſtituámus.

℟. Obſecro, Dómine, ſit auris tua atténdens ad oratiónem ſervi tui, & ad oratiónem ſervórum tuórum, qui volunt timére nomen tuum: * Dírige ſervum tuũ, & da ei miſericórdiam. ℣. Sufficiéntia noſtra ex Deo eſt. * Dirige. 2. *Eſdr.* 1. 11. 2. *Cor.* 3. 5.

Lectio vj.

JEjúnium autem, & famem illam, quæ intùs eſt, caveámus, de qua Prophéta loquens ait; Non occídet Deus fame ánimas juſtórum. Item in Pſalmo: Non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem. Non enim de ſenſibili lóquitur pane; cùm Dóminus permíſerit Patriárchæ Jacob fílios in Ægyptum famis grátiâ deſcendere; verum de ſpirituáli loquitur cibo per quẽ intérior homo noſter perfícitur. Ne contrà inſúrgat jejúnium hujus géneris quod Judæis Prophéta minátur, dicens: Ecce dies vénient, dicit Dóminus, & indúcam in terram famem: non autem panis famem, aut aquæ ſitim; ſed audiéndi verbi Dei famem, quam hac de cauſa juſtus indúxit judex; quóniam eórum mentem in veritatis ac ſanctórum præceptorum fame versári, extérnum verò hóminẽ ſupra modum pinguéſcere proſpíceret. Quamóbrem, fratres dilectíſſimi, per hos ſacratíſſimi jejúnii dies paſcat nos Spíritus ſanctus matutínis & veſpertínis gáudiis; nullus ſponte, ac volens convívii hoc ſpirituále déſerat.

℟. Expándi manus meas ad te: ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi: velóciter exáudi me, Dómine, defécit ſpíritus meus: * Non avértas fáciem tuam à me, & símilis ero deſcendéntibus in lacum. ℣. Dómine, ecce quẽ amas infirmátur. * Non avértas. Glória. * Non avértas. *Pſ.* 142. 6. 7. *Joan.* 11. 3.

IN III. NOCTURNO.

Magna & multa ſunt in relapſu pericula.

Ant. t. 1. *d.* Iniquitátes noſtras cognóvimus, peccáre & mentíri contra Dóminum; & avérſi ſumus, ne irémus poſt tergum Dei noſtri. *Iſ.* 59. 12. 13.

Ant. t. 3. *a.* Locúti ſumus de corde verba mendácii; facta

facta eſt véritas in obliviónem; vidit Dóminus, & malum appáruit in óculis ejus. *Iſ.* 59. 13. 15.

Ant. t. 6. f. Mélius erat illis non cognóſcere viam juſtítiæ, quàm poſt agnitiónem retrórſum converti ab eo, quod illis tráditum eſt, ſancto mandáto. 2. *Pet.* 2. 21.

℣. Avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactũ: ℟. Quemádmodum patres eorum, convérſi ſunt in arcum pravum. *Pſ.* 77. 57.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 14.

IN illo témpore; Erat Jeſus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cum ejeciſſet dæmónium, locútus eſt mutus; & admirátæ ſunt turbæ. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri. *in Luc. L.* 4.

DÆmoníacus iſte apud Matthæum, non ſolùm mutus, ſed & cæcus fuiſſe narrátur; curatúſque dícitur à Dómino, ita ut loquerétur & vidéret. Tria ergo ſigna ſimul in uno hómine perpetráta ſunt: cæcus videt; mutus lóquitur; poſſéſſus à dæmone liberátur. Quod & tunc quidem carnáliter factũ eſt; ſed & quotídie complétur in converſióne credéntiũ; ut expúlſo primùm dæmone, fídei lumen aſpíciant; deinde ad laudes Dei, tacéntia prius ora laxentur.

℟. Greſſus rectos fácite pédibus veſtris: contemplántes ne quis deſit grátiæ Dei, ut Eſaü, qui * Non invénit pœniténtiæ locum, quamquam cum lácrymis inquiſíſſet eã. ℣. Irrúgiit clamore magno: & conſternátus, ait: Bénedic étiam & mihi, pater. * Non invénit. *Hebr.* 12. 13. 15. 16. 17. *Gen.* 27. 34.

Lectio viij.

CUm immúndus ſpíritus exíerit de hómine, perámbulat per loca inaquóſa. Quamvis ſimplíciter intélligi poſſit, Dóminum hæc ad diſtinctiónem ſuórum, & sátanæ óperum adjunxíſſe: tamen & de hærético quovis, vel ſchiſmático, vel étiã malo cathólico poteſt non inconveniénter accipi. De quo, témpore baptíſmatis, ſpíritus immũdus, qui in eo prius habitáverat, ad confeſſiónem cathólicæ fidei, abrenuntiatiónémque mundánæ converſatiónis, ejiciátur: locaque inaquóſa péragret; id eſt, corda fidélium quæ à mollítie fluxæ cogitatiónis expurgáta ſint, cállidus inſidiátor explóret, ſi quos ibi fortè ſuæ nequítiæ greſſus fígere poſſit. Sed benè dícitur, Quærens requiẽ & non invéniens. Quia caſtas mentes effúgiens, in ſolo corde pravorum gratam ſibi poteſt invenire réquiem.

℟. Voluntáriè peccantibus poſt accéptam notítiam veritátis, * Jam non relínquitur pro peccátis hóſtia, terríbilis autem quædam expectátio

judícii, & ignis æmulátio. ℣. Exacerbavérunt Deum excélſum, avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum. * Jam. *Hebr.* 10. 26. 27. *Pſ.* 77. 56. 57.

Lectio ix.

DIcit : Revértar in domum meam unde exívi. Timéndus eſt iſte versículus, non exponéndus. Et cùm vénerit, invénit ſcopis mundátam, hoc eſt, grátiâ baptíſmatis à peccatórum labe caſtigátam, ſed nullâ boni óperis indúſtriâ cumulátam. Unde bene Matthæus hanc vacántem, mundátam, atque ornátam dicit; mundátam à vítiis príſtinis per baptíſmum, vacántem à bonis áctibus per negligéntiam ;ornátam ſimulátis virtútibus per hypócriſim. Et tunc vadit, & aſsúmit ſeptem álios ſpíritus nequióres ſe, & ingréſſi hábitant ibi. Per ſeptem malos ſpíritus univérſa vítia desígnat. Quemcúmque enim poſt baptíſma, ſive právitas hærética, ſeu mundána cupíditas arripúerit; mox ómnium proſtérnet in ima vitiórum. Unde recte nequióres tunc eum ſpíritus dicúntur ingréſſi. Et ſunt noviſſima illíus pejóra prióribus. Mélius quippe erat ei viam veritátis non cognoſcere, quàm poſt agnitiónẽ retrórſum convérti.

℟. Rememorámini príſtinos dies, in quibus illuminári, magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónum. * Nolíte amíttere confidéntiã veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem. ℣. Nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta. * Nolíte. Glória. * Nolíte. *Hebr.* 10. 32. 35. *Pſ.* 2. 12.

A D L A U D E S.

Cuſtodite animas veſtras, ne irritum faciatis pactum Domini.

℣. *Sacerd.* Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum ; ℟. Et non dominétur meî omnis injuſtítia. *Pſ.* 118. 133.

Ant. *t.* 1. *f.* VOcem verbórum Dómini audíſtis, & oſténdit vobis pactum ſuum : cuſtodíte ígitur ſollícitè ánimas veſtras. *Deut.* 4. 12. 13. 15.

Ant. *t.* 2. *D.* Peccátor tranſgrédiens mandátũ Dómini, íncidet in promiſſiónem nequam, & in judícium. *Eccli.* 29. 26.

Ant. *t.* 4. *a.* Abſit à nobis hoc ſcelus, ut recedámus à Dómino, & ejus veſtígia relinquámus. *Joſue.* 22. 29.

Ant. *t.* 7. *a.* Dómine Pater, dominátor vitæ meæ, ne derelínquas me; nec ſinas me cádere. *Eccli.* 23. 1.

Ant. *t.* 8. *c.* Omnes, qui te derelínquunt, Dómine, confundéntur : recedéntes à te, in terra ſcribéntur; quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. *Jerem.* 17. 13.

Capitulum. Ezech. 33. 13.

SI confiſus in juſtitia ſua, fécerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivióni tradéntur; & in iniquitate ſua, quam operátus eſt, in ipſa moriétur.

℣. Utinam dirigántur viæ meæ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificationes tuas. *Pſ.* 118. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Cùm immúndus ſpíritus exíerit de hómine, ámbulat per loca inaquoſa, quærens réquiem: & non inveniens, dicit: Revértar in domum meam unde exívi. *Luc.* 11. 24.

Oratio.

QUæſumus, omnípotens Deus, vota humílium réſpice; atque ad defenſiónem noſtram déxterā tuæ majeſtátis exténde; Per Dóminum, &c.

Ad Horas br. Ant. de Laudibus, quartâ prætermiſſâ.

A D P R I M A M.

Capitulum. Regi ſæculórum, *&* ℟. *br. ut in Pſal.*

C A N O N

Ex Concilio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Pœnit. Can.* 7.

SI quis díxerit, in ſacraménto Pœniténtiæ ad remiſſiónem peccatórum neceſſárium non eſſe jure divíno confitéri ómnia & ſíngula peccáta mortalia, quorum memoria cum débita & diligénti præmeditatióne habeátur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo última Decálogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpéciem mutant; anathéma ſit.

A D T E R T I A M.

Capitulum. Eccli. 5. 4 5.

NE díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiáto peccáto noli eſſe ſine metu, neque adjícias peccátum ſuper peccatum.

℟. *br.* Pérfice greſſus meos * In ſémitis tuis. Pérfice: ℣. Ut non moveántur veſtígia mea, * In ſémitis. Glória. Pérfice. *Pſ.* 16. 5.

℣. Deus meus, ſuſcéptor meus; ℟. Non movebor ámplius. *Pſ.* 61. 3.

A D S E X T A M.

Capitulum. Eph. 6. 10. 11.

FRatres, Confortámini in Dómino, & in poténtia virtutis ejus: indúite vos armatúram Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.

℟. *br.* Avérte óculos meos * Ne vídeant vanitatem. Avérte. ℣. In via tua vivífica me; * Ne vídeant. Gloria.* Avérte. *Pſ.* 118. 37.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum; ℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

A D N O N A M.

Capitulum. Hebr. 6. 7. 8.

TErra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem & génerans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur; áccipit benedictiónē à Deo;

proferens autem ſpinas ac tribulos, réproba eſt, & maledícto próxima.

℟. *br.* Ecce, Dómine, * Qui elóngant ſe à te, períbunt. Ecce. ℣. Perdidíſti omnes qui fornicántur abs te:* Qui elóngant. Glória. Ecce. *Pſ.* 72. 27.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum eſt; ℟. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72. 28.

AD VESPERAS.

State, ne vobis fiant poſteriora pejora prioribus.

Ant. t. 1. *f.* STate, & nolíte íterum jugo ſervitútis continéri. *Gal.* 5. 1.

Ant. t. 6. *f.* Quis vos faſcinávit non obedíre veritáti? Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpíritu cœpéritis, nunc carne conſummémini. *Gal.* 3. 1. 3.

Ant. t. 4. *A.* Impoſsíbile eſt eos, qui ſemel ſunt illumináti, & prolápſi ſunt; rurſus renovári ad pœniténtiam. *Hebr.* 6. 4. 6.

Ant. t. 7. *C.* Hi ſunt nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferúntur; sídera errántia, quibus procélla tenebrárum ſerváta eſt in ætérnum. *Judæ* 12. 13.

Ant. t. 8. *C.* Si refugiéntes coinquinatiónes mundi, his rurſus implicáti ſuperantur; facta ſunt eis poſterióra deterióra prióribus. 2. *Pet.* 2. 20.

Capitulum. Eccli. 30. 24.

MIſerére animæ tuæ placens Deo, & contine: cóngrega cor tuum in ſanctitáte ejus.

HYMNUS. Cibi per abſtinéntiam, *ut in Sabbato præcedenti.*

℣. In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas: ℟. Quia in ipſis vivificáſti me. *Pſ.* 118. 93.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *f.* Cùm vénerit ſpíritus immúndus, invénit domum ſcopis mundátam, & ornátam. Tunc vadit, & aſsúmit ſeptem álios ſpíritus, nequióres ſe, & ingréſſi hábitant ibi. Et fiunt noviſſima hóminis illíus pejora prióribus. *Luc.* 11. 25. 26.

Oratio, ut ad Laudes.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM III.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Ultrà non ſerviéntes peccáto, * Dóminum veníte, adorémus. *Rom.* 6. 6.

Antiph. Verſ. & ℟. ℟. ℟. *ex uno Nocturno Domin. juxta Rubricam ſuperiùs dictam.*

AD LAUDES.

Antiph. Capit. & Verſ. ex Domin. III. præter Antiph. ad Bened.

AD PRIMAM.

Capitulum. Gal. 5. 7. 8. 9.

CUrrebátis bene: quis vos impedívit veritáti non obedíre? Perſuáſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Módicum ferméntum totam maſſam corrumpit.

Cætera ad Primam & ad Horas br. ut in Dominica III. Veſperæ ut in Domi-

nica III. præter Antiph. ad Magnif.

FERIA SECUNDA.

De libro Joſue.

Lectio j. Cap. 3. v. 14. ad finem.

EGréſſus eſt pópulus de tabernáculis ſuis, ut transíret Jordánem; & ſacerdótes, qui portábant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingreſſíſque eis Jordánem, & pédibus eorum in partè aquæ tinctis (Jordánis autem ripas álvei ſui témpore meſſis impléverat) ſtetérunt aquæ deſcendéntes in loco uno, [illegible] ad inſtar montis intumeſcentes apparébant procul ab urbe quæ vocátur Adom uſque ad locum Sarthan: quæ autem inferióres erant, in mare ſolitúdinis (quod nunc vocátur mórtuum) deſcendérunt, úſquequò omníno defícerent. Pópulus autem incedébat contra Jéricho; & ſacerdótes, qui portábant arcam fœderis Dómini, ſtabant ſuper ſiccam humum in médio Jordanis accíncti, omníſque pópulus per aréntem álveum transíbat.

℟. Revérſi ſunt, *pag.* 190.

Lectio ij. Cap. 4. v. 1. ad 10.

QUibus tranſgréſſis, dixit Dóminus ad Jóſue: Elige duódecim viros ſíngulos per ſíngulas tribus; & præcipe eis, ut tollant de médio Jordánis álveo, ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, duódecim duríſſimos lápides, quos ponétis in loco caſtrórum, ubi fixéritis hâc nocte tentória. Vocavítque Joſue duódecim viros, quos elégerat de fíliis Iſrael, ſíngulos de ſíngulis tribubus; & ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Jordánis médium, & portáte inde ſínguli ſíngulos lápides in húmeris veſtris, juxta númerum filiórum Iſrael, ut ſit ſignum inter vos; & quando interrogáverint vos fílii veſtri cras, dicéntes: Quid ſibi volunt iſti lápides? reſpondebitis eis: Defecérunt aquæ Jordánis ante arcam fœderis Dómini, cùm transíret eum: idcircò póſiti ſunt lápides iſti in monuméntũ filiorum Iſrael uſque in ætérnum. Fecerunt ergo filii Iſrael ſicut præcépit eis Jóſue, portantes de médio Jordánis alveo duódecim lápides, ut Dóminus ei imperárat, juxta númerum filiorum Iſrael, uſque ad locum in quo caſtrametati ſunt, ibíque poſuérunt eos. Alios quoque duódecim lápides póſuit Jóſue in médio Jordánis alveo, ubi ſteterũt ſacerdótes, qui portabãt arcam fœderis: & ſunt ibi uſque in præséntem diem.

℟. Tranſgréſſus, *pag.* 190.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lect o iij. Cap. 4. v. 23.

IN illo témpore; Ait Jeſus Phariſæis: Utique dicétis mihi hanc ſimilitudinem:

Médice, cura teípſum; quanta audívimus facta in Capharnaum, fac & hîc in pátria tua. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 4. in Luc.

Non medióCriter invídia próditur, quæ cívicæ charitátis oblita, in acérba odia cauſas amóris inflectit. Simul hoc exémplo páriter & oráculo declarátur, quòd fruſtrà opem miſericórdiæ cœléſtis expéctes; ſi aliénæ frúctibus virtútis invídeas: aſpernátor enim Dóminus invidórum eſt; & ab iis qui divína benefícia in áliis perſequúntur, mirácula ſuæ poteſtátis avertit. Non otióſè ítaque Salvátor excúſat, quòd nulla in pátria ſua mirácula virtutis operátus ſit; ne fortáſſe áliquis viliórem pátriæ nobis eſſe debére putáret affectum. Neque enim cives póterat non amáre, qui amáret omnes; ſed ipſi ſe charitáte pátriæ, qui ínvident, abdicárunt.

℟. Propter te, Dómine, ſuſtínui oppróbrium: opéruit confúſio fáciem meam:* Extráneus factus ſum frátribus meis, & peregrínus fíliis matris meæ; † Quóniam zelus domûs tuæ comédit me. ℣. Non eſt Prophéta ſine honóre niſi in pátria ſua, & in domo ſua, & in cognatióne ſua. * Extráneus. Glória. † Quóniam zelus.

Pſ. 68. 8. 9. 10. *Marc.* 6. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Multi lepróſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Prophéta; & nemo eórum mundátus eſt, niſi Náaman Syrus. *Luc.* 4. 27.

Oratio.

Cordibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, quæ ab omni nos invídiâ per charitátis perféctæ donum cuſtódiat; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concilio Cabillonénſi ſecúndo.

An. 813. *Can.* 32.

Quia conſtat hóminem ex duábus eſſe ſubſtántiis, ánimâ vidélicet & córpore; & intérdum ánimi motu, intérdum carnis fragilitáte peccátur, ſolérti indagatióne debent inquíri ipſa peccáta; ut ex utríſque plena ſit conféſſio; ſcílicet, ut & ea confiteántur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſola cogitatióne delínquitur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *a.* Duxérunt Jeſum uſque ad ſupercílium montis, ut præcipitárent eum: ipſe autem tránſiens per médium illórum, ibat. *Luc.* 4. 29. 30.

Oratio.

Adésto, quæſumus, Dómine, précibus jejunántium; & contra mundánæ pravitátis incúrſus,

fragilitátem noſtram tuâ virtúte corróbora; Per Dóminum, &c.

FERIA TERTIA.

De libro Jóſue.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 2. *ad* 10.

EO témpore, ait Dóminus ad Jóſue: Fac tibi cultros lapídeos, & circumcíde ſecúndò filios Iſrael. Fecit quod júſſerat Dóminus, & circumcídit filios Iſrael in colle præputiorum. Hæc autem cauſa eſt ſecúndæ circumciſiónis: Omnis pópulus qui egréſſus eſt de Ægypto géneris maſculíni, univérſi bellatóres viri, mórtui ſunt in deſérto per lōgíſſimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant. Pópulus autem qui natus eſt in deſérto, per quadragínta annos itíneris latíſſimæ ſolitúdinis, incircumcíſus fuit: donec conſumeréntur qui non audíerant vocem Dómini, & quibus antè juráverat ut non oſténderet eis terram lacte & melle manántem. Horum filii in locum ſucceſſérunt patrum, & circumciſi ſunt à Jóſue; quia ſicut nati fúerant, in præpútio erant, nec eos in via áliquis circumcíderat. Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſérunt in eódem caſtrórum loco, donec ſanaréntur. Dixítque Dóminus ad Jóſue: Hódie ábſtuli oppróbrium Ægypti à vobis. Vocatúmque eſt nomen loci illius Galgala, uſque in præséntem diem.

℟. Dormitávit, *pag.* 191.

Lectio ij. v. 10. *ad finem.*

MAnſerúntque filii Iſrael in Galgalis, & fecérunt Phaſe quartâ-décimâ die menſis ad véſperum, in campéſtribus Jéricho: & comedérunt de frúgibus terræ die áltero, ázimos panes, & poléntam ejúſdem anni. Defecítque manna poſtquam comedérunt de frúgibus terræ, nec uſi ſunt ultrà cibo illo filii Iſrael, ſed comedérunt de frúgibus præséntis anni terræ Chánaan. Cùm autem eſſet Jóſue in agro urbis Jéricho, levávit óculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginátum tenéntem gládium, perrexítque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariórum? Qui reſpóndit: Nequáquam; ſed ſum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. Cécidit Jóſue pronus in terram, & adórans, ait: Quid dóminus meus lóquitur ad ſervum ſuum? Solve, inquit, calceaméntum tuum de pédibus tuis; locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecítque Jóſue ut ſibi fúerat imperátum.

℟. Obſecro, *pag.* 192.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 18. 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si peccáverit in te frater tuus,

vade, & córripe eum inter te & ipſum ſolum. Et reliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Serm. 82. *de verbis Evang.*

DEbémus amando corrípere; non nocendi aviditate, ſed ſtúdio corrigéndi. Tales ſi fuerimus, óptime facimus quod hódie admóniti ſumus: Si peccáverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Quare illum corripis? quia tu doles, quod peccáverit in te? Abſit. Si amóre tuî id facis, nihil facis. Si amóre illíus facis, optime facis. Dénique in ipſis verbis attende, cujus amóre id facere débeas; utrùm tuî, an illíus. Si te audíerit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Sic faciendo, lucraris; niſi feciſſes, perierat. In ſecreto debemus corrípere, ne volentes públicè arguere, prodamus hóminem. Ego prorſus nec prodo, nec negligo. Corripio in ſecreto: pono ante oculos Dei judicium: térreo cruentam conſcientiam: perſuadeo pœnitentiam: hac charitate prædíti eſſe debemus.

℟. Si præoccupátus fúerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi * Inſtrúite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tentéris. ℣. Qui corripit hominem, grátiam póſtea inveniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandiménta décipit. * Inſtruite. Glória. * Inſtruite. *Gal.* 6. 1. *Prov.* 28. 23.

Ad Bened. *Ant.* *t.* 7. *a.* Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. *Matth.* 18. 15.

Oratio.

AD preces noſtras inténde, quæſumus, Dómine; ut, qui peccándo correptiónem merémur, agnoſcendo nos peccáſſe, & vitam noſtram emendándo, digni ſimus qui miſericórdiam a te conſequámur; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *Cap* 5. *de Confeſſ.*

COnſtat nihil áliud a pœniténtibus in Eccleſia exigi, quam, ut poſtquam quiſque diligéntius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occúrrunt, in univerſum eádem confeſſione incluſa eſſe intelligimus, pro quibus fidéliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Dómine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſépties? Dixit Jeſus; Non dico tibi uſque ſépties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. *Matth.* 18. 21. 22.

Oratio.

CONcéde, omnípotens Deus, ut quia vítiis & diſsídiis ſubjacet noſtra mortálitas, tua nos per præſens jejúnium grátia vivíficet, & mútuam nútriat inter fratres charitatem; Per Dóminum, &c.

FERIA QUARTA.

De libro Jóſue.

Lectio j. Cap. 6. v. 1. ad 6.

JEricho autem clauſa erat atque munita, timore filiórum Iſrael, & nullus égredi audébat aut íngredi. Dixítque Dominus ad Jóſue: Ecce dedi in manu tua Jéricho, & regem ejus, omnéſque fortes viros. Circuíte urbem, cuncti bellatóres, ſemel per diem; ſic faciétis ſex diébus. Séptimo autem die ſacerdótes tollant ſeptem búccinas, quarum uſus eſt in jubiléo, & præcédant arcam fœderis: ſeptiéſque circuíbitis civitátem, & ſacerdótes clangẽt búccinis. Cúmque inſonúerit vox tubæ lóngior atque concíſior, & in auribus veſtris increpúerit, conclamábit omnis pópulus vociferatióne máxima, & muri fúnditus córruent civitátis; ingredientúrque ſinguli per locum contra quem ſteterint.

℟. Greſſus rectos, *pag.* 193.

Lectio ij. v. 15. ad. 22.

DIe autem séptimo, dilúculo conſurgéntes, circuiérunt urbem, ſicut diſpóſitum erat, ſépties. Cùmque séptimo circúitu clángerent búccinis ſacerdótes, dixit Jóſue ad omnem Iſrael: Vociferámini: trádidit enim vobis Dóminus civitátem: ſitque civitas hæc anathéma: & ómnia quæ in ea ſunt, Domino: ſola Rahab merétrix vivat, cum univérſis qui cum ea in domo ſunt: abſcóndit enim núntios quos diréximus. Vos autem cavéte, ne de his, quæ præcépta ſunt, quidpiam contingatis; & ſitis prævaricatiónis rei, & ómnia caſtra Iſrael ſub peccáto ſint, atque turbéntur. Quidquid autem auri & argenti fúerit, & vasórum æneórum ac férri, Dómino consecrétur, repóſitum in theſáuris ejus. Igitur omni pópulo vociferante, & clangéntibus tubis, poſtquam in aures multitúdinis vox ſonitúſque incrépuit, muri íllico corruérunt: & aſcéndit unuſquíſque per locum, qui contra ſe erat: ceperúntque civitatem, & interfecérunt ómnia quæ erant in ea, à viro uſque ad mulíerem, ab infánte uſque ad ſenem. Boves

quoque & oves & áſinos in ore gládii percuſſérunt.

℟. Voluntáriè, *pag.* 193.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 15. *v.* 1.

IN illo témpore; Acceſſérunt ad Jeſum Scribæ & Phariſæi, dicéntes: Quare diſcípuli tui tranſgrediúntur traditiónem ſenióꝝ? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. *in Matth.*

MIra Phariſæórũ Scribarúmque ſtultítia! Dei Fílium árguunt, quare hóminum traditiónes & præcépta non ſervet? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem mandúcant. Ipſe autem reſpóndens, ait illis: Quare & vos tranſgredímini mandátum Dei propter traditiónem veſtram? Falſam calúmniam verâ reſponſióne confútat. Præcéperat enim Dóminus, vel imbecillitátes, vel ætátes, vel penúrias paréntum consíderans, ut fílii honorárent, étiam in vitæ neceſſáriis miniſtrándis, parẽtes ſuos. Hanc providentíſſimam Dei legem voléntes Scribæ & Phariſæi ſubvértere, ut impietátem ſub nómine pietátis indúcerent, docuérunt péſſimos fílios, ut ſi quis ea quæ paréntibus offeréndа ſunt, Deo vovére voluérit, qui verus eſt Pater, oblátio Dei præponátur paréntum munéribus: vel certè ipſi paréntes, quæ Deo conſecráta cernébant, ne ſacrilégii crimen incúrrerent, declinántes, egeſtáte conficiebántur. Atque ita fiébat, ut oblátio liberórum, ſub occaſióne templi & Dei, in ſacerdótum lucra céderet.

℟. Quare tranſgredímini mandátum Dei propter traditiónem veſtram? * Nam † Deus dixit: Honóra patrem, & matrem. ℣. Fili, ſúſcipe ſenéctam patris tui, & non contríſtes eum in vita illíus. * Nam Deus. Glória. † Deus dixit. *Matth.* 15. 3. 4. *Eccli.* 3. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Hypócritæ, bene prophetávit de vobis Iſaías, dicens: Pópulus hic lábiis me honórat: cor autem eórum longè eſt à me. *Matth.* 15. 7. 8.

Oratio.

PRæſta nobis, quæſumus, Dómine, ut ſalutáribus jejúniis erudíti, quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te operánte fidéliter impleámus; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi.

Ann. 829. *Can.* 46.

ILlis eſt conféſſio peccatórum faciénda, à quibus ſubínde, & modus pœniténtiæ & consílium ſalútis capitur, & à quibus poſt témpora pœniténtiæ peracta, ſecúndum canónicam inſtitutiónem, ſi Epíſcopus

juſſerit, reconciliátio mereátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *c.* Cæcus ſi cæco ducátum præſtet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14.

Oratio.

IMplorántes, Dómine, miſericórdiam tuam, fidéles propítius intuére: & qui, præter te, álium non novérunt, tuis ſemper benefíciis gloriéntur; Per Dóminum, &c.

FERIA QUINTA.

De libro Jóſue.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 6. *ad* 12.

HAbitatóres Gábaon urbis obſéſſæ miſérunt ad Jóſue, qui tunc morabátur in caſtris apud Gálgalam, & dixérunt ei: Ne rétrahas manus tuas ab auxílio ſervórum tuórum: aſcénde citò, & líbera nos, ferque præſídium; convenérunt enim advérsùm nos omnes reges Amorrhæórum, qui hábitant in montánis. Aſcendítque Jóſue de Gálgalis, & omnis exércitus bellatórum cum eo, viri fortíſſimi. Dixítque Dóminus ad Joſue: Ne tímeas eos; in manus enim tuas trádidi illos: nullus ex eis tibi reſíſtere póterit. Irruit ítaque Jóſue ſuper eos repentè, totâ nocte aſcéndens de Gálgalis. Et conturbávit eos Dóminus à fácie Iſrael; contrivítque plagâ magnâ in Gábaon, ac perſecútus eſt eos per viam aſcénsûs Bethhoron, & percúſſit uſque Azeca & Maceda. Cùmque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcénſu Beth horon, Dóminus miſit ſuper eos lápides magnos de cœlo uſque ad Azeca; & mórtui ſunt multò plures lapídibus grándinis, quàm quos gladio percúſſerant filii Iſrael.

℟. Revérſi ſunt *pag.* 190.

Lectio ij. v. 12. *ad* 22.

TUnc locútus eſt Jóſue Dómino, in die quâ trádidit Amorrhæū in conſpéctu filiórum Iſrael, dixítque coram eis: Sol, contra Gábaon ne moveáris, & luna, contra vallem Aíalon. Steterúntque ſol & luna, donec ulciſcerétur ſe gens de inimícis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtórum? Stetit ítaque ſol in médio cœli, & non feſtinávit occúmbere ſpátio uníus diéi. Non fuit ántea nec póſtea tam longa dies, obediénte Dómino voci hóminis, & pugnánte pro Iſrael. Reversúſque eſt Jóſue cum omni Iſrael in caſtra Gálgalæ. Fúgerant enim quinque reges, & ſe abſcónderant in ſpelúnca urbis Mácedæ. Nuntiatúmque eſt Jóſue, quòd invénti eſſent quinque reges laténtes in ſpelúnca urbis Máceda. Qui præcépit ſóciis, & ait: Vólvite ſaxa ingéntia ad os ſpelúncæ, & pónite viros indúſtrios, qui clauſos cuſtódiant; vos autem nolíte ſtare, ſed

perſequímini hoſtes, & extremos quoſque fugiéntium cædite: nec dimittátis eos úrbium ſuárum intrare præsídia, quos trádidit Dóminus Deus in manus veſtras. Cæſis ergo adverſáriis plagâ magnâ, & uſque ad interneciónem pœnè conſúmptis, hi qui Iſrael effúgere potuérunt, ingreſſi ſunt civitátes munítas. Reverſúſque eſt omnis exércitus ad Joſue in Macéda, ubi tunc erant caſtra, ſani & íntegro número; nulluſque contra fílios Iſrael mutíre auſus eſt.

℟. Tranſgréſſus eſt, *pag.* 190.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 4. v. 38.

IN illo témpore; Surgens Jeſus de ſynagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis febribus. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Matth. Hom. 28.

TEtigit Jeſus manum ejus, nec febrium tantùm ardóres extínxit, aut certa incolumitátis ſigna redúxit: verùm étiam príſtinas córporum vires recuperáre íllicò fecit; ut quando fácilis curátu ægrotatio videbátur, curandi modo, virtus curántis oſtenderétur. Nam id certè medéndi artifícium fácere non poteſt. Nemo quippe ignórat, quã longo témpore, poſtquam febres ceſſavérunt, opus ſit ad príſtinum robur recuperándum. Cuncta ígitur tunc ſimul facta ſunt, quod & in mari páriter eveniſſe perpéndere póſſumus: nam & ibi non ventos ſolùm ac tempeſtates ſedávit; ſed, quod inaudítum omníno erat, fluctus étiam undáſque ſtatim compóſuit. Nam etſi vis ventórum ceſsáverit, pérmanent tamen fluctus undárum diútiùs. Sed non ita hîc; non enim natúrâ duce, aut arte fiunt, quæ à Chriſto fiunt, ſed ſimul ómnia finem ſuum aſſequúntur: quod ſuboſténdit Evangeliſta, dicens: Surréxit & miniſtrabat illis. Id certè tam virtútem Chriſti ſupra hóminem ſignificábat, quàm voluntátem mulíeris, atque affectum erga Chriſtum aperiébat.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino, & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus; * Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui ſanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Benedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus Deo. * Qui propitiátur. Glória. Qui *Pſ.* 102. 2. 3. *Apoc.* 7. 12.

Ad Bened. Ant. t. 4. *E.* Socrus Simónis tenebátur magnis fébribus. Imperávit Jeſus febri; & dimíſit illam; & contínuò ſurgẽs miniſtrábat illis. *Luc.* 4. 38. 39.

Oratio.

DEus, qui in remédium animarum jejúnii nobis medicinam indidiſti; te ſúpplices invocámus; ut tibi ſit acceptabile jejúnium noſtrum, & nos à cibis abſtinéntes, à peccatórum languóribus expédias; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi quarto.

An. 1215. *Can.* 21.

SAcérdos ſit diſcrétus & cautus; ut more períti médici ſuperinfúndat vinum & óleum vulnéribus ſauciáti: diligénter inquírens & peccatóris circumſtántias & peccáti; per quas prudénter intélligat, quale illi consílium débeat exhibére, divérſis experiméntis uténdo ad ſanándum ægrótum.

Ad Magnif. *Ant t. 7. a.* Exíbant dæmonia à multis, clamántia & dicéntia: Quia tu es Fílius Dei: & íncrepans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. *Luc.* 4. 41.

Oratio.

COnsérva, quæſumus, Dómine, pópulum tuum, & grátiæ tuæ in eo dona multíplica; ut ab ómnibus liber offenſis, & temporalibus non deſtituátur auxíliis, & ſempitérnis gáudeat inſtitútis; Per, &c.

FERIA SEXTA.

De libro Joſue.

Lectio j. Cap. 18. *v.* 1. *ad* 8.

COngregáti ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibíque fixérunt tabernáculum teſtimónii, & fuit eis terra ſubjécta. Remánſerant autem filiórum Iſrael ſeptem tribus, quæ necdum accéperant poſſeſſiónes ſuas. Ad quos Jóſue ait: Uſquequò marcétis ignáviâ, & non intrátis ad poſſidendam terram, quam Dóminus Deus patrum veſtrórum dedit vobis? Elígite de ſíngulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circúmeant terram, & deſcríbant eam juxta númerum uniuſcujuſque multitúdinis; referántque ad me quod deſcrípſerint. Divídite vobis terram in ſeptem partes: Judas ſit in términis ſuis ab Auſtrali plaga; & domus Joſeph ab Aquilóne: médiam inter hos terram in ſeptem partes deſcríbite: & huc veniétis ad me, ut coram Dómino Deo veſtro mittam vobis hic ſortem; quia non eſt inter vos pars Levitárum, ſed ſacerdótium Dómini eſt eórum hæréditas. Gad autem & Ruben, & dimídia tribus Manáſſe jam acceperant poſſeſſiónes ſuas trans Jordánem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Móyſes famulus Dómini.

℟. Dormitávit, *pag.* 191.

Lectio ij. Cap. 23. v. 1. ad 10.

Evolúto autem multo témpore, poſtquã pacẽ déderat Dñus Iſraéli, ſubjéctis in gyro natiónibus univérſis, & Jóſue jam longævo, & perſenílis ætátis; vocávit Jóſue omnem Iſraélem majoréſque natu, & príncipes, ac duces, & magíſtros, dixitque ad eos: Ego ſénui, & progreſſióris ætátis ſum: voſque cérnitis ómnia, quæ fécerit Dóminus Deus veſter cunctis per circúitum natiónibus, quo modo pro vobis ipſe pugnáverit: & nunc quia vobis ſorte divíſit omnem terram, ab Orientáli parte Jordánis uſque ad mare magnum, multæque adhuc ſuperſunt natiónes; Dóminus Deus veſter diſpérdet eas, & áuferet à fácie veſtra, & poſſidébitis terram, ſicut vobis pollícitus eſt: tantùm confortámini, & eſtóte ſollíciti, ut cuſtodiátis cuncta quæ ſcripta ſunt in volúmine legis Móyſi; & non declinétis ab eis neque ad déxteram neque ad ſiníſtram: ne poſtquam intravéritis ad gentes, quæ inter vos futúræ ſunt, jurétis in nómine deórum eárum, & ſerviátis eis, & adorétis illos: ſed adhæreátis Dómino Deo veſtro: quod fecíſtis uſque in diem hanc. Et tunc áuferet Dóminus Deus in conſpéctu veſtro gentes magnas & robuſtíſſimas, & nullus vobis reſíſtere póterit.

℟. Obſecro, *pag.* 192.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 4. v. 5.

In illo témpore; Venit Jeſus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar; juxta prædium quod dedit Jacob Joſeph fílio ſuo. Erat autem ibi fons Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 15. in Joan.

Ille qui bíbere quærébat, fidem ipsíus mulíeris ſitiébat. Petit bíbere & promittit bíbere. Eget quaſi acceptúrus, & áffluit tamquã ſatiatúrus. Jeſus dixit ei: Omnis qui bíberit ex aqua hac, ſítiet íterum. Quid eſt, qui bíberit de aqua hac, ſítiet íterum? Aqua in púteo, volúptas ſæculi eſt in profunditáte tenebróſa: hinc eam háuriunt hómines hydriâ cupiditátis. Cupiditátem quippe proni ſubmíttunt, ut ad profunditátem hauſtam de profúndo pervéniant. Cùm pervénerit quiſque ad voluptátem ſæculi hujus, cibus eſt, potus eſt: numquid non íterum ſítiet? Ergo de aqua hac qui bíberit, íterum, inquit, ſítiet. Si autem accéperit à me aquam, non ſítiet in ætérnum. Satiábimur, inquit, in bonis domûs tuæ. De qua ergo aqua datúrus eſt, niſi de illa de qua dictum

eſt: Apud te eſt fons vitæ? Nam quómodo sítient, qui inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ?

℟. Omnis qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum: * Qui autem bíberit ex aqua hac quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum: ſed ✝ Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſaliéntis in vitam ætérnam. ℣. Appropiáte ad me; quid adhuc retardátis? ánimæ veſtræ sítiunt veheménter. * Qui autem. Glória. ✝ Aqua. *Joan.* 4. 13. 14. *Eccli.* 51. 31. 32.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi: Da mihi bíbere: tu fórſitan petíſſes ab eo; & dedíſſet tibi aquam vivam. *Joan.* 4. 10.

Oratio.

EXáudi nos, miséricors Deus; & méntibus noſtris, & córdibus grátiam tuam infúnde, quæ ſit in nobis fons aquæ ſaliéntis in vitam ætérnam; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Trecénſi.

An. 1459. *Lib.* 15. *C.* 59.

CAveant Sacerdótes ne à confiténte quærant nómina perſonárum cum quibus peccáverit: ſed circumſtántias quæ quándoque tantam aggravatiónem peccati fáciunt; quia ſine hoc de peccáti quantitáte non poteſt bene judicári.

Ad Magnit. *Ant. t.* 8. *G.* Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adórent eum. *Joan.* 4. 23.

Oratio.

JEjunántes áſpice, miséricors Deus, & humiliátis placátus ignóſce; ut in oratiónis & jejuniórum obſervántia ſpirituáli, miſericórdiam & vitam inveniámus ætérnam; Per Dóminum, &c.

SABBATO.

De libro Jóſue.

Lectio j. Cap. 24. *v.* 19. *ad* 27.

DIxit Jóſue ad pópulum: Non potéritis ſervíre Dómino; Deus enim ſanctus & fortis æmulátor eſt, nec ignóſcet ſceléribus veſtris atque peccátis. Si dimiséritis Dóminum, & ſerviéritis diis aliénis, convértet ſe, & affliget vos, atque ſubvértet poſtquam vobis præſtíterit bona. Dixítque pópulus ad Jóſue: Nequáquam ita ut lóqueris erit, ſed Dómino ſerviémus. Et Jóſue ad pópulum, Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, ut ſerviátis ei. Reſponderúntque: Teſtes. Nunc ergo, ait, auférte deos aliénos de médio veſtrî, & inclináte corda veſtra ad Dóminum Deum Iſrael. Dixítque pópulus ad Jóſue: Dómino Deo noſtro ſerviémus,

& obediéntes érimus præcéptis ejus. Percúſſit ergo Jóſue in die illo fœdus, & propóſuit pópulo præcépta atque judícia in Sichem. Scripſit quoque ómnia verba hæc in volúmine legis Dómini; & tulit lápidem pergrándem, poſuítque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuário Dómini.

℟. Greſſus rectos, *pag.* 193.

Lectio ij. v. 27. ad finem.

ET dixit ad omnem pópulum: En lapis iſte erit vobis in teſtimónium, quòd audíerit ómnia verba Dómini quæ locutus eſt vobis: ne fortè poſtea negáre velítis, & mentíri Dómino Deo veſtro. Dimiſítque pópulum, ſíngulos in poſſeſſionem ſuam. Et poſt hæc mortuus eſt Jóſue fílius Nun ſervus Dómini, centum & decem annórum, ſepeliéruntque eum in fínibus poſſeſſiónis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, à Septentrionáli parte montis Gaas. Servivítque Iſrael Dómino cunctis diébus Jóſue, & ſeniorum qui longo vixérunt témpore poſt Jóſue, & qui novérunt ómnia ópera Dómini quæ fécerat in Iſrael. Oſſa quoque Joſeph, quæ túlerant filii Iſrael de Ægypto, ſepeliérunt in Sichem, in parte agri, quem émerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem, centum novéllis óvibus, & fuit in poſſeſſiónem filiórum Joſeph. Eleázar quoque fílius Aáron mórtuus eſt; & ſepeliérunt eum in Gabaath Phíneos fílii ejus, quæ data eſt ei in monte Ephraim.

℟. Voluntáriè, *pag.* 193.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8. v. 1.

IN illo témpore; Jeſus perréxit in montem Olivéti: & dilúculo íterum venit in templum; & omnis pópulus venit ad eum, & ſedens docébat eos. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Enarr. in Pſal. 50.

JUdæi ad Dóminum adúlteram mulíerem adduxérunt. In adultério, ínquiunt, hæc múlier deprehénſa eſt; Moyſes hujúſmodi lapidári juſſit; tu de illa quid cenſes? Tamquam bicípiti muſcípulâ tentantes cápere ſapiéntiam Dei; ut ſi jubéret occídi, pérderet manſuetúdinis famam; ſi autem juberet dimítti, incúrreret, tamquam reprehenſor legis, calúmniam. Quid ergo reſpóndit? Non ait, Occídite: non ait, Dimíttite, ſed ait: Qui ſe ſcit ſine peccato eſſe, primus in illam lápidem jáciat. Juſta lex quæ jubet adúlteram occídi: ſed hæc lex juſta miniſtros habeat innocentes. Attendítis quam

adducitis

addúcitis; atténdite & qui eſtis. Illi hoc audíto, unus poſt álterum diſceſsérunt. Remánſit adúltera & Dóminus; remánſit vulneráta & médicus; remánſit magna miséria, & magna miſericórdia. Adducéntes erubuérunt, nec véniam petivérunt: addúcta confúſa eſt, & ſanáta.

℟. O quàm bonus & ſuávis eſt, Dómine, ſpíritus tuus in ómnibus! * Eos qui exérrant, córripis; & de quibus peccant, ádmones; ut relíctâ malítiâ credant in te, Dómine. ℣. Superexáltat miſericórdia judícium.* Eos. Glória.* Eos. *Sap.* 12. 1. 2. *Jacob.* 2. 13.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Némo te condemnávit? Nemo, Dómine; Nec ego te condemnábo: Vade, & jam ámpliùs nóli peccáre. *Joan.* 8. 10. 11.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, cleméntiam tuã ſupplíciter exorámus; ut qui mala noſtra ſemper prævenis miſerándo, facias nos tibi plácitos, & piis actiónibus & jejúniis ſalúbribus expiándo; Per Dominum, &c.

CANON

Ex Concílio Trecénſi.

An. 1459. *Lib.* 15. *Tit.* 59.

COnfeſsóres debent ſemper pia geſtáre víſcera circa confiténtes, exémplo beáti Ambróſii de quo légitur, quòd quotieſcúmque áliquis lapſus in peccátum ante eum veniébat ob pœniténtiam percipiéndam, ita flebat, ut pœniténtem flere compélleret.

AD VESPERAS.

Sit fructifera converſio.

Ant. t. 1. *a.* ANima quæ intelléxerit delíctum ſuum, agat pœniténtiam pro peccáto. *Levit.* 5. 4. 5.

Ant. t. 3. *a.* Si convérſus pópulus meus, deprecátus me fúerit, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis; ego exáudiam, & propítius ero peccátis eórum. 2. *Paral.* 7. 14.

Ant. t. 4. *A.* Inítium viæ bonæ, fácere juſtitiam: miſericórdiâ & veritáte redímitur iníquitas. *Prov.* 16. 5. 6.

Ant. t. 7. *A.* Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces veſtras, ſi manéntes permanséritis in jejúniis, & oratiónibus in conſpéctu Dómini. *Judith.* 4. 12.

Ant. t. 8. *c.* Audítu auris audívi te, Dómine; idcírco ipſe me reprehéndo, & ago pœniténtiam in favílla & cínere. *Job.* 42. 5. 6.

Capitulum. Ezech. 33. 14. 15.

SI ímpius égerit pœniténtiam a peccáto ſuo, fecerítque judícium & juſtítiam, vitâ vivet, & non moriétur.

HYMNUS.

SUmmæ Deus cleméntiæ,
Puníre lentus crímina,

Hæc ut piémus flétibus,
Mones, mináris, éxcitas.
Se paſcat ergo lácrymis
Dolor refúſus péctore;
Fructúſque pœniténtiæ
Rigánte fletu gérminent.
Potu, cibóque témperans
Caro minor jam sarcinâ,
Surſum volante súpplicis
Ferátur alâ ſpíritus.
At illa quæ ſubdúcitur
Carni, ſit eſca páuperis;
Prudénſque demat párcitas
Quod charitáti fœneret.
Cœléſtis ardor úrgeat
Subíre tecta frígida,
Ubi recúmbit índigens,
Et ipſe Chriſtus éſurit.
Hîc largióre dézterâ
Opes refúndat cháritas;
Cœlóque prudens tránsferat,
Feſtína quod mors áuferet.
Audi, beáta Trinitas,
Noſtríſque votis ánnuens,
Contríta fac jejúniis,
Tibi litémus péctora.
Amen.

℣. Vide humilitátem meam, & labórem meum; ℟. Et dimítte univérſa delícta mea. *Pſ.* 24. 18.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Vidit Deus ópera eórum, quia convérſi ſunt de via ſua mala: & misértus eſt Deus. *Jonæ.* 3. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA QUARTA
IN QUADRAGESIMA.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Pſ.* 94. 6.

IN I. NOCTURNO.

Fletibus, jejuniis & aliis carnis macerationibus peccata expianda.

Ant. t. 1. *F.* Humiliémus illi ánimas noſtras, & in ſpíritu conſtitúti humiliáto, dicámus flentes Dómino; ut fáciat nobíſcum miſericórdiam ſuam. *Judith.* 8. 16. 17.

Ant. t. 2. *D.* Poſtquam convertíſti me, egi pœniténtiam: & poſtquam oſtendíſti mihi, percúſſi femur meum: confúſus ſum, & erúbui. *Jerem.* 31. 19.

Ant. t. 3. *a.* Jejunávimus, & rogávimus Deum noſtrum per hoc: & evénit nobis próſperè. 1. *Eſdr.* 8. 23.

℣. Cínerem tamquam panem manducábam, ℟. Et potum meum cum fletu miſcébam. *Pſ.* 101. 10.

Incipit liber Júdicum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

POſt mortem Jóſue conſuluérunt filii Iſraël Dóminum, dicéntes: Quis aſcéndet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixítque Dóminus: Judas aſcéndet; ecce trádidi terram in manus ejus. Et ait Judas Simeóni fratri ſuo: Aſcénde mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et ábiit cũ eo Simeõ. Aſcẽdit,

que Judas, & trádidit Dñus Chananæum ac Pherezæum in manus eórum; & percuſſérunt in Bezec decem míllia virórum. Invenerúntque Adoníbezec in Bezec, & pugnavérunt contra eum, ac percuſſérunt Chananæum & Pherezæum. Fugit autem Adoníbezec, quem perſecúti comprehendérunt, cæſis ſummitátibus mánuum ejus ac pedum. Dixítque Adonibezec: Septuaginta reges, amputáti mánuum ac pedū ſummitátibus, colligébant ſub menſa mea cibórum relíquias: ſicut feci, ita réddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerúſalem, & ibi mórtuus eſt. Oppugnántes ergo filii Juda Jerúſalem, cepérunt eam, & percuſſérunt in ore gládii, tradéntes cunctam incéndio civitátem.

℟. Operiántur ſaccis hómines, & clament ad Dóminum in fortitúdine, & convertátur vir ab iniquitáte: * Quis ſcit ſi convertátur & ignóſcat Deus: & revertátur à furóre iræ ſuæ, & non períbimus? ℣. Emundáte manus, peccatóres: purificáte corda; humiliámini in conſpéctu Dómini.* Quis ſcit. *Jonæ.* 3. 8. 9. *Jacob.* 4. 8. 10.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 11. *ad* 18.

FEcerúntque filii Iſrael malum in conſpéctu Dómini, & ſerviérunt Baalim. Ac dimiſérunt Dóminum Deum patrum ſuórum, qui edúxerat eos de terra Ægypti: & ſecúti ſunt deos aliénos, deóſque populórum, qui habitábant in circúitu eórum, & adoravérunt eos; & ad iracúndiam concitavérunt Dóminum, dimitténtes eum, & ſerviéntes Baal & Aſtaroth. Iratúſque Dóminus contra Iſrael, trádidit eos in manus diripiéntium; qui cepérunt eos, & vendiderunt hóſtibus, qui habitábant per gyrum: nec potuérunt reſíſtere adverſariis ſuis; ſed quòcúmque pérgere voluiſſent, manus Dómini ſuper eos erat, ſicut locútus eſt, & jurávit eis: & veheménter afflícti ſunt. Suſcitavítque Dóminus Júdices, qui liberárent eos de vaſtantium mánibus; ſed nec eos audíre voluérūt, fornicántes cum diis aliénis, & adorántes eos. Citò deſeruérunt viam, per quam ingréſſi fúerant patres eórum; & audiéntes mandáta Dómini, ómnia fecére contrária.

℟. Recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ: Dómine, ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima. ℣. Pater, peccávi in cœlum & coram te: jam non ſum dignus vocári filius tuus.* Ecce. *Iſ.* 38. 15. 16. 17. *Luc.* 15. 18. 19.

Lectio iij. v. 18. ad finem.

CUmque Dñus Júdices ſuſcitáret, in diébus eórũ flectebátur miſericórdiâ, & audiébat afflictórum gémitus, & liberábat eos de cæde vaſtántium. Poſtquam autem mórtuus eſſet Judex, revertebántur, & multò faciébant pejóra quàm fécerant patres eórum, ſequéntes deos aliénos, ſerviéntes eis, & adorántes illos. Non dimisérunt adinventiónes ſuas, & viam duríſſimam, per quam ambuláre conſuevérunt. Iratúſque eſt furor Dómini in Iſrael, & ait: Quia írritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepígeram cum pátribus eórum, & vocem meam audíre contémpſit: & ego non delébo gentes, quas dimíſit Jóſue, & mórtuus eſt; ut in ipſis expériar Iſrael, utrùm cuſtódiant viam Dómini, & ámbulent in ea, ſicut cuſtodiérunt patres eórum, an non. Dimíſit ergo Dñus omnes natiónes has, & citò ſubvértere nóluit, nec trádidit in manus Jóſue.

℟. Humánum dico, propter infirmitátem carnis veſtræ: * Sicut exhibuíſtis membra veſtra ſervíre immundítiæ, & iniquitáti ad iniquitátem, † Ita nunc exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ in ſanctificatiónem. ℣. Accíngite vos cilíciis, plángite, & ululáte. * Sicut. Glória. † Ita nunc. *Rom. 6. 19. Jer. 4. 8.*

IN II. NOCTURNO.

Inter opera ſatisfactoria, ne orationem prætermitte.

Ant. t. 2. D. Orátio humiliántis ſe, nubes penetrábit; non diſcédet donec Altíſſimus aſpíciat. *Eccli. 35. 21.*

Ant. t. 3. a. Si égerint pœniténtiam in corde ſuo, & deprecáti te fúerint, dicéntes: Peccávimus, iníquè égimus; propitiáberis ómnibus iniquitátibus eórum. *3. Reg. 8. 47. 50.*

Ant. t. 8. C. Non ſumus deprecáti fáciem Dómini Dei noſtri, ut reverterémur unuſquíſque noſtrûm à viis noſtris péſſimis: & vigilávit Dóminus in malis, & addúxit ea ſuper nos. *Bar. 2. 8. 9.*

℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam, ℟. Et orátio mea in ſinu meo convertétur. *Pſalm. 34. 13.*

Sermo ſancti Cypriáni Epíſcopi.

Lectio iv. Lib. de Lapſis circa finem.

COnfiteántur ſínguli, quæſo vos, fratres dilectíſſimi, delíctum ſuum, dum adhuc qui delíquit in ſæculo eſt, dum admítti conféſſio ejus poteſt, dum ſatisfáctio & remíſſio facta per Sacerdótes apud Dóminum grata eſt. Convertámur ad Dóminum mente totâ, & pœniténtiam críminis veris dolóribus expriméntes, Dei miſericórdiam deprecémur: illi ſe ánima proſtérnat: illi mœſtítia ſatisfáciat: illi ſpes

omnis incúmbat. Rogáre quáliter debeámus dicit ipſe: Revertímini, inquit, ad me ex toto corde veſtro, ſimúlque & jejúnio, & fletu, & planctu; & ſcíndite corda veſtra, & non veſtiménta veſtra. Ad Dóminum toto corde redeámus. Iram & offenſiónem ejus jejúniis, flétibus, plánctibus, ſicut ádmonet ipſe, placémus.

℞. Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt: * Invocáte eum, dum propè eſt. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus: † Quóniã multus eſt ad ignoſcéndum. ℣. Vidíſtis, quóniam miséricors Dóminus eſt, & miſerátor. * Invocáte. *Iſ.* 55. 6. 7. *Jacob.* 5. 11.

Lectio v.

VOs, fratres dilectíſſimi, quorum timor in Deũ pronus eſt, & in ruína licèt ánimus conſtitútus, mali ſui memor eſt, pœniténtes ac doléntes peccáta veſtra perſpícite; graviſſimum conſciéntiæ crimen agnóſcite; ad intelligéntiam delícti veſtri óculos cordis aperíte, nec deſperántes miſericórdiam Dómini, nec tamen jam véniã vindicántes. Deus quantùm patris pietáte indúlgens ſemper & bonus eſt, tantùm júdicis majeſtáte metuéndus eſt. Quàm magna delíquimus, tam gránditer defleámus. Alto vúlneri díligens & longa medicína non deſit: pœniténtia crímine minor non ſit.

℞. Flevi, & luxi diébus multis: jejunábam, & orábam ante fáciem Dei. Dixi: Quæſo, Dómine, vanitáte ſedúcti ſumus, & non cuſtodívimus mandátum tuum: * Obſecro, Dómine, ſit auris tua atténdens ad oratiónem ſervórum tuórum, qui volunt timére nomen tuum. ℣. Secúndùm expectatiónem & ſpem meam, quia in nullo confúndar. * Obſecro. 2. *Eſdr.* 1. 4. 5. 7. 11. *Phil.* 1. 20.

Lectio vj.

ORáre opórtet impénſiùs & rogáre, diem luctu transígere, vigíliis noctes ac flétibus dúcere, tempus omne lacrymóſis lamentatiónibus occupáre, ſtratos ſolo adhærére, in cínere & cilício & sórdibus volutári, poſt induméntum Chriſti pérditum nullum hìc jam velle veſtitũ; poſt diáboli cibum, malle jejúnium; juſtis opéribus incúmbere, quibus peccáta purgántur; eleemóſynis frequénter inſíſtere, quibus à morte ánimæ liberántur. Quod adverſárius auferébat, Chriſtus accípiat. Nec tenéri jam, nec amári patrimónium debet, quo quis & decéptus & victus eſt.

℞. Quæ ſecúndùm Deum triſtítia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur: * Ecce enim hoc ipſum, ſecúndùm Deum contriſtári

vos, quantam in vobis operátur ſollicitúdinem, ſed defenſiónem, ſed indignatiónem, ſed timórem, ſed deſidérium, ſed æmulatiónem, ſed vindíctã. ℣. Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo. * Ecce enim. Glória. * Ecce. *2. Cor.* 7. 10. 11. *Tob.* 13. 8.

IN III. NOCTURNO.

Eleemoſynis redimitur iniquitas.

Ant. t. 6. f. Peccáta tua eleemóſynis rédime, & iniquitátes tuas miſericórdiis páuperum. *Dan.* 4. 24.

Ant. t. 4. A. Bona eſt orátio cum jejúnio & eleemóſyna, magis quàm theſáuros auri recondere. *Tob.* 12. 8.

Ant. t. 8. g. Eleemóſyna à morte líberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccáta, & facit inveníre miſericórdiam. *Tob.* 12. 9.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40. 2.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6. v. 1.

IN illo témpore; Abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberíadis: & ſequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant ſigna quæ faciébat ſuper his qui infirmabántur. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

Homilia habita tempore famis.

§. 7.

VIdes & ipſum noſtrum Deum, prætéritis non rarò áliis incómmodis, eſuriéntes condolẽti ánimo miſerári. Miſéreor enim, inquit, turbæ. Quare & in extrémo judício, ubi ádvocat juſtos Dóminus, locum primum óccupat qui fúerit largus ac liberalis: nutrítor primas tenet inter eos quibus præmia dantur: panem qui miniſtrávit vocátur ante omnes; qui benígnus fuit, ante réliquos juſtos ad vitam tranſmíttitur. Qui illiberális éxtitit & sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur.... Ob idque mandátum velut fúgiens détine ac cónfice, & undelibet arréptum ulnis compléctere: dato pauca, & multa comparáto. Exólvito primigénium peccátum cibariórum largitióne.

℟. Frange eſuriénti panem tuum; & egénos vagóſque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne deſpéxeris. * Tunc invocábis, & Dóminus exáudiet. ℣. Date eleemóſynam: & ecce ómnia munda ſunt vobis. * Tunc invocábis. *Iſ.* 58. 7. 9. *Luc.* 11. 41.

Lectio viij. de eleemoſ. Serm. 4.

PArtícipes fac cibariórum fratres: quod cras putréſcet, id hódie trade egénti

Avarítiæ péſſimum genus eſt, ne ea quidem quæ corrumpúntur egénis erogáre. Si qui indútum nudat, fur appellábitur, qui nudum non índuit, cùm facere poſſit, quânam áliâ appellatione dignus eſt? Eſuriéntis eſt panis quem tu détines: nudi eſt pállium quod tu in arca ſervas: diſcalceáti, cálceus qui apud te putréſcit: indigéntis, argéntum quod defoſſum habes. Quare, quot homínibus dare potes, tot ſunt quibus infers injúriam.

℟. Conclude eleemóſynam in corde páuperis, & * Hæc pro te exorábit ab omni malo. ℣. Sit eleemóſyna tua in abſcóndito, & Pater tuus, qui videt in abſcóndito, reddet tibi. * Hæc pro te. *Eccli.* 29. 15. *Matth.* 6. 4.

Lectio ix. Serm. 6. de avaritia.

THeſaurízа tibi theſáurum in cœlo ... Egénis impértiar tum, cùm ſecúnda hórrea implévero. Longum tibi vitæ tempus præfixíſti. Cave, te præfiníta dies feſtínans prævértat. Nam pollicitátio iſthæc, nequítiæ arguméntum eſt, non benignitátis: pollicéris enim, non ut des póſtea, ſed ut præſens ſubmóveas; nunc cùm líceat, quid ímpedit quóminus largiáre? nonne adeſt índigus? nonne plena ſunt hórrea? an non paráta merces? an non clarum præcéptum eſt & perſpícuum? Eſúriens contabéſcit, nudus riget: ſtrangulátur is à quo débitum exígitur; & tu eleemoſynam differs in craſtinū? Audi Salomónem: Ne díxeris: Revértens redi, cras dabo; ignóras enim quid páriet dies ſequens.

℟. Date eleemóſynam. * Fácite vobis sácculos, qui non veteráſcunt, theſáurum non deficientem in cœlis; quò fur non appròpiat, neque tínea corrúmpit. ℣. Fidúcia magna erit coram ſummo Deo eleemóſyna, ómnibus faciéntibus eam. * Fácite. Glória. * Fácite. *Luc.* 12. 33. *Tob.* 4. 12.

AD LAUDES.

Pœnitentis pro iniquitate ſua ſatisfacientis exemplar.

℣. *Sacerdos.* Lavábo per ſíngulas noctes lectum meū: ℟. Lácrymis meis ſtratum meum rigábo. *Pſ.* 6. 7.

Ant. t. 2. *D.* SCito, & vide, quia malum & amárum eſt reliquíſſe te Dóminum Deum tuum. *Jerem.* 2. 19.

Ant. t. 3. *a.* Quis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? Et plorábo die ac nocte. *Jerem.* 9. 1.

Ant. t. 4. *A.* Sumus húmiles propter peccáta noſtra: nunc ſéquimur te in toto corde: Dómine, ne confúndas nos. *Dan.* 3. 37. 41. 42.

Ant. t. 7. *c.* Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogare & deprecári

in jejúniis, ſacco & cínere. *Dan.* 9. 3.

Ant. t. 8. *c.* Indicábo tibi, ô homo, quid Dóminus requírat à te: Utique fácere judícium, & dilígere miſericórdiam. *Mich.* 6. 8.

Capitulum. 2. *Paral.* 34. 27.

Emollítum eſt cor tuum, & humiliatus es in conſpéctu Dei, reveritúſque fáciem meam, ſcidíſti veſtiménta tua, & fleviſti coram me: ego quoque exaudívi te: dicit Dóminus.

℣. Dómine, propitiáberis peccáto meo; ℟. Multum eſt enim. *Pſ.* 24. 11.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Cùm vidíſſet Jeſus, quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philíppum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? *Joan.* 6. 5.

Oratio.

Dómine Deus, qui multitúdinem pópuli tui in deſérto mirabíliter refíciens, nos erga páuperes commiſerationem docuíſti; præſta, ut eórum neceſſitátibus ex vera charitáte communicántes, promíſſa miſericórdiæ tuæ præmia conſequámur; Qui vivis, &c.

Ad Horas breves Antiph. de Laud. quartâ omiſſâ.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Pœnit. Can.* 12.

Si quis díxerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionémque pœniténtium non eſſe áliam quàm fidem, quâ apprehéndunt Chriſtum pro eis ſatiſfeciſſe; anathema ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 6. 12. 13.

Non regnet peccátum in veſtro mortáli córpore, ut obediátis concupiſcéntiis ejus. Sed neque exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto; ſed exhibéte vos Deo tamquam ex mórtuis vivéntes: & mēbra veſtra arma juſtítiæ Deo.

℟. *br.* Génua mea infirmáta ſunt * A jejúnio. Génua. ℣. Et caro mea immutáta eſt * A jejúnio. Glória. Génua. *Pſ.* 108. 24.

℣. Opérui in jejúnio ánimam meam: ℟. Et póſui veſtiméntum meum cilíciū. *Pſ.* 68. 11. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. 5. 16.

Confitémini alterutrum peccáta veſtra, & oráte pro ínvicem, ut ſalvémini: multùm enim valet deprecátio juſti aſsídua.

℟. *br.* Clamávi ad te, Dómine, * Dixi: Tu es ſpes mea. Clamávi. ℣. Inténde ad deprecatiónem meam; quia humiliátus ſum nimis.* Dixi. Glória. Clamavi. *Pſ.* 141. 6. 7.

℣. Ampliùs lava me ab iniquitáte mea: ℟. Et à peccáto meo munda me. *Pſ.* 50. 4.

AD NONAM.

Capitulum. 2. Cor. 8. 14.

IN præſénti témpore, veſtra abundántia illórum inópiam ſúppleat, ut & illórum abundántia veſtræ inópiæ ſit ſuppleméntum.

℟. *br.* Propter miſériam ínopum, & gémitum páuperum nunc exúrgam,* Dicit Dóminus. Propter. ℣. Ponam in ſalutári. * Dicit. Glória. Propter. *Pſ. 11. 6.*

℣. Erípite páuperem: ℟. Et egénum de manu peccatóris liberáte. *Pſ. 81. 4.*

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. F. FAcite fructus dignos pœniténtiæ: omnis arbor non fáciens fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. *Luc. 3. 8. 9.*

Ant. t. 6. f. Sitis ſincéri, & ſine offenſa in diem Chriſti, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum. *Phil. 1. 10. 11.*

Ant. t. 3. a. Omnis diſciplína in præſénti quidem vidétur non eſſe gáudii, ſed mœróris: póſtea autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam, reddet juſtítiæ. *Hebr. 12. 11.*

Ant. t. 4. A. Remíſſas manus & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris. *Hebr. 12. 12. 13.*

Ant. t. 5. a. Beneficéntiæ & communiónis nolíte oblivíſci; tálibus enim hóſtiis promerétur Deus. *Hebr. 13. 16.*

Capitulum. Eccli. 17. 20.

POeniténtibus dedit viam juſtítiæ, & confirmávit deficiéntes ſuſtinére, & deſtinávit illis ſortem veritátis.

Hymnus. Summe Deus clementiæ, &c. *ut in Veſp. Sabbati præcedentis.*

℣. Quæ eſt expectátio mea? Nonne Dóminus? ℟. Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me. *Pſ. 38. 8. 9.*

Ad Magnif. *Ant. t. 7. d.* Accépit Jeſus panes: & cùm grátias egíſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus: ſimíliter & ex píſcibus quantùm volébant. *Joan. 6. 11.*

Oratio ut ad Laudes.

IN FERIIS

Infrà Dominicam quartam in Quadrageſima.

Invitat. Veníte, adorémus & procidámus ante Deum:* Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Pſ. 94. 6.*

Antiph. ℣. & ℟.℟.℟. ex uno Nocturno Dominicæ. IV. juxta Rubricam ſuperiùs aſſignatam.

Ad Laudes, Antiph. Capit. & Verſ. ex Dominica IV. in Quadrageſima.

AD PRIMAM.

Capitulum. Coloſ. 1. 10.

AMbulétis dignè Deo per ómnia placéntes; in omni ópere bono fructificántes.

Cetera ad Primam & Ho-

ras breves, ut in Dominica IV.
Veſperæ ut in Dominica IV.
præter Antiph. ad Magnif.

FERIA SECUNDA.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 4. v. 1. ad 8.

ADdidérunt filii Iſrael fácere malum in conſpéctu Dómini poſt mortem Aod, & trádidit illos Dóminus in manus Jabin regis Chánaan, qui regnávit in Aſor: habuítque ducem exércitûs ſui nómine Siſaram; ipſe autem habitábat in Hároſeth géntium. Clamaverúntque filii Iſrael ad Dóminum; nongéntos enim habébat falcátos currus, & per vigínti annos veheménter oppréſſerat eos. Erat autem Débbora prophétis uxor Lápidoth, quæ judicábat pópulum in illo témpore. Et ſedébat ſub palma, quæ nómine illíus vocabátur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: aſcendebántque ad eam filii Iſrael in omne judícium. Quæ miſit & vocavit Barac fílium Abínoem de Cades Néphtali, dixítque ad eum: Præcépit tibi Dóminus Deus Iſrael, vade, & duc exércitum in montem Thabor, tolléſque tecum decem míllia pugnatórum de fíliis Néphthali, & de fíliis Zabúlon: ego autem addúcam ad te in loco torréntis Ciſon, Síſaram píncipem exércitûs Jabin, & currus ejus, atque omnem multitúdinem; & tradam eos in manu tua.

℟. Operiántur, *ex I. Noct. Dom. pag.* 211.

Lectio ij. v. 14. ad 22.

DIxítque Débbora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua trádidit Dóminus Síſaram in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus. Deſcéndit ítaque Barac de monte Thabor, & decem míllia pugnatórum cum eo. Perterruítque Dóminus Síſaram, & omnes currus ejus, universámque multitúdinē in ore gladii, ad conſpéctum Barac: in tantum, ut Síſara de curru desíliens, pédibus fúgeret, & Barac perſequerétur fugiéntes currus, & exércitum uſque ad Hároſeth géntium, & omnis hóſtium multitúdo uſque ad interneciónem cáderet. Síſara autem fúgiens pervénit ad tentórium Jahel uxóris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Aſor, & domum Haber Cinæi. Egréſſa ígitur Jahel in occúrſum Síſaræ, dixit ad eum: Intra ad me, dómine mi; intra, ne tímeas. Qui ingréſſus tabernáculum ejus, & opértus ab ea pállio, dixit ad eam: Da mihi, óbſecro, páululum aquæ, quia sitio valdè. Quæ apéruit utrem lactis, & dedit ei bíbere, & opéruit illum. Dixítque Síſara ad eam: Sta ante óſtium tabernáculi; & cùm vénerit áli-

quis intérrogans te, & dicens: Numquid hîc eſt áliquis? Reſpondébis: Nullus eſt. Tulit ítaque Jahel uxor Haber clavum tabernáculi, aſsúmens páriter & malleū; & ingréſſa abſconditè & cum ſiléntio, póſuit ſupra tempus cápitis ejus clavum, percuſsúmque málleo defíxit in cérebrum uſque ad terram: qui ſopórem morti consócians, defécit, & mórtuus eſt.

℟. Recogitábo, *pag.* 211.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 2. *v.* 13.

IN illo témpore; Propè erat Paſcha Judæórum, & aſcéndit Jeſus Jeroſólymam: & invénit in templo vendéntes boves, & oves, & columbas, & nummulários ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagéllum de funículis, omnes ejécit de templo. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 10. *in Joan. n.* 4.

QUid audívimus, fratres? ecce templum illud figúra adhuc erat; & ejécit inde Dóminus omnes qui ſua quærébant, & qui ad núndinas vénerant. Et quæ ibi vendébant illi? quæ opus habébant hómines in ſacrifíciis illíus témporis. Novit enim cháritas veſtra, quòd ſacrifícia illi pópulo, pro ejus carnalitáte & corde adhuc lapídeo, tália data ſunt, quibus teneretúr, ne in idóla defluéret. Non ergo magnum peccátum, ſi hoc vendébant in templo, quod emebátur ut offerrétur in templo; & tamen ejécit inde illos. Quid ſi ibi ebriósos invéníret? Quid fáceret Dóminus; ſi vendéntes ea quæ lícita ſunt, & contra juſtitiam non ſunt (quæ enim honéſtè emúntur, non illícitè vendúntur,) éxpulit tamen, & non eſt paſſus domum oratiónis fieri domum negotiatiónis?

℟. Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum. ℣. His qui colúmbas vēdébant dixit Jeſus: Auférte iſta hinc; & nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. * Domum. Glória. * Domum tuam. *Pſ.* 92. 5. *Joan.* 2. 16.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Recordáti ſunt diſcípuli, quia ſcriptum eſt; Zelus domûs tuæ comédit me. *Joan.* 2. 17.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſacro nos purificánte jejúnio, ſincéris méntibus, plenâque fide ad ſancta ventúra fácias perveníre; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Cabillonénſi.

Ann. 813. *Can.* 38.

MOdus pœniténtiæ peccáta ſua confiténtibus, aut per antiquiórum Cáno-

num inſtitutiónem, aut per ſanctárum Scripturárum auctoritátem, aut per conſuetúdinem Eccleſiáſticam impóni debet; repudiátis ac pénitùs eliminátis libellis, qui dum pro peccátis grávibus leves quoſdam & inuſitátos impónunt pœniténtiæ modos, conſuunt pulvíllos, ſecúndùm propheticum ſermónem, ſub omni cúbito manûs, & fáciunt cervicália ſub cápite univérſæ ætátis ad capiéndas ánimas.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Multi credidérunt in nómine ejus, vidéntes ſigna quæ faciébat. Ipſe autem Jeſus non credébat ſemetípſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes. *Joan. 2. 23. 24.*

Oratio.

DEprecatiónem noſtrã, quæſumus, Dómine, benígnus exáudi; & quibus ſupplicándi præſtas affectum, tríbue defenſiónis auxílium; Per Dóminum, &c.

FERIA TERTIA.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 6. v. 11. ad 16.

VEnit Angelus Dómini, & ſedit ſuper quercu, quæ erat in Ephra, & pertinébat ad Joas patrem famíliæ Ezri. Cùmque Gédeon fílius ejus excúteret atque purgáret fruménta in torculári, ut fúgeret Mádian, appáruit ei Angelus Dómini, & ait: Dóminus tecum, virórum fortiſſime. Dixítque ei Gédeon: Obſecro, mi dómine, ſi Dóminus nobiſcum eſt, cur apprehendérunt nos hæc ómnia? ubi ſunt mirabília ejus, quæ narravérunt patres noſtri, atque dixérunt: De Ægypto edúxit nos Dóminus? Nunc autem derelíquit nos Dóminus, & trádidit in manu Mádian. Reſpexítque ad eum Dóminus, & ait: Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſrael de manu Mádian: Scito quòd míſerim te. Qui reſpóndens ait, Obſecro, mi dómine, in quo liberábo Iſrael? Ecce família mea ínfima eſt in Manáſſe, & ego mínimus in domo patris mei.

℟. Quærite, *Ex 2. Noct. Dom.* pag. 213.

Lectio ij. Cap. 7. v. 16. ad 23.

DIvíſit (Gédeon) trecéntos viros in tres partes, & dedit tubas in mánibus eórum, lagenáſque vácuas ac lámpades in médio lagenárum. Et dixit ad eos: Quod me fácere vidéritis, hoc fácite: ingrédiar partem caſtrórum, & quod fécero, ſectámini. Quando perſonúerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrórum circúitum clángite, & conclamáte, Dómino & Gedeóni. Ingreſſúſque eſt Gédeon, & trecénti viri qui erant cum eo, in partem caſtrórum, incipiéntibus vigíliis noctis médiæ, & cuſtódibus ſuſcitátis, cœpérunt búccinis clángere, & complódere inter ſe lagénas. Cùmque per gyrum

caſtrórum in tribus perſonárent locis, & hydrias confregíſſent, tenuérunt ſiníſtris mánibus lámpades, & dextris ſonántes tubas, clamaverúntque: Gládius Dómini & Gedeónis: ſtantes ſínguli in loco ſuo per circúitum caſtrórum hoſtílium. Omnia ítaque caſtra turbáta ſunt, & vociferántes, ululantéſque fugérunt: & nihilóminus inſiſtébant trecénti viri búccinis perſonántes. Immiſítque Dóminus gládium in ómnibus caſtris, & mútuâ ſe cæde truncábant.

℟. Flevi, *pag.* 213.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7. 14.

IN illo témpore; Jam die feſto mediánte, aſcéndit Jeſus in templum, & docébat. Et mirabántur Judæi, dicéntes: Quómodo hic lítteras ſcit, cùm non didícerit? Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 29. in Joan. n. 6.

QUis néſciat hoc eſſe fácere voluntatem Dei, operári opus ejus, id eſt, quod illi placet? Ipſe autem Dóminus apértè álio loco dicit: Hoc eſt opus Dei, ut credátis in eum quem ille miſit. Sed ſi créditis in eum, créditis ei. Non autem continuò qui credit ei, credit in eum; nam & dæmones credébant ei, & non credébant in eum. Rurſus étiam, de Apóſtolis ipſius póſſumus dícere; Crédimus Paulo, ſed non crédimus in Paulum; crédimus Petro, ſed non crédimus in Petrum. Credénti enim in eum qui juſtíficat ímpium, deputátur fides ejus ad juſtítiam. Quid eſt ergo, Crédere in eum? Credéndo amáre, credéndo dilígere, credéndo in eum ire, & ejus membris incorporári. Ipſa eſt ergo fides quam de nobis éxigit Deus; & non ínvenit quod éxigat, niſi donáverit quod invéniat. Quæ fides, niſi quam definívit álio loco Apóſtolus pleníſſimè, dicens: Neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium, ſed fides quæ per dilectiónem operátur? Hæc in te ſit, & intelliges de doctrína Dei. Quid enim intélliges? Quia doctrína iſta non eſt mea, ſed ejus qui miſit me; id eſt, intélliges quia Chriſtus Dei Fílius, qui eſt doctrína Patris, non eſt ex ſeípſo, ſed Fílius eſt Patris.

℟. Dixit Jeſus: Mea doctrína non eſt mea, ſed ejus qui miſit me: * Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognóſcet de doctrína utrùm ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar. ℣. Omnis ſapiéntia à Dómino Deo eſt, & præbuit illam diligéntibus ſe. * Si quis. Glória. * Si quis. *Joan. 7. 16. 17. Eccli. 1. 1. 10.*

Ad Bened. Ant. t. 5. a. Clamábat Jeſus in templo: Et me ſcitis, & unde ſum ſci-

tis; & à meipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis. *Joan.* 7. 28.

Oratio.

DA, quæſumus, Dómine, pópulis Chriſtiánis quod profiténtur agnóſcere, & ágnitum ſincéro humilitátis ſenſu, & dignis pœniténtiæ frúctibus adipíſci; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſs. 14. *Cap.* 8. *de Pœnit.*

MAgnópere à peccáto révocant, & quaſi fræno quodam coërcent ſatisfactóriæ pœnæ: cautioréſque & vigilantióres in futúrum pœniténtes efficiunt: medéntur quoque peccatórum relíquiis, & vitióſos hábitus malè vivéndo comparatos, contráriis virtútum actiónibus tollunt.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Quærébant eum apprehéndere: & nemo miſit in illum manus; quia nondum vénerat hora ejus. *Joan.* 7. 30.

Oratio.

UT numquam alta ſápiat pópulus tuus, & eam, quæ ab homínibus eſt, glóriam non quærat; da ipſi, Deus, fragilitátis humánæ ſemper eſſe mémorem, quæ vítiis obnóxia, nihil ſalúte dignum velle poteſt & perficere, niſi tuâ adjuvétur grátiâ; Per Dóminum noſtrum, &c.

FERIA QUARTA.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 11.

FUit illo témpore Jephte Galaadítes vir fortíſſimus atque pugnátor, filius mulíeris meretrícis, qui natus eſt de Gálaad. Hábuit autem Gálaad uxórem, de qua ſuſcépit fílios: qui poſtquam créverant, ejecérunt Jephte, dicéntes: Hæres in domo patris noſtri eſſe non póteris, quia de áltera matre natus es. Quos ille fúgiēs atque devítans, habitávit in terra Tob. Congregatíque ſunt ad eum viri ínopes, & latrocinántes, & quaſi príncipem ſequebántur. In illis diébus pugnábant fílii Ammon contra Iſrael. Quibus ácriter inſtántibus, perrexérunt majóres natu de Gálaad, ut tóllerent in auxílium ſuî Jephte de terra Tob: dixerúntque ad eum: Veni, & eſto princeps noſter, & pugna contra fílios Ammon. Quibus ille reſpóndit: Nonne vos eſtis qui odíſtis me, & ejecíſtis de domo patris mei? & nunc veníſtis ad me neceſſitáte compúlſi. Dixerúntque príncipes Gálaad ad Jephte: Ob hanc ígitur cauſam nunc ad te venímus, ut proficiſcáris nobíſcum, & pugnes contra fílios Ammon, ſiſque dux ómnium qui hábitant in Galaad. Jephte quoque dixit eis: Si verè veníſtis ad me, ut pugnem pro vobis contra fílios Ammon, tradiderítque eos Dóminus in manus meas,

ego ero veſter princeps ? Qui reſpondérunt ei : Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator ac teſtis eſt, quòd noſtra promíſſa faciémus.

℟. Frange, *ex III. Noct. Dom.* pag. 214.

Lectio ij. v. 29. ad finem.

FActus eſt ergo ſuper Jephte Spíritus Dñi, & circúiens Gálaad, & Manáſſe, Maſpha quoque Gálaad, & inde tránſiens ad fílios Ammon, votum vovit Dómino, dicens : Si tradíderis fílios Ammon in manus meas, quicúmque primus fúerit egréſſus de fóribus domûs meæ, mihíque occúrrerit reverténti cum pace à fíliis Ammon, eum holocáuſtum ófferam Dómino. Tranſivítque Jephte ad fílios Ammon, ut pugnáret contra eos, quos trádidit Dóminus in manus ejus. Percuſsítque ab Aroer uſque dum vénias in Mennith, vìginti civitátes, & uſque ad Abel, quæ eſt víneis cónſita, plagâ magnâ nimis; humiliatíque ſunt fílii Ammon à fíliis Iſrael. Reverténte autem Jephte in Maſpha domum ſuam, occúrrit ei unigénita fília ſua cum tympanis & choris; non enim habébat álios líberos. Quâ viſâ, ſcidit veſtiménta ſua, & ait : Heu me! fília mea, decepíſti me, & ipſa decépta es : apérui enim os meum ad Dóminum, & aliud fácere non potero. Cui illa reſpóndit : Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dóminum, fac mihi quodcúmque pollícitus es, concéſsâ tibi ultióne atque victóriâ de hoſtibus tuis. Dixítque ad patrem : Hoc ſolum mihi præſta, quod déprecor : Dimítte me ut duóbus ménſibus circũeam montes, & plangam virginitátem meã cum ſodalibus meis. Cui ille reſpóndit : Vade. Et dimíſit eam duóbus ménſibus. Cùmque abiíſſet cum sóciis ac ſodálibus ſuis, flebat virginitátem ſuam in móntibus. Expletíſque duóbus menſibus, revérſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut vóverat, quæ ignorábat virum. Exínde mos incrébruit in Iſrael, & conſuetúdo ſerváta eſt, ut poſt anni circulum convéniant in unum fíliæ Iſrael, & plangant filiam Jephte Galaadítæ diébus quátuor.

℟. Conclúde, *pag.* 215.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 9. v. 1.

IN illo témpore; Prætériens Jeſus, vidit hóminem cæcum à nativitáte. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epíſcopi.

Tract. 44. in Joan.

GEnus humánum eſt iſte cæcus; hæc enim cæcitas cóntigit in primo hómine per peccatum, de quo omnes oríginem dúximus,

non ſolùm mortis, ſed étiã iniquitátis. Si enim cæcitas eſt infidélitas, & illuminátio fides; quem fidélem, quando venit Chriſtus, invénit? Quandóquidem Apóſtolus natus in gente Prophetárum, dicit: Fúimus & nos aliquándo natúrâ fílii iræ, ſicut & cæteri. Si fílii iræ, fílii vindíctæ, filii pœnæ, fílii gehénnæ. Quómodò natúrâ, niſi quia peccánte primo hómine, vítium pro natúra inolévit? Si vítium pro natúra inolévit ſecúndũ mentem, omnis homo cæcus natus eſt. Si enim videt, non opus habet ductóre: ſi opus habet ductóre & illuminatóre, cæcus ergo eſt. Venit Dóminus éxpuit in terram, de ſalíva ſua lutum fecit, & inúnxit óculos cæci. Inúnctus erat, & nondum vidébat. Miſit illum ad piſcínam: lavit óculos in ea: baptizátus eſt in Chriſto. Hoc cathecúmeni áudiant; non eis súfficit quòd inúncti ſunt: feſtínent ad lavácrũ, ſi lumen inquírunt.

℟. Réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus. * Illúmina óculos meos ne umquam obdormiam in morte. ℣. Miſerére meî, Dómine, ut vídeam. * Illúmina. Glória. * Illúmina. *Pſ.* 12. 4. *Luc.* 18. 39. 41.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *f.* Jeſus lutum fecit: & unxit óculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatória Siloë, & lava. Et ábii, lavi, & vídeo. *Joan.* 9. 11.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, lúmine claritátis tuæ illúſtra; ut vidére poſsímus quæ agénda ſunt, & quæ recta ſunt ágere valeámus; Per.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſs. 14. *de Pœnit. Cap.* 8.

DEbent Sacerdótes Dómini, quantùm ſpíritus & prudéntia ſuggéſſerit pro qualitáte críminum, & pœniténtium facultáte, ſalutáres & conveniéntes ſatiſfactiónes injúngere: ne ſi fortè peccátis connívеant, & indulgéntiùs cum pœniténtibus agant, levíſſima quædam ópera pro graviſſimis delíctis injungéndo, alienórum peccatórum partícipes efficiántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Cæcus ait: Credo, Dómine. Et prócidens, adorávit eum. *Joan.* 9. 38.

Oratio.

COnsérva in nobis, quæſumus, Dómine, miſericórdiam tuam; ut quos ab erróris liberáſti calígine, veritátis tuæ fírmius inhærére fácias documénto; Per.

FERIA QUINTA.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad medium* 9.

RUrsúmque fílii Iſrael fecérunt malum in conſpéctu Dómini; qui trádidit

dit eos in manus Philiſthinórum quadragínta annis. Erat autem quidam vir de Sáraa, & de ſtirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem ſtérilem. Cui appáruit Angelus Dómini, & dixit ad eam: Stérilis es, & abſque líberis; ſed concípies & paries filium. Cave ergo ne bibas vinum ac síceram, nec immúndum quidquam comedas; quia concípies, & páries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris útero, & ipſe incípiet liberáre Iſrael de manu Philiſthinórũ. Quæ cùm veníſſet ad marítum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me habens vultum angélicum, terríbilis nimis. Quem cùm interrogaſſem, quis eſſet, & unde veníſſet, & quo nómine vocaretur, nóluit mihi dícere; ſed hoc reſpóndit: Ecce concípies & páries filium: cave ne vinum bibas nec síceram, & ne aliquo veſcáris immúndo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, ex útero matris ſuæ uſque ad diem mortis ſuæ. Orávit ítaque Manue Dóminum, & ait: Obſecro, Dómine, ut vir Dei, quem miſíſti, véniat íterum, & dóceat nos quid debeámus fácere de puero, qui naſcitúrus eſt. Exaudivitque Dóminus deprecantem Mánue, & appáruit rurſum Angelus Dei uxóri ejus ſedénti in agro.

℟. Operiántur, *ex I. Nocturno. Dom. pag.* 211.

Lectio ij. v. 16. *ad finem.*

ET neſciébat Mánue quòd Angelus Dómini eſſet. Dixítque ad eum: Quod eſt tibi nomen, ut, ſi ſermo tuus fúerit explétus, honorémus te? Cui ille reſpóndit: Cur quæris nomen meum, quod eſt mirábile? Tulit itaque Mánue hædum de capris, & libaménta, & póſuit ſuper petram, ófferens Dómino, qui facit mirabília; ipſe autem & uxor ejus intuebántur. Cùmque aſcénderet flãma altaris in cœlum, Angelus Dñi páriter in flãma aſcendit. Quod cùm vidiſſent Manue & uxor ejus, proni ceciderunt in terram, & ultrà eis non apparuit Angelus Dómini. Statimque intelléxit Mánue Angelum Dómini eſſe, & dixit ad uxórem ſuam: Morte moriémur, quia vídimus Deum. Cui reſpóndit múlier: Si Dóminus nos vellet occídere, de mánibus noſtris holocauſtum & libaménta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc ómnia, neque ea quæ ſunt ventúra dixiſſet. Peperit itaque filium, & vocávit nomen ejus, Samſon. Crevitque puer, & benedixit ei Dominus. Cœpítque Spiritus Dómini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa & Eſthaol.

℟. Recogitábo, *pag.* 211.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 7. v. 11.

IN illo témpore; Ibat Jeſus in civitátem quæ vocátur Naim; & ibant cum eo diſcípuli ejus, & turba copióſa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris ſuæ. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 5. Comment. in Lucam.

QUid áliud, niſi quaſi in quodam féretro, hoc eſt, ſupremi fúneris inſtruménto jacémus exánimes; cùm vel ignis immódicæ cupiditátis exæſtuat, vel frígidus humor exúndat, vel pigrâ quâdam terréni corporis habitúdine vigor hebetátur animórum; vel concrétâ noſter ſpíritus lábe, puræ lucis vácuus, mentem alit? Hi ſunt fúneris noſtri portitóres. Sed quamvis ſupréma mortis ſpem vitæ omnis aboléverint, & túmulo próxima córpora jáceant defunctórum: verbo tamen Dei jam moritúra reſúrgunt cadávera. Vox redit, rédditur filius matri, revocátur à túmulo, erípitur à ſepúlchro. Quis eſt iſte túmulus tuus, niſi mali mores? Tumulus tuus perfídia eſt: ſepúlchrum tuum guttur eſt. Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, unde verba mortua proferúntur. Ab hoc ſepúlchro te líberat Chriſtus: ab hoc túmulo resúrges, ſi áudias verbum Dei. Et ſi grave peccatum eſt, quod pœniténtiæ tuæ lácrymis ipſe laváre non poſſis, fleat pro te mater Eccléſia, quæ pro ſíngulis tamquam pro únicis fíliis vídua mater intérvenit. Cōpátitur enim quódam ſpiritáli dolóre natúræ, cùm ſuos líberos lethálibus vítiis ad mortem cernit urgéri.

℟. In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudatiónes tibi: * Quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. ℣. Nos ſcimus quóniam transláti ſumus de morte ad vitam. * Quóniam. Glória.* Quóniam. *Pſ.* 55. 12. 13. 1. *Joan.* 3. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Accéſſit Jeſus & tétigit lóculum; & resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. *Luc.* 7. 14. 15.

Oratio.

MOveant pietátem tuā, miséricors Deus, afflíctæ Eccléſiæ preces & lácrymæ: ut à morte peccáti tuâ virtúte reſurgéntes, in ætérnum non moriámur; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. de Pœnitent. Cap. 8.

HAbeant præ óculis Sacerdótes, ut ſatisfáctio quam impónunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtódiam, & infirmitátis medicaméntum; ſed étiam ad præteritórum peccatórum vindíctam, & caſtigatiónem.

Ad Magnif. *Ant. t. 8. g.* Accépit autem omnes timor: & magnificábant Deum, dicéntes: Quia Prophéta magnus ſurrexit in nobis; & quia Deus viſitávit plebem ſuam. *Luc. 7. 16.*

Oratio.

POpuli tui, Deus, inſtitútor & rector, peccáta quibus impugnátur, expélle: ut ſemper tibi plácitus, & tuo munímine ſit ſecúrus; Per Dóminum, &c.

FERIA SEXTA.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 16. v. 21. ad medium 25.

SAmſon cùm apprehendíſſent Philiſthiim, ſtatim eruérunt óculos ejus, & duxérunt Gazam vinctum caténis, & clauſum in cárcere mólere fecérunt. Jamque capílli ejus renáſci cœperant, & príncipes Philiſthinórum convenérunt in unum, ut immolárent hóſtias magníficas Dagon deo ſuo, & epularéntur, dicéntes: Trádidit deus noſter inimícum noſtrum Samſon in manus noſtras. Quod étiam pópulus videns, laudábat deum ſuum, eadémque dicébat: Trádidit deus noſter adverſárium noſtrum in manus noſtras, qui delévit terrā noſtrā, & occídit plúrimos. Lætantéſque per convívia, ſumptis jam épulis, præcepérunt ut vocarétur Samſon, & ante eos lúderet.

℟. Quærite, *ex II. Noct. Dom. pag. 213.*

Lectio ij. v. 25. ad 31.

QUi addúctus de cárcere ludébat ante eos, fecerúntque eum ſtare inter duas colúmnas. Qui dixit púero regénti greſſus ſuos: Dimítte me, ut tangam colúmnas, quibus omnis ímminet domus, & reclínet ſuper eas, & páululum requiéſcam. Domus autem erat plena virórum ac mulíerum, & erant ibi omnes príncipes Philiſthinórum, ac de tecto & ſolário círciter tria míllia utriúſque ſexûs ſpectántes ludéntē Samſon. At ille, invocáto Dómino, ait: Dómine Deus, meménto meî, & redde mihi nunc fortitúdinem príſtinam, Deus meus, ut ulcíſcar me de hóſtibus meis, & pro amiſſióne duórum lúminum unam ultiónem recípiam. Et apprehéndens ambas colúmnas, quibus innitebátur domus, alterámque eárum déxterâ, & álteram lævâ tenens, ait: Moriátur ánima mea cum Phi-

liſthiim. Concuſsíſque fórtiter colúmnis, cécidit domus ſuper omnes príncipes, & cæteram multitúdinem quæ ibi erat: multóque plures interfécit móriens, quàm antè vivus occíderat.

℟. Flevi, *pag.* 213.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 1.

IN illo témpore; Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de caſtéllo Maríæ & Marthæ ſorôris ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Tract. 49. *in Joan.*

ESt genus mortis immáne, mala conſuetúdo appellátur. Aliud eſt enim peccáre, áliud peccáti conſuetúdinem fácere. Qui peccat, & contínuò corrígitur, citò revivíſcit: quia nondum eſt implicátus conſuetúdine, non eſt ſepúltus. Qui autem peccáre conſuévit, ſepúltus eſt, & bene de illo dícitur, Fœtet: íncipit enim habére péſſimam famam, tamquam odórem teterrimum. Tales ſunt omnes aſſuéti ſceléribus, pérditi móribus. Dicis ei; Noli fácere. Quando te audit quem terra ſic premit, & tabe corrúmpitur & mole conſuetúdinis prægravátur? nec ad ipſum tamen reſuſcitándum minor fuit virtus Chriſti. Nóvimus, vídimus, quotídie vidémus hómines, péſſimâ conſuetúdine permutátâ, vívere méliùs quàm vivunt qui reprehendebant. Vidémus multos, nóvimus multos: nemo deſpéret. In corde hóminis quem premit magna moles & conſuetúdo peccáti, in corde hóminis tranſgreſsóris étiam ſancti Evangélii, contemptóris pœnárum æternárũ fremat Chriſtus, íncrepet ſe homo. Audi adhuc: Flevit Chriſtus, fleat ſe homo. Quare enim flevit Chriſtus, niſi quia flere hóminem dócuit? Quare frémuit & turbávit ſemetípſum, niſi quia fides hóminis ſibi méritò diſplicéntis frémere quodam modo debet in accuſatióne malórum óperum, ut violéntiæ pœniténdi cedat conſuetúdo peccándi?

℟. Iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus grave graváræ ſunt ſuper me: putruérunt & corrúptæ ſunt cicatríces meæ à fácie inſipiéntiæ meæ: * Inténde in adjutórium meum, Deus ſalútis meæ. ℣. Dómine, veni, & vide. * Inténde. Glória. * Inténde. *Pſ.* 37. 5. 6. 23. *Joan.* 11. 34.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Voce magnâ clamávit Jeſus: Lázare, veni foràs. Et ſtatim pródiit, ligátus pedes & manus ínſtitis, & fácies illius ſudario erat ligáta. *Joan.* 11. 43. 44.

Oratio.

EXáudi nos, Dómine, per contínua jejúnia tuam pro peccatóribus miſericórdiam deprecántes; ut voce tuâ intériùs à morte excitáti, à peccatórum vínculis liberéntur; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

Ann. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 6.

COnfeſſóres Cánones pœnitentiáles bene nóverint, & de pœniténtia quam cuíque peccato præſcripsérunt, confiténtes admóneant: ut tantò diligéntiùs à peccátis cavére ſtúdeant, quantò in pœniténtiis Cánonum mitigándis benigniórem in ſe Eccléſiam experiúntur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Multi ex Judæis, qui vénerant, & víderant quæ fecit Jeſus, credidérunt in eum. *Joan.* 11. 45.

Oratio.

DEus, humílium conſolátor, & fidélium fortitúdo, propítius adéſto précibus ſupplicántium; ut humána fragílitas, quæ per ſe proclívis eſt ad labéndum, per te ſemper muniátur ad ſtandum; & quæ per ſe multíplicat offénſam, per te ſemper reparétur ad véniam; Per Dóminum, &c.

SABBATO.

Incipit liber Ruth.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

IN diébus uníus Júdicis, quando Júdices præerant, facta eſt fames in terra. Abiítque homo de Béthleem Juda, ut peregrinarétur in regióne Moabítide cum uxóre ſua ac duóbus líberis. Ipſe vocabátur Elímelech, & uxor ejus Noémi: & duo filii, alter Máhalon, & alter Chelion, Ephratæi de Béthleem Juda. Ingreſsíque regiónem Moabítidem, morabántur ibi. Et mórtuus eſt Elimelech marítus Noémi; remansítque ipſa cum fíliis: Qui acceperũt uxóres Moabítidas, quarum una vocátur Orpha, áltera verò Ruth. Manſerúntque ibi decem annis, & ambo mórtui ſunt, Máhalon vidélicet & Chélion: remansítque múlier orbáta duóbus líberis ac maríto. Et ſurréxit ut in pátriam pérgeret, cum utrâque nuru ſuâ, de regióne Moabítide; audíerat enim quòd reſpexíſſet Dóminus pópulum ſuum, & dedíſſet eis eſcas.

℟. Frange, *ex III. Noct. Dom. pag.* 214.

Lectio ij. Cap. 4. *v.* 13. *ad finem.*

TUlit ítaque Booz Ruth, & accépit uxórem: ingreſsúſque eſt ad eam, & dedit illi Dóminus ut concíperet & páreret filium. Dixerúntque mulieres ad

Noémi : Benedíctus Dóminus, qui non eſt paſſus ut defíceret ſuccéſſor famíliæ tuæ, & vocarétur nomen ejus in Iſrael; & hábeas qui conſolétur ánimam tuam, & enútriat ſenectútem; de nuru enim tua natus eſt, quæ te diligit; & multò tibi mélior eſt, quàm ſi ſeptem habéres fílios. Suſceptúmque Noémi púerum póſuit in ſinu ſuo, & nutrícis ac gérulæ fungebàtur offício. Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei, & dicéntes : Natus eſt fílius Noémi; vocavérunt nomen ejus, Obed : hic eſt pater Iſaï, patris David. Hæ ſunt generatiónes Phares: Phares génuit Eſron, Eſron génuit Aram, Aram génuit Amínadab, Amínadab génuit Naháſſon, Naháſſon génuit Salmon, Salmon génuit Booz, Booz génuit Obed, Obed génuit Iſaï, Iſaï génuit David.

℟. Conclude, *pag.* 215.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8. v. 12.

IN illo témpore : Locútus eſt Jeſus Scribis & Phariſæis, dicens : Ego ſum lux mundi : qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris, ſed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homília S. Cypriáni Martyris. *De zelo & livore.*

QUi odit fratrem ſuum, in ténebris ámbulat, & non ſcit quò eat : it enim néſcius in gehénnam; ignárus & cæcus præcipitátur in pœnam, recédens ſcílicet a Chriſti lúmine monéntis & dicéntis : Ego ſum lumen mundi; qui me ſecútus fúerit, non ambulàbit in ténebris, ſed habébit lumen vitæ. Séquitur autem Chriſtum, qui præcéptis ejus inſiſtit, qui veſtígia ejus atque itínera ſectátur, qui id quod Chriſtus & fecit & dócuit, imitátur. Meminíſſe debémus quo vocábulo plebem ſuam Chriſtus appéllet, quo título gregem ſuum núncupet : oves nóminat, ut innocéntia Chriſtiána óvibus æquétur : agnos vocat, ut agnórum natúram símplicem ſimplícitas mentis imitétur.

℟. Ego ſum lux mundi : * Qui ſéquitur me, non ámbulat in ténebris, ſed habébit lumen vitæ. ℣. In me grátia omnis viæ, & veritátis, in me omnis ſpes vitæ & virtútis. * Qui ſéquitur. Glória. * Qui ſequítur. *Joan.* 8. 12. *Eccli.* 24. 25.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Verum eſt teſtimóniũ meũ : quia ſcio unde veni, & quò vado : vos autem neſcítis unde vénio, aut quò vado. *Joan.* 8. 14.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiæ tuæ lucem benígnus infúnde; ut mandatórum tuórum lege percéptâ, te ſequa-

mur, & ad lumen ætérnæ vitæ perveníre mereámur; Per Dóminum noſtrum, &c.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto. *Ann.* 829. *Lib.* 1. *Cap.* 32.

SAcerdótes qui aut múneris, aut amóris, aut timóris, aut certè favóris causâ, témpora, modúmque pœniténtiæ ad líbitum pœniténtium indícunt, áudiant quid Dóminus per Ezechiélem Prophétam terribíliter dicat.... Erit manus mea ſuper Prophétas, eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, pax, & non eſt pax.

SABBATO

ANTE DOMINICAM PASSIONIS.

AD VESPERAS.

Appropinquat illa hebdomada prædicta, in cujus medio deficiet hoſtia.

Ant. t. 3. a. OMnes nos quaſi oves errávimus, unuſquíſque in viam ſuam declinávit: & póſuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium noſtrûm. *Iſ.* 53. 6.

Ant. t. 4. a. Sicut ovis ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondénte ſe obmutéſcet, & non apériet os ſuum. *Iſ.* 53. 7.

Ant. t. 7. A. In ſciéntia ſua juſtificábit ipſe multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſ.* 53. 11.

Ant. t. 8. g. In hac die expiátio erit veſtri, atque mundátio ab ómnibus peccátis veſtris: coram Dómino mundabímini. *Levit.* 16. 30.

Ant. t. 1. F. Diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. *Iſ.* 53. 5.

Capitulum. Levit. 23. 4. 5. 6.

HÆ ſunt fériæ Dómini ſanctæ, quas celebráre debétis tēpóribus ſuis. Menſe primo, quartâ-décimâ die menſis ad véſperum, Phaſe Dómini eſt: & quintâ décimâ die menſis hujus, ſolémnitas Azimórum Dómini eſt.

℟. Scito, & animadvértete: * Poſt hebdómades ſexagínta duas occidétur Chriſtus: & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus eſt: confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis defíciet hóſtia. ℣. Conſummabúntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. * Poſt hebdómades.

Non dicitur deinceps Glória. *Sed repetitur.* Scito, *uſque ad Verſ. Dan.* 9. 25. 26. 27. *Luc.* 18. 31.

HYMNUS.

VExílla regis pródeunt,
Fulget crucis myſtériū,
Quâ, factus orbis víctima,
Suſpénſus eſt homo Deus.
Hic vulnerátus ínſuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine
Aquâ fluit cum sánguine.
Impléta ſunt quæ dixerat

David fidéli cármine
Olim canens: In géntibus
Regnávit à ligno Deus.

Arbor decóra, quæ Dei
Es purpuráta ſánguine,
Electa digno ſtípite,
Quæ membra Chriſti tángeres.

Beáta, cujus bráchiis
Mundi pepéndit hóſtia,
Statéra facta córporis,
Prædam tuliſti tártari.

O Crux! ave, ſpes única,
Hoc Paſſiónis témpore
Piis adáuge grátiam,
Reíſque dele crímina.

Te, fons ſalútis, Trínitas,
Colláudet omnis ſpíritus,
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde præmium.
Amen.

Et hæc Doxologia dicitur in omnibus Hymnis, uſque ad Feriam 5. majoris hebdomadæ.

℣. Captabunt in ánimam juſti. ℟. Et ſánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Ad Magnific. *Ant. t.* 1. *a.* Ecce in mánibus veſtris ſum: fácite mihi quod bonum & rectum eſt in óculis veſtris: verúmtamen ſcitóte, quòd ſi occidéritis me, ſánguinem innocéntem tradétis. *Jerem.* 26. 14. 15.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Completorium, ut per tempus Quadrageſimæ.

DOMINICA PASSIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Filium hóminis tradéndum in manus peccatórum. * Veníte, adorémus. *Matth.* 26. 45.

Pſal. 94. Veníte. *pag.* 2. *in cujus fine non dicitur*, Glória Patri, *ſed ejus loco, ſemel repetitur Invitat. ab initio: & ſic deinceps, cùm Officium ſit de Feria, uſque ad Feriam 5. majoris Hebdomadæ.*

IN I. NOCTURNO.

Impiorum conſilia adverſus Chriſtum.

Ant. t. 2. *D.* Admirámini, & obſtupéſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cùm narrabitur. *Habac.* 1. 5.

Ant. t. 1. *F.* Impii dixérunt cogitántes apud ſe non rectè: Circumveniámus juſtum; quóniam contrárius eſt opéribus noſtris, & impróperat nobis peccáta legis. *Sap.* 2. 1. 12.

Ant. t. 3. *a.* Dixérunt: Si eſt verus Fílius Dei, ſuſcípiet illum, & liberábit eum de mánibus contrariórum; morte turpiſſimâ condemnémus eum. *Sap.* 2. 1. 18. 20.

℣. Convenérunt in unum advérſus Dóminum, ℟. Et advérſùs Chriſtum ejus. *Pſ.* 2. 2.

Incipit liber Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

VErba Jeremíæ filii Helcíæ, de ſacerdótibus qui fuérunt in Anathoth, in terra Benjamin. Quod factum eſt verbum Dómini ad eum in diébus Joſíæ filii Amon

regis Juda, in tértio-décimo anno regni ejus. Et factum eſt in diébus Jóachim filii Josíæ regis Juda, uſque ad conſummatiónem undécimi anni Sedéciæ filii Josíæ regis Juda, uſque ad tranſmigratiónem Jerúſalem, in menſe quinto. Et factum eſt verbum Dómini ad me, dicens: Priùſquam te formárem in útero novi te: & ántequam exíres de vulva, ſanctificávi te, & prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus: ecce néſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer ſum; quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: & univérſa, quæcúmque mādávero tibi, loqueris. Ne tímeas à fácie eórum, quia tecum ego ſum, ut éruam te, dicit Dóminus.

℟. Interrogáte gentes: Quis audívit tália horríbília? Dixérunt; * Veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérſos ſermónes ejus; atténde, Dómine, ad me, & audi vocem adverſariórum meórum. ℣. Collegérunt Pontífices & Phariſæi concílium, & dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna facit? * Veníte. *Jerem.* 18. 13. 18. 19. *Joan.* 11. 47.

Lectio ij. Cap. 2. v. 5. ad 10.

HÆc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres veſtri in me iniquitátis, quia elongavérunt à me, & ambulavérunt poſt vanitátem, & vani facti ſunt? Et non dixérunt: Ubi eſt Dóminus qui aſcéndere nos fecit de terra Ægypti; qui tradúxit nos per desértum, per terram inhabitábilem & ínviam, per terram ſitis, & imáginem mortis, per terram in qua non ambulávit vir, neque habitávit homo? Et indúxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum ejus, & óptima illíus: & ingreſſi contamináſtis terram meam, & hæreditátem meam poſuíſtis in abominationem. Sacerdótes non dixérunt: Ubi eſt Dóminus? Et tenéntes legem neſciérunt me, & paſtóres prævaricáti ſunt in me: & Prophétæ prophetavérunt in Baal, & idóla ſecúti ſunt. Proptéreà adhuc judício contendam vobíſcum, ait Dóminus, & cum filiis veſtris diſceptábo.

℟. Recordáre, Dómine, quòd ſteterim in conſpéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & averterem indignatiónem tuam ab eis. * Tu autem, Dómine, ſcis omne consilium eórum advérsùm me in mortem. ℣. Odérunt & me, & Patrem meum, ut adimpleátur ſermo qui ſcriptus eſt: Quia ódio habuérunt me gratìs. * Tu autem. *Jerem.* 18. 20. 23. *Joan.* 15. 24. 25.

Lectio iij. v. 10. *ad* 18.

TRansíte ad ínſulas Cethim, & vidéte; & in Cedar míttite, & conſideráte vehementer : & vidéte ſi factum eſt hujuſcémodi, ſi mutávit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dii : pópulus verò meus mutávit glóriam ſuam in idólum. Obſtupéſcite, cœli, ſuper hoc; &, portæ ejus, deſolámini veheménter, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus : Me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipátas, quæ continére non valent aquas. Numquid ſervus eſt Iſrael, aut vernáculus? quare ergo factus eſt in prædam? Super eum rugiérunt leónes, & dedérunt vocem ſuam, poſuérunt terram ejus in ſolitúdinem : civitátes ejus exúſtæ ſunt, & non eſt qui hábitet in eis. Fílii quoque Mémpheos & Taphnes conſtupravérunt te uſque ad vérticem. Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquíſti Dóminum Deum tuum eo témpore quo ducébat te per viam?

℞. Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & Filius hóminis tradétur princípibus ſacerdótum, & damnábunt eum morte; * Et illúdent ei, & cónſpuent eum, & flagellábunt eum, & interfícient eum. ℣. Quaſi agnus coram tondénte ſe obmutéſcet. * Et illudent ei. Ecce aſcéndimus. *Marc.* 10. 33. 34. *Iſ.* 53. 7.

IN II. NOCTURNO.

Prænuntiatur Paſſio Chriſti.

Ant. t. 4. *A.* Dómine, recordáre meî, & tuére me ab his qui perſequúntur me. *Jerem.* 15. 15.

Ant. t. 7. *A.* Vidíſti, Dómine, iniquitátem illórum advérsùm me : júdica judícium meum. *Thren.* 3. 59.

Ant. t. 8. *c.* Deus, Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me : quia circumdedérunt me contritiónes mortis. 2. *Reg.* 22. 3. 5.

℣. Inténde ánimæ meæ, & líbera eam : ℞. Propter inimícos meos éripe me. *Pſ.* 68. 19.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 9. *de Quadr. Lectio iv.*

IN ómnibus, dilectíſſimi, ſolemnitátibus Chriſtiánis, non ignorámus Paſchale ſacraméntum eſſe præcípuũ. Cui condígnè & cóngruè ſuſcipiéndo, totíus quidem nos témporis inſtitúta præfórmant; ſed devotiónem noſtram præséntes vel máximè dies éxigunt, quos illi ſubliméſſimo divínæ miſericórdiæ ſacraménto ſcimus eſſe contíguos. In quibus méritò à ſanctis Apóſtolis per doctrínam Spíritûs ſancti majora ſunt ordináta jejúnia; ut per commúne consórtium Crucis Chriſti, étiam nos áliquid in eo quod propter nos geſſit, agerémus; ſicut Apóſtolus ait : Si compátimur, & conglorificábimur. Certa at-

que ſecúra eſt expectátio promíſſæ beatitúdinis, ubi eſt participátio Domínicæ Paſſiónis.

℟. Pónite vos in córdibus veſtris ſermónes iſtos: * Fílius enim hóminis futúrum eſt ut tradátur in manus hóminum. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. * Fílius enim hóminis. *Luc.* 9. 44. *Iſ.* 53. 10.

Lectio v.

NEmo eſt, dilectíſſimi, cui per conditiónem témporis ſocíetas hujus glóriæ denegétur, tamquam tranquíllitas pacis vácua ſit occaſióne virtútis. Apóſtolus enim prædicat, dicens: Omnes qui piè volunt in Chriſto vívere, perſecutiónem patiéntur; & ídeò numquam deeſt tribulátio perſecutiónis, ſi numquam deſit obſervántia pietátis. Dóminus ipſe in exhortatiónibus ſuis dicit: Qui non áccipit crucem ſuam & ſéquitur me, non eſt me dignus. Nec dubitáre debémus hanc vocem non ſolùm ad diſcípulos Chriſti, ſed ad cunctos fidéles, totámque Eccléſiam pertinére, quæ ſalutáre ſuum in his qui áderant, universáliter audiébat.

℟. Cùm eſſet Cáiphas Póntifex anni illíus, prophetávit, quòd Jeſus moritúrus erat pro gente; & * Non tantùm pro gente, ſed ut fílios Dei, qui erant diſpérſi, congregáret in unum. ℣. Juſtificábit ipſe juſtus ſervus meus multos: ídeò diſpértiâ ei plúrimos, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam. * Non tantùm. *Joan.* 11. 51. 52. *Iſ.* 53. 11. 12.

Lectio vj.

SIcut ergo totíus eſt témporis piè vívere, ita totíus eſt témporis crucem ferre; quæ méritò unicuíque ſua dícitur, quia própriis modis atque menſúris ab unoquóque tolerátur. Unum nomen eſt perſecutiónis, ſed non una eſt cauſa certáminis: & plus plerúmque perículi eſt in inſidiatóre occúlto, quàm in hoſte maniféſto. Beátus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus erudítus, piè veraciterque dicébat: Nonne tentátio eſt vita hóminis ſuper terram? quóniam non ſolis dolóribus córporis atque ſupplíciis ánima fidélis impétitur; verùm étiam, ſalvâ incolumitáte membrórum, gravi morbo urgétur, ſi carnis voluptáte mollítur. Sed cùm caro concupíſcit advérsùs ſpíritum, & ſpíritus advérsùs carnem; præſídio crucis Chriſti mens rationális inſtrúitur; nec cupiditátibus nóxiis illécta conséntit, quóniam continéntiæ clavis, & Dei timóre transfígitur.

℟. Sicut Móyſes exaltávit ſerpéntem in desérto; * Ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipſum non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. ℣. Fecit

Móyſes ſerpéntem æneum, & póſuit eum pro ſignó: quem cùm percúſſi aſpícerent, ſanabántur. * Ita exaltári. Sicut Móyſes. *Joan.* 3. 14. 15. *Num.* 21. 9.

IN III. NOCTURNO.

Crucis ſacrificium mox complendum: illud vobis erit in exemplum.

Ant. t. 2. *D.* Baptíſmo hábeo baptizári: & quómodo coárctor uſque dum perficiátur? *Luc.* 12. 50.

Ant. t. 4. *E.* Venit hora: Ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Marc.* 14. 41.

Ant. t. 7. *c.* Nunc ánima mea turbáta eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvífica me, ex hac hora. *Joan.* 12. 27.

℣. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: ℟. Ad defenſiónem meam cónſpice. *Pſ.* 21. 20.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 8. *v.* 46.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis Judæórũ: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 18. *in Evang. hab. in baſilic. S. Petri Domin. Paſſ.*

PEnsáte, fratres chariſſimi, manſuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, & dicébat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Non dedignátur ex ratióne oſténdere ſe peccatórem non eſſe, qui ex virtúte divinitátis póterat peccatóres juſtificáre. Sed terríbile eſt valde quod súbditur: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; proptérea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Si enim ipſe verba Dei audit, qui ex Deo eſt, & audire verba ejus non poteſt quiſquis ex illo non eſt: intérroget ſe unuſquíſque, ſi verba Dei in aure cordis pércipit; & intélliget unde ſit. Cœléſtem pátriam deſideráre Véritas jubet, carnis deſidéria cónteri, mundi glóriam declináre, aliéna non appétere, própria largíri.

℟. Aſpiciéntes in auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui * Propóſito ſibi gáudio ſuſtinuit crucem, confuſióne contémptâ; recogitáte eum qui talem ſuſtínuit à peccatóribus contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis veſtris deficiéntes; nondum enim uſque ad ſánguinem reſtitíſtis. ℣. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit, & non apéruit os ſuum. * Propóſito ſibi. *Hebr.* 12. 2. 3. 4. *Iſ.* 53. 7.

Lectio viij.

EGo dæmónium non hábeo. In quibus verbis quid áliud niſi ſupérbia noſtra confúnditur? Quæ ſi exagitáta vel léviter fúerit, atrocióres injúrias reddit, quam accéperat: facit mala quæ poteſt; miná-

tur & quæ fácere non poteſt. Ecce injúriam ſuſcipiens Dóminus non iráſcitur, non contumelioſa verba reſpondet. Qui ſi eiſdem iſta dicéntibus reſpondere voluiſſet: Dæmónium vos habétis, verùm proféctò díceret; quia niſi impléti eſſent dæmonio, tam pervérſa de Deo loqui non poſſent. Sed, accéptâ injúriâ, étiam quod verum erat dícere Véritas noluit, ne non dixiſſe veritátem, ſed provocátus, contuméliam reddidiſſe videretur. Ex qua re quid nobis innúitur: niſi ut eo témpore quo à próximis ex falſitáte contumélias accípimus, eórum étiam vera mala taceámus; ne miniſtérium juſtæ correptiónis, in arma vertamus furóris?

℟. In hoc vocáti eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut ſequámini veſtígia ejus. * Qui cùm malediceretur, non maledicébat; cùm pateretur, non comminabátur; tradébat autem judicánti ſe injúſtè. ℣. Quærite Dóminum, omnes manſuéti terræ; quærite juſtum, quærite manſuetum, * Qui cum malediceretur. 1. *Petr.* 2. 21. 23. *Soph.* 2. 3.

Lectio ix.

SEd quia quiſquis Dei zelo úritur, ſæpè à pravis homínibus dehoneſtátur, in ſemetipſo nobis Dominus patientiæ præbuit exémplū, qui ait: Sed honoríſico Patrē meum, & vos inhonoráſtis me. Sed quid nobis ad iſta faciéndum ſit, adhuc exémplo nos ádmonet, cùm ſubjúngit: Ego autem non quæro glóriam meam: eſt qui quærat, & júdicet. Scimus certè quòd ſcriptum eſt: Quia Pater omne judícium dedit Filio: & tamen ecce idem Fílius injúrias accípiens, glóriam ſuam non quærit: illátas contumélias, Patris judicio resérvat; ut nobis proféctò insínuet quantùm nos eſſe patiéntes debémus, dum ſe adhuc ulciſci non vult, & ipſe qui júdicat.

℟. Judæi dixérunt Jeſu: Nonne bene dícimus nos, quia Samaritánus es tu, & dæmónium habes? Reſpóndit Jeſus: * Ego dæmónium non hábeo, ſed honoríſico Patrem meum. ℣. Inſurrexíſtis ſuper me ore veſtro, & derogáſtis advérsum me verba veſtra. * Ego dæmónium. Judæi dixérunt. *Joan.* 8. 48. 49. *Ezech.* 35. 13.

AD LAUDES.

Chriſti ab inimicis impetiti oratio.

℣. *Sacerdotalis.* Qui inquirébant mala mihi locúti ſunt vanitátes: ℟. Dolos totâ die meditabántur. *Pſ.* 37. 13.

Ant. 1. *F.* ATtende, Dómine: & audi vocem adverſariórum meorū: numquid rédditur pro bono malum, quia foderunt fó-

veam ánimæ meæ? *Jer.* 18. 19. 20.

Ant. t. 2. *D.* Audíſti opprobrium eórum, Dómine, omnes cogitatiónes eórum advérsùm me: ego ſum pſalmus eórum. *Tren.* 3. 61. 63.

Ant. t. 3. *a.* Cogitavérunt ſuper me conſília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium. *Jerem.* 11. 19.

Ant. t. 4. *A.* Tu ſcis, Dómine, quóniam ſuſtínui propter te oppróbrium. *Jerem.* 15. 15.

Ant. t. 7. *D.* Ecce ipſi dicunt ad me: Ubi eſt verbum Dómini? Véniat. Et ego non ſum turbátus, te paſtórem ſequens, & diem hóminis non deſiderávi; tu ſcis. *Jerem.* 17. 15. 16.

Capitulum. Jerem. 2. 12. 13.

OBſtupéſcite, cœli, ſuper hoc, &, portæ ejus, deſolámini vehementer, dicit Dóminus; Duo mala fecit pópulus meus: Me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt ſibi ciſtérnas diſſipátas.

℣. In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: ℟. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam. *Pſalm.* 68. 21.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Proptérea vos non audítis, quia ex Deo non eſtis. *Joan.* 8. 47.

Oratio.

DEus, qui Unigéniti tui Paſſióne, antiqui hoſtis contrivíſti ſupérbiam: da pópulo tuo, & quæ ipſe propter nos pértulit dignè recólere; & advérſa ómnia ejus exémplo æquanímiter toleráre; Per eúmdem, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Atténde. *Ex Laudibus.*

Capitulum. Regi, &c. *&* ℟. *br. ut in Pſalt.*

Hodie & in Feriis uſque ad Feriam quintam in Cœna Domini, non dicitur, Glória, *in* ℟. *brevibus ad Horas; ſed repetitur* ℟. *ab initio: In Feſtis verò dicitur,* Glória.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 37.

POeniténtium cauſæ penſandæ ſunt, & tunc ligándi atque ſolvéndi poteſtas exercénda. Vidéndum eſt quæ culpa præcéſſit; aut quæ ſit pœnitentia ſecúta poſt culpam: ut quos omnípotens Deus per compunctiónis gratiam viſitat, illos Paſtóris ſenténtia absólvat. Tunc enim vera eſt abſolútio præſidentis, cùm intérni arbítrium ſéquitur júdicis.

AD TERTIAM.

Ant. Audíſti.

Capitulum. Sap. 2. 17. 21.

VIdeámus ſi ſermónes illíus veri ſint, & tentémus quæ ventúra ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſ-

ſima illíus... Hæc cogitavérunt, & erravérunt.

℟. Deus meus es tu : ne diſceſſeris à me : * Quóniam tribulátio próxima eſt : (*ſemel tantùm.*) ℣. Factum eſt cor meum tamquam cera liquéſcens in médio ventris mei. * Quóniam. *Deinde ſine* Glória. *Reſum.* Deus meus, *uſque ad* ℣. *Pſ.* 21. 11. 12. 15.

℣. Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt : ℟. Cuſtódi ánimam meam, & érue me. *Pſ.* 24. 19. 20.

AD SEXTAM.

Ant. Cogitavérunt.

Capitulum. Job. 30. 15. 16.

REdáctus ſum in níhilum : velut nubes pertránſiit ſalus mea. Nunc in memetípſo marcéſcit ánima mea, & póſſident me dies afflictiónis.

℟. Inténde ánimæ meæ, & líbera eam : * Propter inimícos meos éripe me. (*ſemel tantùm dicitur.*) ℣. Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, & reveréntiam meam. * Propter. Inténde *uſque ad* ℣. *Pſ.* 68. 19. 20.

℣. Deus, ne elongéris à me : ℟. Deus meus, in auxílium meum réſpice. *Pſ.* 70. 12.

AD NONAM.

Ant. Ecce ipſi.

Capitulum. Hebr. 5. 7.

CHriſtus in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicatiónéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido, & lácrymis ófferens, exaudítus eſt pro ſua reveréntia.

℟. Inclína ad me aurem tuam, accélera ut éruas me. * Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, ut ſalvum me fácias. (*ſemel tantùm dicitur*) ℣. In manus tuas comméndo ſpíritum meum. * Eſto mihi. Inclína, *uſque ad* ℣. *Pſ.* 30. 3. 6.

℣. Defécit in dolóre vita mea, ℟. Et anni mei in gemítibus. *Pſ.* 30. 11.

AD VESPERAS.

Non hoſtiarum, ſed Chriſti ſanguine auferuntur peccata.

Ant. 1. *a.* IMpoſſíbile eſt ſánguine taurórum, & hircórum auférri peccáta. *Hebr.* 10. 4.

Ant. 1. 2. *D.* Ideò ingrédiens mundum dicit : Holocautómata, pro peccáto non tibi placuérunt : tunc dixi : Ecce vénio. *Heb.* 10. 5. 6. 7.

Ant. 1. 3. *a.* Si ſanguis hircórum & taurórum inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis : quantò magis ſanguis Chriſti emundábit conſciéntiam noſtram? *Hebr.* 9. 13. 14.

Ant. 1. 4. *a.* Nunc autem ſemel in conſummatióne ſæculórum, ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam appáruit. *Hebr.* 9. 26.

Ant. 1. 8. *C.* Habémus re-

demptiónem per sánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum. *Epheſ.* 1. 7.

Capitulum. 1. *Petr.* 2. 24.

PEccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui, juſtitiæ vivámus: cujus livóre ſanáti eſtis.

Hymnus. Vexilla regis, &c. *ut in Sab. præcedenti.*

℣. Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: ℟. Aures autem perfecíſti mihi. *Pſalm.* 39. 7.

Ad Magnif. Ant. t. 8. *g.* Ego non quæro glóriam meam: eſt qui quærat, & júdicet. *Joan.* 8. 50.

Oratio ut ad Laudes.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM PASSIONIS.

AD OFFIC NOCT.

Invit. Filium hóminis tradéndum in manus peccatórum * Veníte, adorémus. *Matth.* 26. 45.

Antiph. ℟. ℟. ℟. *&* ℣. *ex uno Noctur. Domin. Paſſionis juxta Rubricam.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot. Antiph. Capit. &* ℣. *ut in Dominica Paſſionis, Preces dicuntur flexis genibus, ſed non fiunt amplius Commemorationes Feriales, hic & in Veſperis.*

AD PRIMAM.

Capitulum. Iſ. 30. 9. 10. 11.

POpulus ad iracúndiam próvocans eſt, & filii mendáces, filii noléntes audíre legem Dei: qui dicunt... Ceſſet à fácie noſtra ſanctus Iſrael.

Cetera ad Primam & ad Horas br. ut in Domin. Paſſ. Preces genibus flexis: Veſpera ut in Domin. Paſſ. præter Antiph. ad Magnif. *& Orat.*

FERIA SECUNDA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 18. *ad* 23.

NUnc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquá turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriórum, ut bibas aqaum flúminis? Arguet te malítia tua, & avérſio tua increpábit te. Scito, & vide quia malum & amárum eſt reliquíſſe te Dóminum Deũ tuum, & non eſſe timórem mei apud te, dicit Dóminus Deus exercítuum. A ſæculo confregíſti jugum meum, rupíſti víncula mea, & dixíſti: Non sérviam. In omni enim colle sublími, & ſub omni ligno frondóſo, tu proſternebáris, meretrix. Ego autem plantávi te víneam eléctam, omne ſemen verum: quómodo ergo convérſa es mihi in pravum, vínea aliéna? Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me.

℟. Interrogate, *ex* 1. *Nocturn. Domin.* pag. 233.

Lectio ij. v. 27. *ad* 33.

VErtérunt ad me tergum, & non faciem, & in témpore afflictiónis ſuæ dicent: Surge, & líbera nos. Ubi ſunt dii tui, quos fecíſti

eſſi tibi? Surgant & liberent te in témpore afflictiónis tuæ; ſecúndùm númerum quippe civitátum tuárum erant dii tui, Judâ. Quid vultis mecum judício contendere? omnes dereliquíſtis me, dicit Dóminus. Fruſtrà percúſſi filios veſtros, diſciplínam non recepérunt: devorávit gládius veſter prophétas veſtros; quaſi leo vaſtátor generátio veſtrà. Vidéte verbum Dómini: Numquid ſolitúdo factus ſum Iſraéli, aut terra ſerótina? quare ergo dixit pópulus meus: Recéſſimus, non veniémus ultrà ad te? Numquid obliviſcétur virgo ornaménti ſui, aut ſponſa faſciæ pectorális ſuæ? populus verò meus oblítus eſt meî diébus innúmeris.

℟. Recordáre. *pag.* 233.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7. v. 32.

IN illo témpore; Misérunt Príncipes & Phariſæi miníſtros, ut apprehénderent Jeſum. Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc módicum tempus vobíſcũ ſum; & vado ad eum qui me miſit. Et réliq.

Homilia ſancti Auguſtíni Epíſcopi. *Tract.* 31. *in Joan.*

MIsérunt miníſtros ut apprehénderent eum. Quem apprehénderent? adhuc noléntem? Dicit ergo Jeſus: Adhuc módicum tempus vobíſcum ſum. Quod modò vultis fácere, factúri eſtis; ſed non modò: quia modò nolo. Implére débeo diſpenſatiónem meam, & ſic pervenire ad paſſionem meam. Quærétis me, & non inveniétis. Noluérunt enim agnoſcere præséntem, & poſtea quæſiérunt, cùm vidérunt in eum multitúdinem jam credéntem. Vidérunt ſe ingénti crímine impietátis aſtríctos, quando illum occidérunt, quem venerári & adoráre debuérunt: & hoc putabant eſſe inexpiábile. Magnum enim facinus erat, cujus conſiderátio illos fáceret deſperáre: ſed non debébant deſperáre, pro quibus in cruce pendens Dóminus eſt dignatus oráre. Vidébat quoſdam ſuoſ inter multos aliénos: illis jam petébat véniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendébat quòd ab ipſis moriebátur, ſed quia pro ipſis moriebátur.

℟. Quare factus eſt dolor meus perpétuus, & plaga mea deſperábilis rénuit curári? Facta eſt mihi quaſi mendácium aquárum infidélium. Propter hoc, hæc dicit Dóminus: * Si convertéris, convertam te, & ante fáciem meam ſtabis. ℣. Apud hómines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem ómnia poſſibilia ſunt. * Si convertéris. Quare factus eſt. *Jer.* 15. 18. 19. *Matt.* 19. 26.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Qui credit in me, ſicut di-

cit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Joan. 7. 38.*

Oratio.

Implorámus in jejúnio, Dómine, miſericórdiam tuam, ut te, qui fons es bonitátis, toto deſidério ſitiéntes, charitátis tuæ abundántiâ repleámur; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi ſecúndo Oecuménico.

An. 1139. *Can.* 22.

Confrátres noſtros & Presbyteros admonémus, ne falſis pœniténtiis Laïcórum ánimas & décipi, & in inférnum pértrahi patiántur. Falſam autem pœniténtiam eſſe conſtat, cùm ſpretis plúribus, de uno ſolo pœniténtia ágitur, aut cùm ſic ágitur de uno, ut non diſcedámus ab álio.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Módicum tempus vobíſcum ſum; & vado ad eum qui me miſit. *Joan. 7. 33.*

Oratio.

Clamántium ad te, quæſumus, Dómine, preces dignánter exáudi; ut ſicut Ninivítis in afflictióne póſitis pepercíſti, ita & nobis in præsénti tribulatióne ſuccúrras; Per Dóminum, &c.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 5.

Vulgò dícitur: Si dimíſerit vir uxórem ſuam; & recédens ab eo, dúxerit virum alterum, numquid revertétur ad eam ultrà? numquid non pollúta & contamináta erit múlier illa? Tu autem fornicáta es cum amatóribus multis: tamen revértere ad me, dicit Dóminus, & ego ſuſcípiam te. Leva óculos tuos in diréctum, & vide ubi non proſtráta ſis: in viis ſedébas, expéctans eos quaſi latro in ſolitúdine: & polluíſti terrã in fornicatiónibus tuis, & in malítiis tuis. Quamobrem prohíbitæ ſunt ſtillæ pluviárum, & ſerótinus imber non fuit: frons mulíeris meretrícis facta eſt tibi, noluíſti erubéſcere. Ergo ſaltem ámodò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es.

℟. Pónite vos, *ex II. Noct. Dom. pag.* 235.

Lectio ij. v. 6. *ad* 13.

Et dixit Dóminus ad me in diébus Josíæ regis: Numquid vidíſti quæ fécerit aversátrix Iſrael? ábiit ſíbimet ſuper omnem montem excélſum, & ſub omni ligno frondóſo; & fornicáta eſt ibi. Et dixi, cùm feciſſet hæc ómnia: Ad me revértere; & non eſt revérſa. Et vidit prævaricatrix ſoror ejus Juda, quia pro eo quòd mœcháta eſſet aversátrix Iſrael, dimiſiſſem eam, & dedíſſem ei libéllum repúdii: & non tímuit prævaricátrix Juda ſoror ejus, ſed abiit, & fornicáta eſt étiam ipſa. Et facilitáte fornicatiónis ſuæ contaminávit

terram, & mœcháta eſt cum lápide & ligno. Et in ómnibus his non eſt revérſa ad me prævaricátrix ſoror ejus Juda in toto corde ſuo, ſed in mendácio, ait Dóminus. Et dixit Dóminus ad me: Juſtificávit ánimam ſuam aversátrix Iſrael, comparatióne prævaricatrícis Judæ. Vade, & clama ſermónes iſtos contra Aquilónem, & dices: Revértere, aversátrix Iſrael, ait Dóminus, & non avértam fáciem meam à vobis: quia Sanctus ego ſum, dicit Dóminus, & non iráſcar in perpétuum.

℟. Cùm eſſet, *pag.* 235.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7. v. 1.

IN illo témpore; Ambulábat Jeſus in Galilæam: non enim volébat in Judæã ambuláre, quia quærebant eum Judæi interfícere. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 28. in Joan.

NOn poteſt mundus odíſſe vos: quid eſt hoc, niſi, Non poteſt mundus odíſſe amatores ſuos, falſos teſtes? Bona enim dícitis quæ mala ſunt, & mala, quæ bona ſunt: me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt. Dicébant ergo, Ubi eſt ille? & murmur multum de eo erat in turba. Unde murmur? De contentióne. Quæ fuit contentio? Quidam enim dicébant, Quia bonus eſt: alii autem, Non, ſed ſedúcit turbas. Quod dictum eſt ergo de Dómino, valet ad conſolatiónem de quocúmque hoc dictum fúerit Chriſtiano.

℟. Qui odérunt te, Dómine, óderam; & * Super inimícos tuos tabeſcébam: perfecto ódio óderam illos, & inimíci facti ſunt mihi. ℣. Me odit mundus; quia ego teſtimónium perhibeo de illo, quòd ópera ejus mala ſunt. * Super. Qui odérunt. *Pſ.* 138. 21. 22. *Joan.* 7. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* Vos aſcéndite ad diem feſtum, ego autem non aſcéndo; quia meum tempus nondum implétum eſt. *Joan.* 7. 8.

Oratio.

DEus, qui de mundo in Paſſióne tua triumpháſti: præſta, ut eum virtúti contínuò adversántem, & deſpícere, & víncere valeámus; Qui vivis, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſs. 14. *de Pœnit. Can.* 9.

SI quis díxerit, abſolutiónem ſacramentálem Sacerdótis non eſſe actum judiciálem, ſed nudum miniſtérium pronuntiándi & declarándi remíſſa eſſe peccáta confiténti; anathéma ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *A.* Murmur multum erat in tur-

ba de eo. Quidam enim dicébant; Quia bonus eſt: álii autem dicébant; Non, ſed ſedúcit turbas. *Joan. 7. 12.*

Oratio.

TUére nos, Deus, advérsùs mundánæ pravitátis insídias; & præſta, ut nec ejus falſis ſeducámur amóribus, nec vanis ipsíus cedámus terróribus; Per Dóminum noſtrum, &c.

FERIA QUARTA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 5. v. 1 ad 6.

CIrcuíte vias Jerúſalem, & aſpícite; & conſideráte, & quærite in platéis ejus, an inveniátis virum faciéntem judícium, & quæréntem fidem: & propitius ero ei. Quòd ſi étiam, Vivit Dóminus, díxerint: & hoc falsò jurábunt. Dómine, óculi tui reſpíciunt fidem: percuſsíſti eos, & non doluérunt: attrivíſti eos, & renuérunt accípere diſciplínam: induravérunt fácies ſuas ſupra petram, & noluérunt revérti. Ego autem dixi: Fórſitan páuperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Dómini, judícium Dei ſui. Ibo ígitur ad optimátes, & loquar eis: ipſi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei ſui; & ecce magis hi ſimul confregérunt jugum, rupérunt víncula.

℟. Aſpiciéntes, *ex III. Noct. Dom. pag. 236.*

Lectio ij v. 20. ad 26.

ANnuntiáte hoc dómui Jacob, & audítum fácite in Juda, dicéntes: Audi, pópule ſtulte qui non habes cor: qui habéntes óculos, non vidétis; & aures, & non audítis. Me ergo non timébitis, ait Dóminus: & à fácie mea non dolébitis? Qui póſui arénam términum mari, præcéptum ſempitérnũ, quod non prateríbit: & commovebúntur, & non póterunt: & intuméſcent fluctus ejus, & non tranſíbunt illud: pópulo autem huic factum eſt cor incrédulum & exáſperans, receſſérunt & abiérunt. Et non dixérunt in corde ſuo: Metuámus Dóminum Deum noſtrum, qui dat nobis plúviam temporáneam & ſerótinam in tempore ſuo; plenitúdinem annuæ meſſis cuſtodiéntem nobis. Iniquitátes veſtræ declinavérunt hæc: & peccáta veſtra prohibuérunt bonum à vobis.

℟. In hoc vocáti, *pag. 237.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 10. v. 22.

IN illo témpore; Facta ſunt Encænia in Jeroſólymis; & hyems erat. Et ambulabat Jeſus in templo in pórticu Salomonis. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſologi.

Serm. 40.

QUærámus hujus quæ vis, quæ rátio ſit amóris, quæ hujus cauſa mortis, quæ hujus ſit utílitas Paſſiónis. Eſt planè vis certa, vera rátio, cauſa lucens, utílitas tanti ſánguinis perapérta. Namque Paſtóris una ex morte virtus emícuit ſingulláris. Paſtor pro óvibus morti quæ óvibus imminébat occúrrit, ut auctórem mortis diábolum, novo órdine captus cáperet, victus vínceret, puníret occíſus, & óvibus moriéndo viam vincéndæ mortis aperíret. Nam & diábolus, dum in hóminem tendit, proſilívit in Deum: dum in reum ſævit, incúrrit in júdicem, ínvenit ſupplícium dum íngerit pœnam. Ipſe áccipit, dum dat ſenténtiam: & vivens mortáliũ paſtu mors móritur, dum dévorat vitam. Absórbens reos mors abſorbétur, iñocẽtiæ dum deglútit auctórem. Audi vocem Paſtóris hujus; oves meæ vocem meam áudiunt; necéſſe eſt, ut quæ ſunt ad mortem ſecútæ, ſequántur ad vitam; quæ ad contuméliam comitátæ ſunt, comiténtur ad honorem; & ſint partícipes glóriæ, quæ paſſiónis partícipes extitérunt. Ubi ſum, inquit, ego ibi erit & miníſter meus. Homo, fides non te turbet; ſpes te lóngior non fatíget, quia certa tibi res eſt, quæ in ipſo tibi rerum ſervátur auctóre.

℟. Sicut víſitat paſtor gregem ſuum; ſic viſitábo oves meas. * Quod períerat requíram; & paſcam illas in judício ℣. Oves meæ non peribunt in ætérnum, & non rapiet eas quiſquám de manu mea. * Quod períerat. Sicut. *Ezech.* 34. 12. 16. *Joan.* 10. 28.

Ad. Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Oves meæ vocem meam áudiunt: & ego cognóſco eas, & ſequúntur me. *Joan.* 10. 27.

Oratio.

GRegi tuo, Paſtor bone, placátus inténde; & oves quas pretióſo ſánguine redemíſti, diabólicâ non ſinas incurſióne lacerári; Qui vivis, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Pœnit. Cap.* 11

SI quis díxerit Epíſcopos non habére jus reſervándi caſus, niſi quoad extérnam polítiam, atque ídeò cáſuum reſervatiónem non prohibére quóminus Sacérdos à reſervátis verè abſólvat; anathéma ſit.

Ad. Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Si mihi non vultis crédere, opéribus crédite, ut cognoſcátis, & credátis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. *Joan.* 10. 38.

Oratio.

FAc nos, Dómine, in diébus iſtis miſericórdiam tuam abundántiùs percípere: quibus redemptiónis noſtræ múnera pléniùs, te largiénte cognóvimus; Per Dóminum, &c.

FERIA QUINTA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6. v. 10. ad 13.

CUi loquar? & quem conteſtábor, ut áudiat? ecce incircumcíſæ aures eórum, & audíre non poſſunt: ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium, & non ſuſcípient illud. Idcírco furóre Dómini plenus ſum, laborávi ſúſtinens: effúnde ſuper párvulum foris, & ſuper consílium júvenum ſimul; vir enim cum mulíere capiétur, ſenex cum pleno dierum. Et transíbunt domus eórum ad álteros, agri & uxóres páriter; quia exténdam manum meam ſuper habitántes terram, dicit Dóminus.

℟. Interrogáte, *ex I. Noct. Dom. pag.* 233.

Lectio ij. v. 13. ad 20.

A minóre quippe uſque ad majórē omnes avarítiæ ſtudent: & à prophéta uſque ad ſacerdótem cuncti fáciunt dolum. Et curábant contritiónem fíliæ pópuli mei cum ignomínia, dicéntes: Pax, pax; & non erat pax. Confúſi ſunt, quia abominatiónem fecérunt: quin pótiùs confuſióne non ſunt confúſi, & erubéſcere neſciérunt. Quamobrem cadent inter ruéntes: in témpore viſitatiónis ſuæ córruent, dicit Dominus. Hæc dicit Dóminus: State ſuper vias, & vidéte, & interrogáte de ſémitis antíquis, quæ ſit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus veſtris. Et dixérunt. Non ambulábimus. Et conſtítui ſuper vos ſpeculatóres. Audíte vocem tubæ. Et dixérunt: Non audiémus. Ideò audíte, gentes, & cognóſce, congregátio, quanta ego fáciam eis. Audi, terra: Ecce ego addúcam mala ſuper pópulum iſtum, fructum cogitatiónum ejus: quia verba mea non audiérunt, & legem meam projecérunt.

℟. Recordáre, *pag.* 233.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio 3. Cap. 7. 36.

IN illo témpore; Rogábat Jeſum quidam de Phariſæis ut manducáret cum illo. Et ingréſſus domum Phariſæi, diſcúbuit. Et ecce múlier quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quòd accubuíſſet in domo Phariſæi, áttulit alabáſtrum unguénti. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. in Evang. 33.

LIquet, fratres, quòd illícitis áctibus prius múlier inténta, unguéntum ſibi pro odóre ſuæ carnis ad-

hibuit. Quod ergo ſibi túrpiter adhibúerat, hoc jam Deo laudabíliter offerébat. Oculis terréna concupíerat; ſed hos jam per pœniténtiam cónterens flebat. Capíllos ad compoſitiónem vultûs exhibúerat; ſed jam capíllis lácrymas tergébat. Ore ſupérba díxerat; ſed pedes Dómini óſculans, hoc in Redemptóris ſui veſtígia ſigébat. Quot ergo in ſe hábuit obleċtaménta, tot de ſe invénit holocáuſta. Convértit ad virtútum númerum, númerum críminum; ut totum ſervíret Deo in pœniténtia, quidquid ex ſe Deum contémpſerat in culpa. Sed hoc Phariſæus íntuens déſpicit, & non ſolùm veniéntem peccatrícem, ſed étiam ſuſcipiéntem Dóminum reprehéndit. Inter hæc nos gémitus cogit quoſdam noſtri órdinis viros intuéri, qui ſacerdotáli officio prædíti, ſi quid fortáſſe juſtè extériùs vel tenúiter égerint, prótinus ſubjéċtos deſpíciunt, & peccatóres quoſque in plebe pófitos dedignántur, eíſque cómpati culpam ſuam confiténtibus nolunt, ac velut Phariſæi more, à peccatríce mulíere tangi deſpíciunt. Quæ proféċtò múlier, ſi ad Phariſæi pedes veníſſet, nimírum cálcibus depúlſa diſcéderet. Sed quia hunc vera juſtítia non replébat, de aliéno vulnere ægrotábat. Unde ſemper necéſſe eſt, ut cùm peccatóres quoſque conſpícimus, noſmetipſos in illórum calamitáte defleámus, quia fortáſſe in ſimílibus, aut lapſi ſumus, aut labi póſſumus, ſi lapſi non ſumus.

℟. Orátio humiliántis ſe, nubes penetrábit: & donec propínquet, non conſolábitur. * Non diſcédet donec Altíſſimus aſpíciat. ℣. Múlier quæ erat in civitáte peccátrix, ſtans retrò ſecus pedes Jeſu, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus, & capíllis cápitis ſui tergébat. * Non diſcédet. Orátio. *Eccli.* 35. 21. *Luc.* 7. 37. 38.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7. 47.

Oratio.

DEus, qui multùm diligéntibus, multa peccáta remíttis: infúnde córdibus noſtris tui amóris afféċtum; ut ab ómnibus peccátis noſtris tuâ miſericórdiâ liberémur; Per Dominum.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *Cap.* 6.

SAcerdótes, niſi ex cauſa neceſsária, mulíeres ante ſolis ortum, vel poſt ejus occáſum confiténtes non áudiant: neve in cellis, ſed públicè, in Eccléſia, in ſédibus in quibus tabélla omníno inter confiténtem & pœniténtem interjéċta ſit.

Veſperæ de ſequenti.

FERIA SEXTA.

Fit Officium

De Compaſſione B. M. V.

Duplex 3. Claſſis.

Quando Feſtum Annuntiationis occurrit in hac Feria; Officium Compaſſ. transfertur in Sabb. ſequens; nec fit commemor. de Compaſſ. in 2. Veſperis Annuntiationis.

Feſto Sancti Joſeph occurrente in Feriam hanc ſextam, Officium Compaſſ. transfertur in ſequens Sabbatum.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.

In Paſſione Jeſu, quantus Mariæ dolor.

Ant. t. 1. *d.* CUi comparábo te, fília Jerúſalem? cui exæquábo te, fília Sion? *Thr.* 2. 13.

Ant. t. 3. *a.* Fília pópuli mei, luctum Unigéniti fac tibi planctum amárum. *Jerem.* 6. 26.

Ant. t. 2. *D.* Lácrymæ ejus in maxíllis ejus: non eſt qui conſolétur eam ex ómnibus charis ejus. *Thr.* 1. 2.

Ant. t. 4. *A.* Virgo fília Sion, magna eſt velut mare contrítio tua. *Thr.* 2. 13.

Ant. t. 8. *C.* Projécit Dóminus de cœlo in terram ínclytam Iſrael. *Thr.* 2. 1.

Capitulum. Jerem. 4. 31.

VOcem quaſi parturiéntis audívi, angúſtias ut puérperæ: vox fíliæ Sion intermoriéntis, expandentíſque manus ſuas: væ mihi, quia defécit ánima mea.

℟. Clamor Jerúſalem aſcéndit. * Dedúcant óculi mei lácrymam per noctem & diem, & non táceant: quóniam contritióne magnâ contríta eſt virgo fília pópuli mei. ℣. Mílites ſuſcipiéntes Jeſum, duxérunt eum, ut crucifígerent. * Dedúcant. Glória. * Dedúcant. *Jerem.* 14. 2. 17. *Matth.* 27. 27. 31.

HYMNUS. *H. Vabr. Epiſ.*

DUm ſpargit aram ſánguine
Jeſus ſalútis hóſtia,
Præſens dolóris æmulũ
María pectus ímmolat.

Caput cruéntum fílii
Matris corónat vérticem;
Clavis iíſdem fígitur,
Chriſtus cruci, Chriſto parens.

O, Paſſiónis mútuæ,
Jeſu, María, cónſcii!
Altérna vobis vúlnera
Inférre tandem párcite.

Quem vos dolétis, noſter eſt
Error, furórque críminũ;
Totum ſcelus faténtibus
Partem dolóris rédditę.

Salútis auctor per crucem
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

Hæc Doxologia dicitur ad Horas.

℣. Uſquequò, Dómine, oblivíſcéris in finem? ℟. Uſquequò avértis fáciem tuam

à me? *Pſ.* 12. 1.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Plangent eum planctu quaſi ſuper unigénitum, & dolébunt ſuper eum, ut doléri ſolet in morte primogéniti. *Zach.* 12. 10.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

Pro commem. Feriæ: Dixit Jeſus ad mulíerem: Fides tua te ſalvam fecit; vade in pace. *Luc.* 7. 50.

Oratio.

ADéſto ſupplicatiónibus noſtris, omnípotens Deus; & quibus ſperándæ ſalútis fidúciam indúlges, cõſuétæ miſericórdiæ tríbue benígnus effectum; Per, &c.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Jeſum crucifíxum ſuper quem planxit Mater, quaſi ſuper unigénitũ, * Veníte, adorémus. *Zach.* 12. 10.

IN I. NOCTURNO.

Pia Mariæ dolentis oratio.

Ant. t. 1. *D.* Angúſtia poſſédit me, ſicut angúſtia parturiéntis: córrui cùm vidérem. *Iſ.* 21. 3.

Ant. t. 2. *D.* Ecce conſúrgens univérſa cognátio adversùm ancíllam tuam; & quærunt extínguere ſcintíllam meam. 2. *Reg.* 14. 7.

Ant. t. 8. *C.* Vocem meam audíſti, Dómine; ne avértas aurem tuam à ſingúltu meo, & clamóribus. *Thr.* 3. 56.

℣. Ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum, ℟. Quia factus es ſpes mea. *Pſ.* 60. 3. 4.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 1. *ad.* 7.

QUis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? & plorábo die ac nocte interféctos fíliæ pópuli mei. Quis dabit me in ſolitúdine diverſórium viatórum, & derelínquam pópulum meum, & recédam ab eis? quia omnes adúlteri ſunt, cœtus prævaricatórum. Et extendérunt linguam ſuam quaſi arcum mendácii, & non veritátis; confortáti ſunt in terra, quia de malo ad malum egréſſi ſunt, & me non cognovérunt, dicit Dóminus. Unuſquíſque ſe à próximo ſuo cuſtódiat, & in omni fratre ſuo non hábeat fidúciam: quia omnis frater ſupplántans ſupplantábit, & omnis amícus fraudulénter incédet. Et vir fratrem ſuum deridébit, & veritátem non loquéntur: docuérunt enim linguam ſuam loqui mendácium: ut iniquè ágerent, laboravérunt. Habitátio tua in médio doli: in dolo renuérunt ſcire me, dicit Dóminus.

℟. Dómine, múlier inféelix nimis ego ſum; effúdi ánimam meam in conſpéctu Dómini: * Ex multitúdine dolóris, & mœróris mei locúta ſum. ℣. Poſtquam venérunt in locum qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt Jeſum. * Ex multitúdine. 1. *Reg.* 1. 15. 16. *Luc.* 23. 33.

Lectio ij. v. 12. ad 17.

QUis eſt vir ſápiens, qui intélligat hoc, & ad quem verbum oris Dómini fiat ut annúntiet iſtud, quare períerit terra, & exúſta ſit quaſi deſértum, eò quòd non ſit qui pertránſeat? Et dixit Dóminus: Quia dereliquérunt legem meam, quam dedi eis, & non audiérunt vocem meam, & non ambulavérunt in ea: & abiérunt poſt pravitátem cordis ſui, & poſt Báalim: quod didicérunt à pátribus ſuis. Idcírco hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſrael: Ecce ego cibábo pópulum iſtum abſínthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et diſpérgam eos in géntibus, quas non novérunt ipſi & patres eórum: & mittam poſt eos gládium donec cõſumántur.

℟. Vide, Dómine, quóniam tríbulor. * Conturbátus eſt venter meus: ſubvérſum eſt cor meum in memetípſa: quóniam amaritúdine plena ſum. ℣. Crucifigéntes Jeſum, diviſérunt veſtiménta ejus. * Conturbátus eſt. *Thr.* 1. 20. *Marc.* 15. 24.

Lectio iij. v. 17. ad 22.

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſrael: Contemplámini, & vocáte lamentatríces, & véniant: & ad eas, quæ ſapiéntes ſunt, míttite, & próperent: feſtínent, & aſſúmant ſuper nos laméntum: dedúcant óculi noſtri lácrymas, & pálpebræ noſtræ défluant aquis. Quia vox lamentatiónis audíta eſt de Sion: Quómodo vaſtáti ſumus & confúſi veheménter? Quia derelíquimus terram, quóniam dejécta ſunt tabernácula noſtra. Audíte ergo, mulíeres, verbum Dómini: & aſſúmant aures veſtræ ſermónem oris ejus: & docéte fílias veſtras laméntum, & unaquæque próximâ ſuam planctum. Quia aſcéndit mors per feneſtras noſtras, ingréſſa eſt domos noſtras, diſpérdere párvulos deforìs júvenes de platéis.

℟. Propter te ſuſtínui oppróbrium: opéruit confúſio fáciem meam, * Et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me. † Exáudi me in veritáte ſalútis tuæ. ℣. Prætereúntes blaſphemábant Jeſum, movéntes cápita ſua. * Et oppróbria. Glória. † Exáudi. *Pſ.* 68. 8. 10. 14. *Matth.* 27. 39.

IN II. NOCTURNO.

Ex amore magno, magnus Mariæ dolor.

Ant. t. 2. *D.* Quò ábiit diléctus tuus? ô pulchérrima mulíerum! Quò declinávit diléctus tuus? *Cantic.* 5. 17.

Ant. t. 3. *a.* Ut mulíerem derelíctam & mœréntem ſpíritu vocávit me Dóminus. *Iſ.* 54. 6.

Ant. t. 8. *C.* Ego plorans, & óculus meus dedúcens aquas; quia longè factus eſt à me conſolátor. *Thr.* 1. 16.

℣. Anima mea turbata eſt valdè: ℟. Sed tu, Dómine, úſquequò? *Pſ.* 6. 4.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Signum magnum.

MArtyrium Vírginis tam in Simeónis Prophetía, quam in ipſa Domínicæ Paſſiónis hiſtória commendátur. Póſitus eſt hic, ait ſanctus ſenex de párvulo Jeſu, in ſignum cui contradicétur; Et tuam ipsíus ánimā (ad Maríam autem dicébat,) pertransíbit gládius. Verè tuam, ô beáta Mater, ánimam gládius pertransívit; alióquin non niſi eam pertránſiens, carnem Fílii tui penetráret. Et quidem, poſteáquam emíſit ſpíritum tuus ille Jeſus, ómnium quidem, ſed ſpeciáliter tuus; ipsíus planè non áttigit ánimam crudélis láncea; quæ ipsíus, nec mórtuo parcens cui nocére non poſſet, apéruit latus; ſed tuam útique ánimam pertransívit. Ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat; ſed tua planè inde nequíbat avélli. Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut pluſquam Mártyrem non immérito prædicémus, in qua nimírum corpóreæ ſenſum paſſiónis excéſſerit compaſſiónis afféctus.

℟. Símeon dixit ad Matrem Jeſu: Ecce póſitus eſt hic in ſignum, cui contradicétur: * Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. ℣. Erit in lápidem offenſiónis, & in petram ſcándali duábus dómibus Iſrael. * Et tuam ipsíus ánimam. *Luc.* 2. 34. 35. *Iſ.* 8. 14.

Lectio v.

ANnon tibi pluſquam gládius fuit ſermo ille, revéra pertránſiens ánimam, & pertingens uſque ad diviſiónem ánimæ & ſpíritûs: Múlier, ecce Fílius tuus? ô commutatiónem! Joánnes tibi pro Jeſu tráditur; ſervus pro Dómino; diſcípulus pro Magíſtro, fílius Zebedæi pro Fílio Dei; homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosíſſimam ánimam pertransíret hæc audítio; quando & noſtra licèt ſáxea, licèt férrea péctora, ſola recordátio ſcindit?

℟. Egréſſus eſt à fília Sion omnis decor: * Ipſa autem gemens convérſa eſt retrórſum: depóſita eſt veheménter, non habens conſolatórem. ℣. Cùm vidíſſet Jeſus matrem, & diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit matri ſuæ: Múlier, ecce Fílius tuus. * Ipſa autem. *Thr.* 1. 6. 8. 9. *Joan.* 19. 26.

Lectio vj.

NOn mirémini, fratres, quòd María martyr in ánima fuíſſe dicátur. Mirétur qui non memínerit ſe audíſſe Paulum inter máxima géntium crímina memo-

ra...em quòd ſine affectione fuíſſent. Longe id fuit a Maríæ viſcéribus; longe étiam id ſit a sérvulis ejus. Sed forte quis dicat; Numquid non eum præſcíerat moritúrum? Et indubitánter. Numquid non ſperábat continuò reſurrectúrum? Et fidénter. Super hæc dóluit crucifixum? Et veheménter. Alióquin, quiſnam tu, frater? Aut unde tibi hæc ſapiéntia; ut miréris plus Maríam compatiéntem, quàm Maríæ Fílium patiéntem? Ille étiam mori córpore pótuit; illa commóri corde non pótuit? Fecit illud cháritas, quâ majórem nemo hábuit: fecit & hoc cháritas, cui poſt illam símilis áltera non fuit.

℟. Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfécti ſunt:* Dóleo ſuper te, decóre nimis & amábilis ſuper amórem mulíerum, † Sicut mater únicum amat fílium, ita ego te diligébam. ℣. Jeſus, emíſsâ voce magnâ, expirávit. * Doleo ſuper te. Glória. † Sicut mater. 2. *Reg.* 1. 19. 26. *Marc.* 15. 37.

IN III. NOCTURNO.

In tribulatione Deum conſolatorem ſperat.

Ant. t. 4. *A.* Nemo gáudeat ſuper me víduam, & deſolátam: & clamábo ad Altíſſimum in diébus meis. *Baruch.* 4. 12. 20.

Ant. t. 7. *A.* Oculus meus non tácuit, eò quòd non eſſet requies; donec reſpíceret & vidéret Dóminus de cœlis. *Thr.* 3. 49. 50.

Ant. t. 8. *g.* Non repellet in ſempitérnum Dóminus: quia ſi abjécit, & miſerébitur ſecúndùm multitúdinem miſericordiárum ſuárū. *Thr.* 3. 31. 32.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo; ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſ.* 56. 2.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 19. *v.* 25.

IN illo témpore; Stabant juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De inſtit. Virg. Cap. 7.

CLáudite ora, ímpii; aperíte aures, pii: audíte quid Chriſtus loquátur. Teſtátur de cruce Dóminus Jeſus, & paulíſper públicam differt ſalútem, ne matrem inhonóram relínquat. Subſcríbitur Joánnes teſtaménto Chriſti: legátur matri, pudóris defénſio, teſtimónium integritátis: legátur & diſcípulo matris cuſtódia, pietátis grátiâ commendátur. Ex illo ſuſcépit eam diſcípulus in ſua. Non útique Chriſtus faciébat divórtium, non María relinquébat virum; ſed cum quo Virgo habitáre debébat, quàm cum eo quem fílii hærédem, integritátis ſciret eſſe cuſtódem? Stabat ante crucem mater, & fu-

gléntibus viris, ſtabat intrépida. Vidéte utrum pudórem mutáre potúerit mater Jeſu, quæ ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis Fílii vúlnera, per quæ ſciébat ómnibus futúram redemptiónem.

℟. Supra modum mater mirábilis * Pereúntem Fílium conſpíciens, bono ánimo ferébat propter ſpem quam in Deum habébat. ℣. Stábat juxta crucem Jeſu, mater ejus. * Pereúntem Fílium. 2. *Mach.* 7. 20. *Joan.* 19. 25.

Lectio viij.

STabat non degéneri mater ſpectáculo, quæ non metúeret peremptórē. Pendébat in cruce Fílius, mater ſe perſecutóribus offerébat. Si hoc ſolum eſſet ut ante Fílium proſterneréetur, laudādus pietátis afféctus, quòd Fílio ſupérſtes eſſe nolebat. Sin verò, ut cum Fílio moreréetur, cum eódem geſtiébat resúrgere; non ignára fuit myſtérii quod genuíſſet reſurrectúrum: Simul quia público úſui impéndi mortem Fílii nóverat, præſtolabátur, ſi fortè etiam ſuâ morte, público múneri áliquid adderétur: ſed Chriſti páſſio adjutóre non éguit, ſicut ipſe Dóminus longe antè prædíxerat: Et reſpéxi, & non erat adjútor: & atténdi, & nemo ſuſcipiébat; & liberávit eos bráchium meū. Quómodo ergo extorquéri pótuit intégritas Maríæ, quæ fugiéntibus Apóſtolis, ſupplícia non timébat, ſed ipſa ſe offerébat perículis?

℟. Contra ſpem in ſpem crédidit: * In repromiſſióne Dei non hæſitávit diffidéntiâ: dans glóriam Deo; pleníſſimè ſciens, quia quæcúmque promíſit, potens eſt & fácere. ℣. Repléta ſapiéntiâ, & fœmíneæ cogitatióni maſculínum ánimum ínſerens. * In repromiſſióne. *Rom.* 4. 18. 20. 21. 2. *Mach.* 7. 21.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio ix. Cap. 11. *v.* 47.

IN illo témpore; Collegérunt Pontífices & Pharisæi concílium, & dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna facit? Et réliqua.

Homília S. Auguſtíni Epíſcopi. *In Joan. Tract.* 49.

DIcébant: Quid fácimus? nec tamen dicébant, Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodo nocérent, ut pérderent, quàm quómodo ſibi consúlerent, ne perírent: & tamen timébant, & quaſi conſulébant: dicébant enim: Quid fácimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimíttimus eum ſic, omnes credent in eum; & vénient Románi, & tollent noſtrum locum & gentem. Temporália pérdere metuérunt, & vitam ætérnam non cogitavérunt; ac ſic utrúmque ami-

ſérunt. Nam & Románi poſt Dómini paſſiónem & glorificatiónem tulérunt eis & locum & gentem, expugnándo & transferéndo; & illud eos ſéquitur quod álibi dictum eſt: Fílii autem regni hujus ibunt in ténebras exterióres.

℟. Pro eo quòd fuíſti derelícta, & ódio hábita.* Non óccidet ultrà ſol tuus: quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, & † Complebúntur dies luctûs tui. ℣. Perficiéntur ea quæ dicta ſunt tibi à Dómino. * Non óccidet. Glória. † Complebúntur. *Iſ.* 60. 15. 20. *Luc.* 1. 45.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Matris Unigenitum mortuum plangentis clamores.

℣. *Sacerdot.* Quámdiu ponam consília in ánima mea? ℟. Dolórem in corde meo per diem? *Pſ.* 12. 2.

Ant. t. 1. d. O Vos omnes, qui tranſítis per viã, atténdite & vidéte ſi eſt dolor ſicut dolor meus! *Thr.* 1. 12.

Ant. t. 2. D. Póſuit me Dóminus deſolátam, totâ die mœróre conféctam. *Thr.* 1. 13.

Ant. t. 4. A. Numquid oblivíſci poteſt múlier infántem ſuum, ut non miſereátur fílio úteri ſui? *Iſ.* 49. 15.

Ant. t. 7. A. Fili mi, fili mi, quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te? 2. *Reg.* 18. 33.

Ant. t. 8. c. Dedúcant óculi noſtri lácrymas: vox lamentatiónis audíta eſt de Sion. *Jerem.* 9. 18. 19.

Capitulum Ruth. 1. 20.

NE vocétis me, Noémi, id eſt, pulchram; ſed vocáte me Mara, id eſt, amáram; quia amaritúdine valdè replévit me Omnípotens.

℣. Dómine, ante te omne deſidérium meum: ℟. Et gémitus meus à te non eſt abſcónditus. *Pſ.* 37. 10.

Ad Bened. *Ant. t. 1. F.* Fília Jeruſalem, quare mœróre contráheris? Numquid rex non eſt tibi, aut conſiliárius tuus périit, quia comprehéndit te dolor ſicut parturiéntem? *Mich.* 4. 9.

Oratio.

INtervéniat pro nobis, quæſumus, Dómine, apud tuam cleméntiam, nunc & in hora mortis noſtræ, beáta María Virgo mater tua, cujus ſacratíſſimam ánimam in hora Paſſiónis tuæ dolóris gládius pertranſívit; Qui vivis, &c.

Pro Commem. Feriæ. Dixit Cáiphas: Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro pópulo, & non tota gens péreat. *Joan.* 11. 50.

℣. In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: ℟. Impropérium expectávit cor meum, & miſériam. *Pſ.* 68. 21.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grá-

tiam tuam benígnus infúnde; ut peccáta noſtra caſtigatióne voluntáriâ cohibéntes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm ſupplíciis deputémur ætérnis; Per, &c.

Ad Horas. br. Ant. de Laudibus.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi, &c. & ℟. *br.* ℣. Qui paſſus es pro nobis. 1. *Pet.* 2. 21.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi.

An. 1423. *Can.* 2.

AD glóriam ſanctæ Vírginis Dei genitrícis pro peccatóribus Filium crucifíxum aſsíduè deprecántis, necnon ad honórem illíus angúſtiæ & dolóris, dum Redémptor noſter, expánſis mánibus in ara crucis, matrem ſuam benedíctam dilectíſſimo diſcípulo ſuo Joánni commendávit; & præſértim ut profanórum Huſſitárum perfídia retundátur, qui imágines ad laudem Crucifíxi, & glorióſæ Vírginis dedicátas combúrere mínimè formidárunt: ſtatúimus, & ordinámus, ut Feſtum Commemoratiónis præfátæ angúſtiæ & dolóris beátæ Maríæ Vírginis, deínceps síngulis annis, in ómnibus Eccléſiis ſolémniter celebrétur.

AD TERTIAM.

Capitulum. Thren. 2. 1.

QUómodo obtéxit calígine in furóre ſuo Dóminus fíliam Sion: projécit de cœlo in terram ínclytã Iſrael, & non eſt recordátus ſcabelli pedum ſuórum in die furóris ſui.

℟. Indúxi ſuper matrem adoleſcéntis vaſtatórem merídie: * Infirmáta eſt quæ péperit; defécit ánima ejus: óccidit ei ſol, cùm adhuc eſſet dies: confúſa eſt, & erúbuit. ℣. Ad Jeſum cùm veníſſent, vidérunt eum jam mórtuum. * Infirmáta. Glória. * Infirmáta. *Jerem.* 15. 8. 9. *Joan.* 19. 33.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis: ℟. Tribulatiónem & dolórem invéni. *Pſal.* 114. 3.

AD SEXTAM.

Capitulum. Thr. 3. 48. 49.

DIviſiónes aquárum dedúxit óculus meus, in contritióne fíliæ pópuli mei. Oculus meus afflíctus eſt.

℟. *br.* Uſquequò, Deus, * Improperábit inimícus. Uſquequò. ℣. Irrítat adverſárius nomen tuum in finem? * Improperábit. Glória. Uſquequò. *Pſ.* 73. 10.

℣. Da impérium tuum púero tuo: ℟. Et ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ. *Pſ.* 85. 16.

AD NONAM.

Capitulum. Thr. 2. 15.

PLauſérunt ſuper me mánibus omnes tranſeúntes per viam: ſibilavérunt, & movérunt caput ſuper fíliam Jerúſalem.

℟. *br.* Cor meum conturbátum eſt in me: * Dereliquit me virtus mea. ereli.

℣. Lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum. * Derelíquit. Glória. Cor. *Pſ.* 37. 11.

℣. Tribulatiónem meam ante Dóminum pronúntio, ℟. In deficiéndo ex me ſpíritum meum. *Pſ.* 141. 3. 4.

AD II. VESPERAS.

Ant. t. 1. *D.* FEcit Dóminus quæ cogitávit, complévit ſermónem ſuum, & non pepércit; & lætificávit ſuper te inimícum. *Thr.* 2. 17.

Ant. t. 7. *D.* Consúrge, fília Sion; effúnde ſicut aquam cor tuum ante conſpéctum Dómini: leva ad eum manus tuas. *Thren.* 2. 19.

Ant. t. 8. *C.* Perſecútus eſt te inimícus tuus; ſed citò videbis perditionem ipsíus; & ſuper cervíces ipsius aſcéndes. *Baruch.* 4. 25.

Ant. t. 6. *f.* Nocéntes períbunt qui te vexavérunt; & exultátio multitúdinis erit in luctum. *Bar.* 4. 31. 34.

Ant. t. 4. *E.* Animæquior eſto; exhortátur enim te qui te nominávit: & qui gratuláti ſunt in tua ruína, puniéntur. *Baruch.* 4. 30. 31.

Capitulum. Job. 30. 27. 28.

INterióra mea efferbuérunt abſque ulla réquie, prævenérunt me dies afflictiónis; mœrens incedébam.

HYMNUS. *Vab. Ep.*

ILlæſa te, puérpera,
Non fecerat matrem dolor:
Naſcénte, quem neſcíveras
Orbáta ſentis Fílio.
Dum te ſalútat últimùm,
Natóque tradit álteri,
Natúmque tradit álterum,
In morte Chriſtum párturis.
Non ejulantem cérnimus,
Non ungue velléntem comas;
Silénſque plus novit pati
Virtus dolore fórtior.
Salútis auctor in cruce
Jeſu, tibi ſit glória
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Quando conſoláberis me, Dómine? ℟. Quando fácies de perſequéntibus me judícium? *Pſ.* 118. 82. 84.

Ad Magnif. *Ant.* t. 6. *f.* Ex illa hora accépit Maríam diſcípulus in ſua. *Joan.* 19. 27.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Pro Comm. Feriæ Ant. Ab illo die cogitavérunt ut interfícerent Jeſu. Jeſus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos. *Joan.* 11. 53. 54.

℣. Captábunt in ánimam juſti: ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui protectiónis tuæ gratiam quærimus, liberáti à malis ómnibus ſecurâ tibi mente serviámus; Per, &c.

SABBATO.

SABBATO.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 6.

Audíte verbum, quod locútus eſt Dóminus ſuper vos, domus Iſrael; Hæc dicit Dóminus: Juxta vias Géntium nolíte díſcere: & à ſignis cœli nolíte metúere, quæ timent Gentes: quia leges populórum vanæ ſunt: quia lignum de ſaltu præcídit opus manus artíficis in áſcia. Argénto & auro decorávit illud: clavis & málleis compégit, ut non diſſolvátur. In ſimilitúdinem palmæ fabricáta ſunt, & non loquéntur: portáta tolléntur, quia incédere non valent. Nolíte ergo timére ea, quia nec malè poſſunt fácere, nec bene.

℟. Aſpiciéntes. *ex III. Noct. Dom. pag.* 236.

Lectio ij. v. 6. *ad* 14.

Non eſt símilis tuî, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex Géntium? tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapiéntes Géntium, & in univérſis regnis eórum nullus eſt símilis tuî. Páriter inſipiéntes & fátui probabúntur doctrína vanitátis eórũ lignum eſt. Argéntum involútum de Tharſis affértur, & aurum de Ophaz: opus artíficis, & manus ærárii: hyacínthus & púrpura induméntum eórum: opus artíficum univérſa hæc. Dóminus autem Deus verus eſt: ipſe Deus vivens, & rex ſempitérnus. Ab indignatióne ejus commovébitur terra; & non ſuſtinébunt Gentes comminatiónem ejus. Sic ergo dicétis eis: Dii, qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt. Qui facit terrã in fortitúdine ſua, præparat orbem in ſapiéntia ſua, & prudéntiâ ſuâ exténdit cœlos. Ad vocem ſuam dat multitúdinem aquárum in cœlo, & élevat nébulas ab extremitátibus terræ: fúlgura in plúviam facit, & edúcit ventum de theſáuris ſuis.

℟. In hoc vocáti. *pag.* 237.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 12. 10.

In illo témpore; Cogitavérunt Príncipes ſacerdótũ, ut & Lázarum interfícerent: quia multi propter illũ abíbant ex Judæis, & credébant in Jeſum. Et réliqua.

Homília S. Auguſtíni Epiſc.

In Joan. Tract. 50.

Viſo Lázaro reſuſcitáto, quia tantum miráculum Dómini tantâ erat evidéntiâ diffamátum, tantâ manifeſtatióne declarátum, ut non poſſent vel occultáre quod factum eſt, vel negáre; quid invenérunt vidéte. Cogitavérunt autem Príncipes ſacerdótum ut & Lázarum interfícerent. O ſtulta cogitátio, & cæca ſævítia! Dóminus Chriſtus qui

ſuſcitáre pótuit mórtuum, non poſſet occíſum? Quando Lázaro inferebátis necem, numquid auferebátis Dómino poteſtátem? Si áliud vobis vidétur mórtuus, áliud occíſus: ecce Dóminus utrúque fecit; & Lázarum mórtuum & ſeípſum ſuſcitávit occíſum.

℟. Adhuc módicum lumen in vobis eſt. * Ambuláte dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehéndant. ℣. Date Dómino Deo veſtro glóriam, ántequam contenebréſcat. * Ambuláte. Adhuc. *Joan.* 12. 35. *Jerem.* 13. 16.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Nunc judícium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. *Joan.* 12. 31.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, cleméntiam tuã ſupplíciter exorámus, ut ſalutaribus jejúniis caſtigáti, & bonórum óperum exercitatióne mundati, ad ventúram feſtivitátem dignè pervéniamus; Per, &c.

C A N O N

Ex Concilio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *Cap.* 6.

COnfeſsárii ſint pii, benè moráti, docti, prudéntes, patiéntes, de animárum ſalúte ſollíciti, & fidéles cuſtódes ſint eórum quæ in confeſſióne dicúntur.

A D V E S P E R A S.

Prædictus à Prophetis Chriſti in Jeruſalem ingreſſus ſolemnis.

Ant. t. 2. *D.* TRanſite per portas: præparáte viam pópulo, planum fácite iter: eleváte ſignum ad pópulos. *Iſ.* 62. 10.

Ant. t. 6. *f.* Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. *Iſ.* 62. 11.

Ant. t. 3. *a.* Fíliæ Jerúſalem; Ecce Rex tuus véniet tibi Juſtus, & Salvátor. *Zach.* 9. 9.

Ant. t. 4. *E.* Ipſe pauper, & aſcéndens ſuper aſinam, & ſuper pullum fílium áſinæ. *Zach.* 9. 9.

Ant. t. 7. *D.* Egredímini in montem, & afférte frondes olívæ, & frondes ligni pulchérrimi, & ramos palmárum. 2. *Eſdr.* 8. 15.

Capitulum. Iſ. 63. 1.

QUis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis véſtibus de Boſra? iſte formóſus in ſtola ſua, grádiens in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Ego, qui loquor juſtítiam, & propugnátor ſum ad ſalvándum.

℟. Jeruſalem, ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcóndita ſunt ab óculis tuis: * Eò quòd non cognóveris tempus viſitatiónis tuæ. ℣. Tranſívi per te, & vidi te; & ecce tempus tuum: & poſt omne

abominatiónes tuas non es recordáta diérum adoleſcéntiæ tuæ: væ, væ tibi, ait Dóminus. * Eò quòd. Jeruſalem, *uſque ad* ℣. *Luc.* 19. 42. 44. *Ezech.* 16. 8. 22. 23.

Hymnus. Vexílla regis, *ut in Sabbato ante Domin:cam Paſſ.*

℣. Dixi: Ecce vénio, ℟. Ut fácerem, Deus, voluntátem tuam. *Pſ.* 39. 8. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Dico vobis, quià non vidébitis me, donec véniat, cùm dicétis: Benedictus, qui venit in nomine Dómini. *Luc.* 13. 35.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOM. PALMARUM.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Chriſtum Jeſum qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Ad Pſalm. Veníte, *Non dicitur*, Glória.

IN I. NOCTURNO.

Figuræ Paſſionem Chriſti prænuntiantes.

Ant. t. 2. *D.* Venatióne cepérunt me quaſi avem inimíci mei gratis. *Thr.* 3. 52.

Ant. t. 4. *A.* Ego erudívi eos, & in me cogitavérunt malítiam. *Osee* 7. 15.

Ant. t. 8. *C.* Dómine, oſtendíſti mihi ſtúdia eórum: & ego quaſi agnus manſuétus qui portátur ad víctimam. *Jerem.* 11. 18. 19.

℣. Réſpice inimícos meos, Dómine; ℟. Quóniam multiplicati ſunt, & ódio iníquo odérunt me. *Pſ.* 24. 19.

De Jeremía Prophéta.

Lectio 1. *Cap.* 11. *v.* 15. *ad.* 21.

QUid eſt, quòd diléctus meus in domo mea fecit ſcélera multa? Numquid carnes ſanctæ áuferent à te malítias tuas in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, ſpecióſam, vocávit Dóminus nomen tuum: ad vocem loquélæ, grandis exárſit ignis in ea, & combúſta ſunt frutéta ejus. Et Dóminus exercítuum qui plantávit te, locútus eſt ſuper te malum, pro malis domûs Iſrael & domûs Juda, quæ fecérunt ſibi ad irritándum me, libántes Báalim. Tu autem, Dómine, demonſtráſti mihi, & cognóvi; tunc oſtendíſti mihi ſtúdia eórum. Et ego quaſi agnus manſuétus qui portátur ad víctimam: & non cognóvi; quia cogitavérunt ſuper me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas juſtè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi cauſam meam.

℟. Décimâ die menſis hujus tollat unuſquíſque agnū per famílias & domos ſuas: & ſervábitis eum uſque ad quartam décimã diem menſis hujus: * Immolabítque

eum univérſa multitúdo filiórum Iſrael ad véſperam. ℣. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. * Immolabítque. *Exod.* 12. 3. 6. *Joan.* 1. 29.

Lectio ij. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 7.

JUſtus quidem tu es, Dómine, ſi díſputem tecum; verúmtamen juſta loquar ad te: Quare via impiórum proſperátur? bene eſt ómnibus, qui prævaricántur, & iníque agunt? Plantáſti eos, & radícem miſérunt; profíciunt, & fáciunt fructum: propè es tu ori eórum, & longè à rénibus eórum. Et tu, Dómine, noſti me, vidíſti me, & probáſti cor meum tecum: cóngrega eos quaſi gregem ad víctimam, & ſanctífica eos in die occiſiónis. Uſquequò lugébit terra, & herba omnis regiónis ſiccábitur, propter malítiam habitántium in ea? Conſúmptum eſt ánimal, & vólucre, quóniam dixérunt: Non vidébit noviſſima noſtra. Si cum pedítibus currens laboráſti: quómodo conténdere póteris cum equis? Cùm autem in terra pacis ſecúrus fúeris, quid fácies in ſupérbia Jordánis? Nam & fratres tui, & domus patris tui, étiam ipſi pugnavérunt advérsùm te, & clamavérunt poſt te plenâ voce: ne credas eis, cùm locúti fúerint tibi bona.

℟. Sument de ſanguine agni, ac ponent ſuper utrúmque poſtem, & in ſuperliminaribus domórum: erit autem ſanguis in ſignũ; * Cùmque víderit Dóminus sánguinem in ſuperliminári tranſcéndet óſtium domûs, & non ſinet percuſſórem íngredi domos veſtras. ℣. Hic ſánguis teſtaménti quod mandávit ad vos Deus. * Cùmque víderit Dóminus. *Exod.* 12. 7. 13. 23. *Hebr.* 9. 20.

Lectio iij. v. 7. *ad* 12.

RElíqui domũ meam, dimíſi hæreditátẽ meam: dedi diléctam ánimam meã in manu inimicórum ejus. Facta eſt mihi hæréditas mea quaſi leo in ſylva: dedit contra me vocem, ídeò odívi eam. Numquid avis díſcolor hæréditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Veníte, congregámini, omnes béſtiæ terræ, properáte ad devorándum. Paſtóres multi demolíti ſunt víneam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt portiónem meam deſiderábilem in deſértum ſolitúdinis. Poſuérunt eam in diſſipatiónẽ, luxítque ſuper me: deſolatióne deſoláta eſt omnis terra; quia nullus eſt qui recógitet corde.

℟. Poſt hebdómades ſexagínta duas. * Occidétur Chriſtus: & in dimídio hebdómadis defíciet hóſtia & ſacrifícium. ℣. Fílius hóminis tradétur Princípibus ſacerdótum, & condemnábunt

cum morte. * Occidétur Chriſtus. Poſt hebdómades. *Dan.* 9. 26. 27. *Matth.* 20. 18.

IN II. NOCTURNO.

Aſcendit Chriſtus Jeruſalem, ibi immolandus.

Ant. *t.* 1. *F.* Audíſti, Dómine, lábia inſurgéntium mihi, & meditatiónes eórum advérsùm me totâ die. *Thr.* 3. 61. 62.

Ant. *t.* 4. *A.* Hi ſunt viri qui cógitant iniquitátem, & tractant consílium péſſimum in urbe iſta. *Ezech.* 11. 2.

Ant. *t.* 7. *A.* Relíqui domum meam: dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. *Jerem.* 12. 7.

℣. Deus meus, ne diſcéſſeris à me: ℟. Quóniam tribulátio próxima eſt. *Pſ.* 21. 11. 12.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. Serm. 60. *de Paſſ. Dom.* 11.

DEſideráta nobis, dilectíſſimi, & univérſo optábilis mundo, adeſt feſtívitas Domínicæ Paſſiónis, quæ nos inter exultatiónes ſpiritálium gaudiórum ſilére non pátitur. Quia etſi difficile eſt, de eâdem ſolemnitáte ſæpiùs dignè aptèque diſſérere; non eſt tamen líberum ſacerdóti, in tanto divínæ miſericórdiæ Sacraménto, fidélibus pópulis ſubtráhere ſermónis officiũ: cùm ipſa matéria, ex eo quod eſt ineffábilis, fandi tríbuat facultátem; nec poſſit defícere quod dicátur; dum non poteſt ſatis eſſe quod dícitur. Succúmbat ergo humána infírmitas glóriæ Dei, & in explicándis opéribus miſericórdiæ ejus, ímparem ſe ſemper invéniat. Laborémus ſenſu, hæreámus ingénio, deficiámus elóquio: bonum eſt ut nobis parum ſit, quod étiam rectè de Dómini majeſtáte ſentímus.

℟. Factum eſt dum compleréntur dies aſſumptiónis Jeſu, * Et ipſe fáciem ſuam firmávit, ut iret in Jerúſalem. ℣. Locúti ſunt Sacerdótes & Prophétæ ad Príncipes, & ad omnem pópulum, dicéntes: Judícium mortis eſt viro huic; quia prophetávit advérsùs civitátem iſtam. * Et ipſe fáciem. *Luc.* 9. 51. *Jerem.* 26. 11.

Lectio v.

DIcénte enim Prophéta: Quærite Dóminum, & confirmámini, quærite fáciem ejus ſemper: Némini præſuméndum eſt, quòd totum quod quærit, invénerit; ne déſinat propinquáre, qui ceſſávit accédere. Quid autem inter ómnia ópera Dei, in quibus humánæ admiratiónis fatigátur inténtio, ita contemplatiónẽ meutis noſtræ oblécłat & súperat ſicut Páſſio Salvatóris? Qui ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis absólveret, & ſævíenti diábolo poténtiam ſuæ majeſtátis occultávit, & infirmitátem noſtræ humilitátis objécit. Si enim

crudélis & ſupérbus inimícus consílium miſericórdiæ Dei noſſe potuíſſet, Judæórum ánimos manſuetúdine pótiùs temperáre, quàm injúſtis ódiis ſtuduíſſet accéndere: ne ómnium captivórum amítteret ſervitutem, dum nihil ſibi debéntis perſéquitur libertátem.

℟. Præcedébat diſcípulos Jeſus, & ſtupébant; & ſequéntes timébant. Et cœpit illis dícere: Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, * Et damnábunt Filium hóminis morte. ℣. Ego in flagélla parátus ſum: inimíci autem mei confirmáti ſunt ſuper me. * Et damnábunt. *Marc.* 10. 32. 33. *Pſ.* 37. 18. 20.

Lectio vj.

FEféllit ergo illum malígnitas ſua: íntulit ſupplícium Fílio Dei, quod cunctis filiis hóminum in remédium verterétur. Fudit ſánguinem juſtum, qui reconciliándo mundo & prétium eſſet, & póculum. Suſcépit Dóminus, quod ſecúndùm propóſitum ſuæ voluntátis elégit. Admíſit in ſe ímpias manus furéntium: quæ dum próprio incúmbunt ſcéleri, famulátæ ſunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres ſuos tanta erat pietátis afféctio, ut de cruce ſúpplicans Patri, non ſe vindicári, ſed illis poſtuláret ignóſci.

℟. Mittébat Dóminus ad illos per manum nuntiórum ſuórũ; eò quòd párceret pópulo ſuo: at illi ſubſannábant núntios Dei, * Et parvipendébant ſermónes ejus, donec compleretur ſermo Dómini ex ore Jeremíæ. ℣. Noviſſimè miſit ad eos Fílium ſuum, dicens: Verebúntur Fílium meum. * Et parvipendébant. Mittébat. 2. *Par.* 36. 15. 16. 21. *Matth.* 21. 37.

IN III. NOCTURNO.

Pius Chriſti ſuper Jeruſalem plangentis affectus.

Ant. t. 2. D. Ut appropinquávit Jeſus, videns civitátem, flevit ſuper illam. *Luc.* 19. 41.

Ant. t. 3. a. Lava à malítia cor tuum, Jerúſalem, ut ſalva fias: úſquequò morabúntur in te cogitatiónes nóxiæ? *Jerem.* 4. 14.

Ant. t. 4. A. Revértere, aversátrix Iſrael, ſcito iniquitátem tuam, quia in Dóminum Deum tuum prævaricáta es. *Jerem.* 3. 12. 13.

℣. Præcípita, Dñe, dívide linguas eórum; ℟. Quóniã vidi iniquitátem, & contradictiónẽ in civitáte. *Pſ.* 54. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 21. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm appropinquáſſent Jeroſólymis, & veníſſent Béthphage, ad montem Olivéti; tunc Jeſus miſit duos diſcípulos, dicens eis: Ite in caſtéllum quod contra vos eſt, & ſtatim inveniétis áſinam alligátam, & pullum cum ea; ſólvite & addúcite mihi. Et réliqua.

Homília venerabilis Bedæ Presbyteri.

In hunc locum Matthæi.

MEdiátor Dei & hóminum, homo Chriſtus Jeſus, qui pro humáni géneris ſalúte paſsúrus, de cœlo deſcénderat ad terras, appropinquánte horâ paſſiónis, appropinquáre vóluit loco Paſſiónis: ut étiam in hoc claréſceret, quia non invítus, ſed ſpontè paterétur. In áſino veníre, & à turbis appellári, & laudári vóluit, ut étiam per hoc erudítus quiſque agnóſceret, ipſum eſſe Chriſtum, quem ſic illo ventúrum prophetía olim promíſſa ſignáverat.

℟. Qui mitténdus eſt, ipſe erit expectátio géntium: * Ligans ad víneam pullum ſuum, & ad vitem, áſinam ſuam, lavábit in vino ſtolam ſuam, & in ſánguine uvæ pállium ſuum. ℣. Et quidem Fílius hóminis ſecúndùm quod definítum eſt, vadit. * Ligans. *Geneſ.* 49. 10. 11. *Luc.* 22. 22.

Lectio viij.

ANte quinque dies Paſchæ veníre vóluit, ſicut ex Joánnis Evangélio didícimus, ut étiam hoc oſtenderet ſe eſſe Agnum immaculátum qui peccáta tólleret mundi. Agnus quippe paſchális, cujus immolatióne pópulus Iſrael ab Ægyptia ſervitúte eſt liberátus, ante quinque dies Paſchæ, id eſt décimâ lunâ domum inférri, & ipsâ die Paſchæ, id eſt, quartâ décimâ lunâ ad véſperam juſſus eſt immolári; ſigníficans eum qui nos ſuo ſánguine redemptúrus, ante quinque dies Paſchæ, id eſt, hodiérno die, magno præcedéntium, ſequentiúmque populórũ gáudio ac laudatióne dedúctus, venit in templum Dei, & erat quotídie docens in templo.

℟. Turba multa, cùm audíſſent, quia venit Jeſus Jeroſólymam, accepérunt ramos palmárum, & clamábant: * Hosánna: benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℣. O Dómine, bene proſperáre: Deus Dóminus & illúxit nobis. * Hosánna. *Joan.* 12. 12. 13. *Pſ.* 117. 25. 27.

Lectio ix.

QUintâ demum peractâ die, ubi véteris Paſchæ ſacraménta háctenus obſerváta conſummávit, ac nova deínceps diſcípulis obſervánda ſacraménta contrádidit, egréſſus in montem Olivéti tentus eſt à Judæis: & manè crucifíxus, ipsâ nos die, à dæmoníaca dominatióne redémit, quâ antíquus ille Hebræórum pópulus, per immolatiónem agni jugum Ægyptiæ ſervitútis abjécit. Ergo Dóminus inſtar agni paſchális, ante quinque dies quàm pati inciperet, locum Paſſiónis ádiit, ut ſe inſinuáret eſſe illum, de quo prædixit Iſaías: Sicut ovis ad occiſiónem ducétur, & qua-

ſi agnus coram tondénte ſe obmutéſcet, & non apériet os ſuum.

℟. Teſtimónium perhibébat turba, quæ erat cum Jeſu, quando Lázarum ſuſcitávit à mórtuis: proptérea & óbviàm venit ei; * Quia audiérunt eum feciſſe hoc ſignum. ℣. Thyrſos, & ramos vírides, & palmas præferébant ei. * Quia audiérunt: Teſtimónium. *Joan.* 12. 17. 18. 2. *Mach.* 10. 7.

AD LAUDES.

Chriſto Jeruſalem ingredienti præeunt ovantes turbæ.

℣. *Sacerdos.* Confiteántur tibi pópuli, Deus, ℟. Confiteántur tibi pópuli omnes. *Pſ.* 66. 4.

Ant. t. 1. *F* ASCéndens Jeſus Jeroſólymam, miſit duos diſcípulos, dicens: Inveniétis pullum áſinæ alligátum: sólvite illum, & addúcite. *Luc.* 19. 28. 29 30.

Ant. t. 2. *D.* Ut adimplerétur quod dictum eſt: Dícite fíliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuétus, ſedens ſuper áſinam, & pullum fílium ſubjugális. *Mat.* 21. 4. 5.

Ant. t. 5. *a.* Multi autem veſtiménta ſua ſtravérunt in via, álii frondes cædébant de arbóribus, & ſternébant in via. *Marc.* 11. 8.

Ant. t. 6. *f.* Qui præíbant, & qui ſequebántur clamábãt, dicéntes: Hosánna: benedíctus, qui venit in nómine Dómini. *Marc.* 11. 9. 10.

Ant. t. 8. *c.* Commóta eſt univérſa cívitas, dicens: Hic eſt Jeſus Prophéta à Názareth. *Matth.* 21. 10. 11.

Capitulum. Iſ. 52. 7. 8.

SIon; regnábit Deus tuus: vox ſpeculatórum tuórũ: levavérunt vocem, ſimul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt.

℣. Quis eſt iſte Rex glóriæ? ℟. Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ. *Pſ.* 23. 10.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* Dico vobis: Quia ſi hi tacúerint, lápides clamábunt. *Luc.* 19. 40.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem noſtrum carnem súmere, & crucem ſubíre feciſti: concéde propítius; ut & patiéntiæ ipsíus habére documénta, & reſurrectiónis consórtia mereámur; Per eúmdem, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Aſcéndens.

Capitul. Regi, &c.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui paſſus es pro nobis. 1. *Petr.* 2. 21.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi 4. *An.* 1215. *C.* 21.

OMnis utriúſque ſexûs fidélis, poſtquam ad annos diſcretiónis pervénerit, ómnia ſua ſolus peccáta confiteátur fidéliter, ſaltem ſemel in anno, próprio Sacerdóti; & injúnctam ſibi pœ-

niténtiam ſtúdeat pro víribus adimplére, ſuſcípiens reverénter ad minus in Paſcha Eucharíſtiæ ſacraméntũ: niſi fortè de conſilio próprii Sacerdótis, ob áliquam rationábilem cauſam ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abſtinéndum; alióquin & vivens ab ingréſſu Eccléſiæ arceátur, & móriens Chriſtiánâ cáreat ſepultúrâ.

AD TERTIAM.

Ant. Ut adimplerétur.

Capitulum. Iſ. 55. 12. 13.

MOntes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro ſaliúnca aſcéndet ábies; & pro úrtica creſcet myrtus: & erit Dóminus nominátus in ſignum ætérnum, quod non auferétur.

℟. Eleváta eſt, Dómine, magnificéntia tua ſuper cœlos. * Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem propter inimícos tuos. ℣. Cœpérunt omnes laudáre Deum, dicéntes: Benedíctus qui venit Rex in nómine Dómini, pax in cœlo, & glória in excélſis. * Ex ore. Eleváta eſt. *Pſ.* 8. 2. 3. *Luc.* 19. 37. 38.

℣. Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, ℟. Ingréſſus Dei mei, regis mei qui eſt in Sancto. *Pſ.* 67. 25.

AD SEXTAM.

Ant. Multi autem.

Capitulum. Sap. 10. 20. 21.

DEcantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum. Quóniam ſapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit disértas.

℟. *br.* Laudáte, púeri Dóminum: * Laudáte nomen Dómini. Laudáte, púeri. ℣. Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus. * Laudáte nomen. Laudáte, púeri. *Pſ.* 112. 1. 4.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie, ℟. Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi. *Pſ.* 67. 20. 21.

AD NONAM.

Ant. Commóta eſt.

Capitulum. Tob. 13. 5. 6.

IPſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam. Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi: Regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris.

℟. *br.* Iter fácite ei, * Qui aſcéndit ſuper occáſum. Iter. ℣. Dóminus nomen illi. * Qui aſcéndit. Iter. *Pſ.* 67. 5.

℣. Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli, ℟. Terra mota eſt. *Pſ.* 67. 8. 9.

AD II. VESPERAS.

Invidum Phariſæorum murmur.

Ant. *t.* 1. *d.* VIdéntes Scribæ púeros clamántes, Hosánna Fílio David, indignáti ſunt, & dixérunt Jeſu: Audis quid iſti dicunt. *Matth.* 21. 15. 16.

Ant. t. 3. *a.* Jeſus dixit eis: Utique, numquam legíſtis, Quia ex ore infántium & lacténtium perfecíſti lau-

dem? *Matth.* 21. 16.

Ant. t. 4. *E.* Phariſæi dixérunt ad ſemetípſos : Vidétis, quia nihil profícimus? ecce mundus totus poſt eum ábiit. *Joan.* 12. 19.

Ant. t. 7. *D.* Quæréntes Jeſum tenére, timuérunt turbas, quóniam ſicut Prophétam eum habébant. *Matth.* 21. 46.

Ant. t. 8. *c.* Déderant mandátum, ut ſi quis cognóverit ubi ſit, índicet, ut apprehéndant eum. *Joan.* 11. 56.

Capitulum. Jerem. 11. 19.

COgitavérunt ſuper me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra viventium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs.

HYMNUS. Vexílla, &c.

℣. Convenérunt in unum advérsùs Dóminum, ℟. Et advérsùs Chriſtum ejus. *Pſ.* 2. 2.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipſum. *Joan.* 12. 32.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.
AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum Jeſum qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 2, 5. 6.

Fervet in urbe facta contra Chriſtum conſpiratio.

Ant. t. 2. *D.* Viri cógitant iniquitátem, & tractant consílium péſſimum in urbe iſta. *Ezech.* 11. 2.

Ant. t. 4. *a.* Hæc cogitavérunt, & erravérunt : excæcávit enim illos malítia eórum. *Sap.* 2. 21.

Ant. t. 1. *a.* Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléſtus fui tibi? *Mich.* 6. 3.

℣. Réſpice inimícos meos, Dómine; ℟. Quóniam multiplicáti ſunt, & ódio iníquo odérunt me. *Pſ.* 24. 19.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 18. *v.* 13. *ad* 18.

HÆc dicit Dóminus: Interrogáte gentes: Quis audívit tália horribília, quæ fecit nimis virgo Iſraël? Numquid defíciet de petra agri nix Líbani? aut evélli poſſunt aquæ erumpéntes frígidæ, & defluéntes? Quia oblítus eſt meî pópulus meus, fruſtrà libántes, & impingéntes in viis ſuis, in ſémitis ſæculi, ut ambulárent per eas in itínere non trito: ut fieret terra eórum in deſolatiónē, & in síbilum ſempitérnum; omnis qui præteríerit per eam, obſtupéſcet, & movébit caput ſuum. Sicut ventus urens diſpérgam eos coram inimíco; dorſum, & non fáciem oſténdam eis in die perditiónis eórum.

℟. Quómodo facta eſt méretrix cívitas fidélis, plena judícii? * Juſtítia habitávit in ea, nunc autem homicídæ.

℣. Opórtet me hódie, & cras, & ſequénti die ambuláre; quia non capit Prophé-

tam perire extra Jerúſalem.* Juſtítia. *Iſ.* 1. 21. *Luc.* 13. 33.

Lectio ij. v. 18. ad finem.

ET dixérunt : Veníte, & cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes : non enim períbit lex à ſacerdóte, neque consílium à ſapiénte, nec ſermo à Prophéta : veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérſos ſermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, & audi vocem adverſariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quòd ſtéterim in conſpéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptérea da fílios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii : fiant uxóres eórum abſque líberis, & víduæ : & viri eárum interficiántur morte : júvenes eórum confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum; addúces enim ſuper eos latrónem repéntè : quia fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abſcondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, ſcis omne consilium eórum advérsùm me in mortem : ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum à fácie tua non deleátur : fiant corruéntes in conſpéctu tuo, in témpore furóris tui abútere eis.

℟. Arguet te malítia tua, & avérſio tua increpabit te, * Scito, & vide, quia malum & amárum eſt reliquíſſe te Dóminũ Deum tuum. ℣. Jerúſalẽ, Jerúſalẽ, quæ occídis Prophétas, & lápidas eos qui mittúntur ad te, * Scito. *Jerem.* 2. 19. *Luc.* 13. 34.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 12. *v.* 1.

ANte ſex dies Paſchæ venit Jeſus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem ſuſcitávit Jeſus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 50. in Joan.

NE putárent hómines phantáſma eſſe factum, quia mórtuus reſurréxit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus; vivébat, loquebátur, epulabátur : véritas oſtendebátur, infidélitas Judæórum confundebátur. Diſcumbébat ergo Dóminus cum Lázaro & cæteris : miniſtrábat Martha una ex ſoróribus Lázari : María verò, áltera ſoror Lázari, accépit libram unguénti nardi píſtici pretióſi, unxit pedes Jeſu, & extérſit capíllis ſuis pedes ejus, & domus impléta eſt ex odóre unguénti. Factum audívimus, myſtérium requirámus. Quæcúmque ánima fidélis vis eſſe, cum María unge pedes Dómini, unguénto pretióſo : unge pedes Jeſu; bene vivéndo. Domí-

nica ſectáre veſtígia. Capíllis terge; ſi habes ſupérflua, da paupéribus, & Dómini pedes terſíſti; capílli enim ſupérflua córporis vidéntur. Habes quod agas de ſupérfluis tuis: tibi ſupérflua ſunt, ſed Dñi pédibus neceſſária.

℟. Jeſus ait illis: Quid moléſti eſtis huic mulíeri? opus bonum operáta eſt in me: * Mittens enim hæc unguéntum hoc in corpus meũ, ad ſepeliéndum me fecit. ℣. Uno tantùm gradu, ego morſque divídimur. * Mittens enim. Jeſus ait. *Matth.* 26. 10. 12. 1. *Reg.* 20. 3.

AD LAUDES.

A populo ſuo traditum, à fratribus derelictum ſe, queritur Chriſtus.

℣. *Sacerd.* Totâ die verba mea execrabántur; ℟. Advérsùm me omnes cogitatiónes eórum, in malum. *Pſ.* 55. 6.

Ant. t. I. *a.* Circumdedérunt me úndique & non erat qui adjuváret. *Eccli.* 51. 10.

Ant. t. 2. *D.* Invénti ſunt in pópulo meo ímpii, inſidiantes, quaſi áucupes, láqueos ponéntes. *Jer.* 5. 26.

Ant. t. 6. *f.* Cepérunt me inimíci mei gratis; lapſa eſt in lacum vita mea. *Thren.* 3. 52. 53.

Ant. t. 4. *A.* Fratres meos longè fecit à me Deus, & noti mei quaſi aliéni receſſérunt à me. *Job.* 19. 13.

Ant. t. 7. *a.* Seſſiónem eórum, & reſurrectiónem eórum vide, Dómine: ego ſum pſalmus eórum. *Thren.* 3. 63.

Capitulum. Dan. 11. 25. 26.

Inibunt advérsùs eum conſilia: & comedéntes panem cum eo, cónterent illum.

℣. Inimíci mei dixérunt mala mihi: ℟. Quando moriétur, & períbit nomen ejus? *Pſal.* 40. 6.

Ad Bened. Ant. t. 8. *g.* Ubicúmque prædicátum fúerit hoc Evangélium, dicétur & quod hæc fecit in memóriam ejus. *Matth.* 26. 13.

Oratio.

Largíre nobis, Dómine, appropinquánte Fílii tui paſſióne, grátiæ tuæ abundántius auxílium; ut per bona ópera, Chriſti bonum odórem ubíque diffundámus; Per eúmdem, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Circumdedérunt me.

Capitulum. Gal. 3. 13.

Chriſtus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctũ; quia ſcriptum eſt: Maledíctus omnis qui pendet in ligno.

Ad. ℟. *br.* Qui paſſus es pro nobis. 1. *Petr.* 2. 21.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. *Can.* 9.

Si quis negáverit, omnes & ſíngulos Chriſti fidéles, cùm ad annos diſcretiónis pervénerint, tenéri ſíngulis annis ſaltem in Páſcha-

te, ad communicándum, juxta præcéptum ſanctæ Eccléſiæ: anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Ant. Invénti ſunt.

Capitulum Rom. 15. 3.

CHriſtus non ſibi plácuit, ſed ſicut ſcriptum eſt; Impropéria improperántiũ tibi cecidérunt ſuper me.

℟. Totâ die verecúndia mea contra me eſt, & * Confúſio faciéi meæ coopéruit me, ℣. A voce exprobrántis & obloquéntis, à fácie inimíci & perſequéntis. * Confúſio. (*reſum.*) Totâ die. *Pſal.* 43. 16. 17.

℣. Exprobravérunt inimíci tui, Dómine, ℟. Exprobravérunt, commutatiónem Chriſti tui. *Pſal.* 88. 52.

AD SEXTAM.

Ant. Cepérunt me.

Capitulum. 1. *Pet.* 2. 23.

CHriſtus cùm maledicerétur, non maledicébat: cùm paterétur, non comminabátur: tradébat autem judicánti ſe injuſtè.

℟. In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * Impropérium expectávit cor meum, & miſériam. ℣. Quóniam quem tu percuſsíſti, perſecúti ſunt: & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt. * Impropérium. (*reſum.*) In conſpéctu. *Pſal.* 68. 21. 27.

℣. Ego ſum pauper & dolens: ℟. Salus tua, Deus ſuſcépit me. *Pſal.* 68. 30.

AD NONAM.

Ant. Seſſiónem.

Capitulum. Hebr. 5. 7.

CHriſtus in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus eſt pro ſua reveréntia.

℟. Deus Deus meus, réſpice in me: * Quare me dereliquíſti? ℣. Ego ſum vermis, & non homo; oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis. * Quare me.. (*reſum.*) Deus. *Pſal.* 21. 2. 7.

℣. Præoccupavérunt me láquei mortis: ℟. In tribulatióne mea invocávi Dóminum. *Pſal.* 17. 6. 7.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus & Pſalmi de Feria.

Capitulum. Hebr. 9. 15.

IDeò novi teſtaménti mediátor eſt; ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant ſub prióri teſtaménto, repromiſſiónem accípiant, qui vocáti ſunt ætérnæ hæreditátis.

Hymnus. Vexílla regis.

℣. Ab inſurgéntibus in me exaltábis me; ℟. A viro iníquo erípies me. *Pſal.* 17. 49.

Ad Magnificat. *Ant.* *t.* 8. *g.* Quærébant ſummi Sacerdótes, & Scribæ, quómodo Jeſum dolo tenérent & occíderent. *Marc.* 14. 1.

Orat.

MAjeſtatem tuam, Dómine, propenſius implorámus, ut quanto própius dies ſalutiferæ feſtivitátis accédit, tanto devótius ad digne celebrandum proficiámus Paſchale myſtérium; Per Dominum.

Completorium, ut per Quadrageſimam.

FERIA TERTIA AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Chriſtum, qui peccáta noſtra ipſe pertulit ſuper lignum, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2. 24.

Quia vadem ſe pro peccatis conſtituit, ideo atteretur.

Ant. t. 2. D. Abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus pópuli mei percúſſi eum. *Iſ.* 53. 8.

Ant. t. 4. *A.* Juſtus ſervus meus, iniquitátes eorum ipſe portabit. *Iſ.* 53. 11.

Ant. t. 8. *C.* Ipſe autem vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra. *Iſ.* 53. 5.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis, ℟. Et torréntes iniquitátis conturbavérunt me. *Pſal.* 17. 5.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Cap. 20. *v.* 7. *ad.* 13.

FActus ſum in deriſum totâ die, omnes ſubſánnant me. Quia jam olim loquor, vociferans iniquitátem, & vaſtitátem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum totâ die. Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultrà in nómine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in óſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Audívi enim contumélias multorum, & terrorem in circuitu: Perſequimini, & perſequámur eum: ab ómnibus viris, qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum: ſi quo modo decipiatur, & prævaleámus advérsùs eum, & conſequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum eſt quaſi bellator fortis: idcírco qui perſequúntur me, cadent, & infirmi erunt: confundéntur vehementer, quia non intellexérunt opprobrium ſempitérnum, quod numquam delébitur. Et tu, Dómine exercituum, probátor juſti, qui vides renes & cor: vídeam, quæſo, ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelavi cauſam meam.

℟. Audívi contumélias multorum, & terrorem in circuitu: * Perſequímini, & perſequámur eum: ſi quo modo prævaleámus advérſus eum. ℣. Phariſæi dicébant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus, vénient Romani; & tollent gentem noſtram. * Perſequímini. *Jerem.* 20. 10. *Joan.* 11. 47. 48.

Lectio. ij. Cap. 26. v. 8. ad 12.

CUmque compléſſet Jeremías, loquens ómnia quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univérſum pópulum, apprehendérunt eum ſacerdótes & prophétæ, & omnis pópulus, dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & urbs iſta deſolábitur, eò quòd non ſit habitátor? Et congregátus eſt omnis pópulus advérsùs Jeremíam in domo Dómini. Et audiérunt príncipes Juda verba hæc: & aſcendérunt de domo regis in domum Dómini, & ſedérunt in introítu portæ domûs Dómini novæ. Et locúti ſunt ſacerdótes & prophétæ ad príncipes, & ad omnem pópulum, dicéntes: Judícium mortis eſt viro huic: quia prophetávit advérsùs civitátem iſtam, ſicut audíſtis áuribus veſtris.

℟. Fodérunt fóveam ut cáperent me: & láqueos abſcondérunt pedibus meis. * Tu autem, Dómine, ſcis omne consílium eórum advérsùm me in mortem. ℣. Et quidem Fílius hóminis, ſecúndùm quod definítum eſt, vadit. * Tu autem. *Jerem.* 18. 22. 23. *Luc.* 22. 22.

Lectio iij. v. 12. ad 16.

ET ait Jeremías ad omnes príncipes, & ad univérſum pópulum, dicens: Dóminus miſit me, ut prophetárem ad domum iſtam, & ad civitátem hanc, ómnia verba quæ audíſtis. Nunc ergo bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra, & audíte vocem Dómini Dei veſtri: & pœnitébit Dóminum mali, quod locútus eſt advérsum vos. Ego autem ecce in mánibus veſtris ſum: fácite mihi quod bonum & rectum eſt in óculis veſtris: verúmtamen ſcitóte & cognóſcite, quòd ſi occidéritis me, ſánguinem innocéntem tradétis contra vosmetípſos, & contra civitátem iſtam, & habitatóres ejus. In veritáte enim miſit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus veſtris ómnia verba hæc.

℟. Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei; advérsùm me cogitábant mala mihi. * Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me. ℣. Dixit Cáiphas: Vos neſcítis, quia éxpedit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo. * Verbum. (*reſum*) Advérsùm me. *Pſal.* 40. 8. 9. *Joan.* 11. 49. 50.

A D L A U D E S.

De morte Chriſti inter impios decretum eſt: hinc inſidiæ parantur.

℣. *Sacerdos.* In iracúndia terræ loquéntes, ℟. Dolos cogitábant. *Pſal.* 34. 20.

Ant. 1. OMnia quæ lóquitur populus iste, conjuratio eſt *Iſ.* 8. 12.

Ant. t. 7. D. Conſilia impiórum fraudulénta: verba impiórum inſidiántur ſánguini. *Prov.* 12. 5. 6.

Ant. t. 2. D. Pedes eórum ad malum currunt, & feſtínant ut effúndant ſánguinem innocéntem. *Iſ.* 59. 7.

Ant. t. 8. g. Dixérunt: Circumveniámus juſtum, morte turpíſſimâ condemnémus eũ. *Sap.* 2. 1. 12. 20.

Ant. t. 1. a. Tu Dómine, probátor juſti, vídeam, quæſo, ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi cauſam meam. *Jerem.* 20. 12.

Capitulum. Sap. 2. 1. 19.

IMpii dixérunt: Contumeliis & torméntis interrogémus eum, ut ſciámus reveréntiam ejus, & probémus patiéntiam illíus.

℣. Décidant à cogitatiónibus ſuis, ℟. Secúndum multitúdinem impietátum eorũ expélle eos. *Pſal.* 5. 11.

Ad Bened. Ant. t. 4. *E.* Ambulábat Jeſus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambuláre, quia quærebant eum Judæi interficere. *Joan.* 7. 1.

Oratio.

REminiſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, & fámulos tuos ætérnâ protectióne ſanctífica, pro quibus Jeſus Chriſtus Fílius tuus ſponte ſe morti trádidit, & Paſchále ſacrifícium, fuſo ſánguine, conſummávit; Qui tecum vivit, &c.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus; cætera ut in Feriâ 2. Majoris Hebdomadæ.

CANON

Ex Concilio Burdigalénſi.
An. 1624. *Cap.* 5. *de ſacram. Num.* 3.

SÆpíſſimè fideles ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem cum omni devotióne & compunctis córdibus accédere peroptámus: ſed ne omittant tempore Páſchatis id in própria Parochiali præſtáre, ſacris canónibus inſiſtentes, ſtatúimus, eo tempore omnes Chriſti fidéles, tum ad confeſſiónem peccatórum proprio Parocho, aut alii de ejus licéntia faciéndam, tum ad ſacram Euchariſtiam in eâdem Eccleſiâ percipiéndam tenéri & obligári, nulloſque álias præcepto Eccleſiæ ſatis feciſſe, ac proinde in eos, ni reſipiſcant, ab Ordinario, cenſuris agéndum eſſe declarámus.

AD VESPERAS.

Antiph. de Laudibus.

Capitulum. Jerem. 26. 15.

SCitote & cognoſcite, quod ſi occidéritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra civitatem iſtam, & habitatóres ejus.

Hymnus. Vexilla Regis.

℣. Dóminus reprobat cogitationes populorum, ℟. Réprobat

probat consilia príncipum. *Pſal.* 32. 10.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Dicébant : Non in die feſto, ne fortè tumúltus fieret in pópulo. *Marc.* 14. 2.

Oratio.

DEus, in cujus præcípuis mirabílibus eſt humana reparátio ; ſolve ópera diáboli, & mortífera peccati víncula, disrúmpe ; ut deſtrúctâ malignitate quæ nócuit, vincat miſericórdia quæ redémit ; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum, cujus livóre ſanáti ſumus, * Veníte, adorémus. *Iſ.* 53. 5.

Futuræ Chriſti paſſionis abundantes prænuntiantur fructus.

Ant. t. 1. *A.* Iſte aſpérget gentes multas, ſuper ipſum continébunt reges os ſuum. *Iſ.* 52. 15.

Ant. t. 2. *D.* Si posúerit pro peccáto ánimam ſuam, vidébit ſemen longævum. *Iſ.* 53. 10.

Ant. t. 4. *A.* Diſpértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet ſpólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam ſuam. *Iſ.* 53. 12.

℣. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine ; ℟. Sine iniquitáte cucúrri, & dírexi. *Pſal.* 58. 5.

Incipit liber Baruch Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

ET hæc verba libri, quæ ſcripſit Baruch fílius Nériæ, fílii Maaſiæ, fílii Sedéciæ, fílii Sédei, fílii Hélciæ, in Babylónia, in anno quinto, in séptimo die menſis, in témpore quo cepérunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccendérunt eam igni. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechóniæ fílii Joakim regis Juda, & ad aures univérſi populi veniéntis ad librum, & ad aures potentium filiórum regum, & ad aures presbyterórum, & ad aures pópuli, à mínimo uſque ad máximum eórum ómnium habitántium in Babylónia, ad flumen Sodi. Qui audiéntes plorábant, & jejunábant, & orábant in conſpéctu Dómini.

℟. Appropinquábat dies feſtus Azimórum, qui dícitur Paſcha, & quærébant príncipes Sacerdótum, & Scribæ, * Quómodo Jeſum interfícerent. ℣. Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum. * Quómodo. *Luc.* 22. 1. 2. *Pſal.* 2. 2.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 11. *ad* 19.

ET nunc, Dómine Deus Iſrael, qui eduxíſti pópulum tuum de terra Ægypti in manu valida, & in ſignis, & in prodígiis, & in virtúte tua magna, & in bráchio excélſo, & fecíſti tibi nomen ſicut eſt dies iſte : peccávimus, impiè égimus,

iniquè géſſimus, Dómine Deus noſter, in ómnibus juſtítiis tuis. Avertátur ira tua à nobis: quia derelícti ſumus pauci inter gentes, ubi diſpersíſti nos. Exáudi, Dómine, preces noſtras, & oratiónes noſtras, & educ nos propter te: & da nobis invenire gratiam ante fáciem eórum, qui nos abduxérunt: ut ſciat omnis terra quia tu es Dóminus Deus noſter, & quia nomen tuum invocátũ eſt ſuper Iſrael, & ſuper genus ipsíus. Réſpice, Dómine, de domo ſancta tua in nos, & inclína aurem tuam, & exáudi nos. Aperi óculos tuos, & vide: quia non mórtui, qui ſunt in inférno, quorum ſpíritus accéptus eſt à viſcéribus ſuis, dabunt honórem & juſtificatiónem Dómino: ſed ánima quæ triſtis eſt ſuper magnitúdine mali, & incédit curva, & infirma, & óculi deficiéntes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & juſtítiam Dómino.

℞. Intrávit sátanas in Judam: * Et locútus eſt cum princípibus ſacerdótum, & magiſtrátibus, quemádmodum Jeſum tráderet eis. ℣. Sedet peccátor in insídiis cum divítibus in óccultis, ut interfíciat innocéntem. * Et locútus. *Luc.* 22. 3. 4. *Pſal.* 9. 8.

Lectio iij. Cap. 4. v. 5. ad 13.

ANimæquior eſtó, pópulus Dei, memorábilis Iſrael; venúmdati eſtis géntibus non in perditiónem: ſed propter quod in ira ad iracundiam provocáſtis Deum, tráditi eſtis adversáriis. Exacerbaſtis enim eum qui fecit vos, Deum ætérnum, immolántes dæmóniis, & non Deo. Obliti enim eſtis Deum, qui nutrívit vos, & contriſtáſtis nutricem veſtram Jerúſalem. Vidit enim iracúndiam à Deo veniéntem vobis, & dixit: Audite, confines Sion, addúxit enim mihi Deus luctum magnum: Vidi enim captivitátem pópuli mei, filiorum meórum & filiárum, quam ſuperdúxit illis Ætérnus. Nutrívi enim illos cum jucunditáte: dimíſi autem illos cum fletu & luctu. Nemo gáudeat ſuper me víduã, & deſolátam: à multis derelicta ſum propter peccáta filiórum meorum, quia declinavérunt à lege Dei.

℞. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteos, * Decórum prétium, quo appretiátus ſum ab eis. ℣. Ait Judas: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituérunt ei trigínta argénteos, * Decórum. (*reſum.*) Appendérunt. *Zach.* 11. 12. 13. *Matth.* 26. 15.

AD LAUDES.

Appropinquat hora, quâ Filius hominis tradetur

℣. *Sacerdot.* Dómine, ne diſcéſſeris à me; ℞. Quó-

niam tribulátio próxima eſt. *Pſ.* 21. 12.

Ant. INvénta eſt conju- *t.* 1. *F.* rátio in viris Juda, & in habitatóribus Jeruſalem. *Jerem.* 11. 9.

Ant. t. 4. *A.* Detrahébant mihi; & quem máximè diligébam aversátus eſt me. *Job.* 19. 18. 19.

Ant. t. 7. *D.* Et quidem Fílius hóminis, ſecúndùm quod definítum eſt, vadit: verúmtamen, væ hómini illi, per quem tradétur. *Luc.* 22. 22.

Ant. t. 8. g. Quod ſcriptum eſt, opórtet impléri in me; étenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. *Luc.* 22. 37.

Ant. t. 2. *D.* Nunc ánima mea turbáta eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvífica me ex hac hora. *Joan.* 12. 27.

Capitulum. Jerem. 9. 7. 8.

HÆc dicit Dóminus: Quid fáciam à fácie fíliæ pópuli mei? Dolum locúta eſt: in ore ſuo pacem cum amíco ſuo lóquitur, & occúltè ponit ei insídias.

℣. Rédimet ánimam meam ab his qui appropínquant mihi;

℟. Quóniam inter multos erant mecum. *Pſal.* 54. 19.

Ad Benedíctus *Ant. t.* 2. *D.* Quærébat Judas Iſcariótes opportunitátem, ut tráderet eum ſine turbis. *Luc.* 22. 6.

Oratio.

RÆtende nobis miſericórdiam tuam, Dómine, qui ab infideli diſcípulo tradi pertuliſti; ut, ab ejus cæcitate alieni, te Salvatórem toto corde agnoſcámus, & in tua ſemper cruce gloriémur; Qui vivis & regnas.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus. Reliqua ut in Feria 2. *pag.* 268.

C A N O N

Ex Concílio Cabillonénſi.

An. 813. *Can.* 46.

IN perceptióne corporis & ſánguinis Domínici magna diſcrétio adhibénda eſt. Cavéndum eſt enim, ne, ſi nímiùm in longum diſferátur, ad perníciem ánimæ pertíneat, dicénte Dómino: Niſi manducavéritis carnem Fílii hóminis, non habébitis vitam in vobis. Si verò indiſcrétè accipiátur, timéndum eſt illud quod ait Apóſtolus: Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium ſibi mandúcat & bibit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Ephéſ. 5. 2.

CHriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetipſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo.

Hymnus. Vexílla Regis.

℣. Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuã, Dómine: ℟. Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti. *Pſal.* 118. 149. 150.

Ad Magníficat. *Ant. t.* 8. *C.* Magíſter dicit: Tempus meum propè eſt: apud te

& retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniã voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiã ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo, & uſque in ſæculum: * Fiat, fiat.

Ant. Edéntibus illis, dixit Jeſus: Qui intíngit mecum manum in parópſide, hic me tradet. *Matth.* 26. 21. 23.

Ant. 1. 8. g. Introívit.

PSALMUS 54.

Approximante tribulatione, conviſtatur Chriſtus; & luget quòd ab uno ex diſcipulis ſuis, homine unanimi & noto, tradendus ſit.

EXáudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónẽ meã: * inténde mihi, & exáudi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea; * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me; * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volabo, & requiéſcam?

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit * à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique;

Et ſi is, qui óderat me, ſuper me magna locútus fuíſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos, * & deſcéndant in inférnum viv éntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus ſalvábit me.

Véſperè, & manè, & merídie narrábo & annuntiábo; * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropín-

quant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſæcula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum; * exténdit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtaméntum ejus, divíſi ſunt ab ira vultûs ejus; * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum; * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos;* ego autem ſperábo in te, Dómine.

Ant. Introívit in Judam ſátanas: cùm ergo accepíſſet ille bucéllam, exívit contínuò. *Joan.* 13. 27. 30.

℣. Cor ejus congregávit iniquitátem ſibi: ℟. Egrediebatur foràs, & loquebátur in idípſum. *Pſal.* 40. 7. 8.

Hoc triduo dicto ſecretò, Pater, *leguntur Lectiones ſine benedictione.*

Incipit Lamentátio Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

QUómodo ſedet ſola cívitas plena pópulo? facta eſt quaſi vídua dómina géntium: princeps provinciárum facta eſt ſub tribúto. Plorãs plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus: non eſt qui conſolétur eam ex ómnibus charis ejus: omnes amíci ejus ſprevérunt eam, & facti ſunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem, & multitúdinem ſervitútis: habitávit inter gentes, nec invénit réquiem: omnes perſecutóres ejus apprehendérunt eam inter angúſtias. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui véniant ad ſolemnitátem: omnes portæ ejus deſtrúctæ: ſacerdótes ejus geméntes: vírgines ejus ſquálidæ, & ipſa oppréſſa amaritúdine. Facti ſunt hoſtes ejus in cápite, inimíci ejus locupletáti ſunt: quia Dóminus locútus eſt ſuper eam propter multitúdinem iniquitátum ejus: párvuli ejus ducti ſunt in captivitátem ante fáciem tribulántis. Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminũ Deũ tuum.

℟. Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: aures autem perfecíſti mihi. Holocáuſtum & pro peccáto non poſtuláſti: tunc dixi: * Ecce vénio: ut fácerem voluntátẽ tuam.
℣. Cœnántibus eis, accépit Jeſus panem, & ait: Hoc eſt corpus meum. Et accípiens cálicem, grátias egit, dicens: Hic eſt ſanguis meus novi teſtaménti. * Ecce vénio. *Pſ.* 39. 7. 8. 9. *Mat.* 26. 26. 27. 28.

Lectio ij. v. 6. ad 10.

ET egréſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus : facti ſunt príncipes ejus velut aríetes non inveniéntes páſcua : & abiérunt abſque fortitúdine ante faciem ſubſequéntis. Recordáta eſt Jeruſalem diérum afflictiónis ſuæ, & prævaricatiónis ómnium deſiderabílium ſuórũ, quæ habúerat à diebus antíquis, cùm cáderet pópulus ejus in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator : vidérũt eam hoſtes, & deriſérunt ſábbata ejus. Peccatum peccávit Jerúſalem, proptérea inſtábilis facta eſt : omnes qui glorificábant eam, ſprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam ejus : ipſa autem gemens convérſa eſt retrórſum. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta eſt finis ſui : depóſita eſt veheménter, non habens conſolatórem : vide, Dómine, afflictionem meam, quoniam eréctus eſt inimícus. Jerúſalem, &c.

℟. Inimici mei advérsùm me cogitabant mala mihi : verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me. *. Etenim homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantatiórem. ℣. Ut adimpleátur Scriptúra : Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum ſuum. * Etenim homo. *Pſal.* 40. 8. 9. 10. *Joan.* 13. 18.

Lectio iij. v. 10. ad 15.

MAnum ſuam miſit hoſtis ad ómnia deſiderabília ejus : quia vidit gentes ingréſſas ſanctuárium ſuum, de quibus præcéperas ne intrárent in Eccléſiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens, & quærens panem : dedérunt pretióſa quæque pro cibo ad refocillándam ánimam. Vide, Dómine, & consídera, quóniam facta ſum vilis. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, & vidéte ſi eſt dolor ſicut dolor meus : quóniam vindemiávit me, ut locútus eſt Dóminus, in die iræ furóris ſui. De excélſo miſit ignem in óſſibus meis, & erudívit me : expándi rete pédibus meis, convértit me retrórsũ. Póſuit me deſolátã, totâ die mœróre confectam. Vigilávit jugum iniquitátum meárum : in manu ejus convolútæ ſunt, & impóſitæ collo meo : infirmáta eſt virtus mea : dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere. Jerúſalem, &c.

℟. Si inimícus meus maledixíſſet mihi, ſuſtinuíſſem útiquè : * Tu verò, homo unánimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiébas cibos, in domo Dei ambulávimus cum conſénſu. ℣. Juda, óſculo Fílium hóminis tradis. * Tu verò.... (*reſum.*) Si inimícus. *Pſalm.* 54. 13. 14. 15. *Luc.* 22. 48.

IN II. NOCTURNO.

Christi oratio, & agonia in monte Oliveti.

Ant. 1. 8. *c.* Hymno dicto.

PSALMUS 37.

Christus à facie iniquitatum noſtrarum quas in ipſo Pater poſuit, conturbatus, à proximis derelictus, ab inimicis vexatus, Patris auxilium deprecatur.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me,* neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuã.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ;* non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ,* & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem:* totâ die contriſtátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei, * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes;* & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuũ;

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habés in ore tuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergáudeant mihi inimíci mei;* & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátẽ meã annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me;* & multiplicáti ſunt qui odérunt me iniquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequébar bonitátẽ.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutóriũ meũ, *

Dómine Deus ſalútis meæ.

Ant. Hymno dicto, exiérunt in montem Olivéti. Et aſſúmpto Petro, & duóbus filiis Zebedæi, cœpit contriſtári & mœſtus eſſe. *Matth.* 26. 30. 37.

Ant. t. 4. *A.* Appáruit.

PSALMUS 76.

Chriſti in tribulatione ſua & agonia ad Patrem clamores.

Voce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquiſívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non ſum decéptus.

Rénuit conſolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiã ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi; * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcétur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum; * in manu Móyſi & Aáron.

Ant. Appáruit illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agónia, prolíxiùs orábat. *Luc.* 22. 43.

Ant. t. 7. *D.* Factus eſt.

PSALMUS 68.

Chriſti orantis in monte Oliveti agonia, & aliæ paſſionis ejus circumſtantiæ.

Salvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meã.

Infixus ſum in limo profúndi; * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris; * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meum cilícium; * & factus ſum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui ſedébant in porta; * & in me pſallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meũ, & confuſiónem meã, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me: * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel; * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalũ.

Obſcuréntur óculi eórum ne videant; * & dorſum eórum ſemper incurva.

Effúnde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deſérta; * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meorum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum; * & non intrent in juſtitiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; * & cum juſtis non ſcribántur.

Ego ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novéllum, * cornua producéntem & úngulas.

Videant páuperes, & læténtur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. *Luc.* 22, 34.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis, ℟. Et torréntes iniquitátis conturbavérunt me. *Pſal.* 17. 5.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. de Paſſione Domini. 7.

INcipiéntes, dilectiſſimi, evangélicam de Paſſióne Dómini hiſtóriam retractáre, divíno intellígimus diſpoſítum fuiſſe consílio, ut ſacrílegi Judæórum príncipes & ímpii ſacerdótes nonníſi in ſolemnitáte Paſcháli exercéndi furóris ſui accíperent poteſtátem. Oportébat enim ut manifésto impleréntur effécta, quæ diu fúerant figuráto promíſſa myſtério: ut ovem ſignificatívam ovis vera removéret, & ut uno expleréur ſacrifício variárum differéntia victimárum. Ut ergo umbræ céderent córpori, & ceſſárent imágines ſub præséntia veritátis, antíqua obſervántia novo exclúditur ſacraménto; hóſtia in hóſtiam tranſit; ſánguine ſanguis aufértur; & legális feſtívitas dum mutátur, implétur. Providéntibus ergo princípibus, ne in die ſancto tumúltus orirétur, non devotióni, ſed facínori ſtudebátur, nec religióni ſerviébat hæc cura, ſed

crimini. Seditiónes turbárum fieri in præcípua ſolemnitáte metuébant; non ut pópulus non peccáret, ſed ne Chriſtus evádere. At Jeſus consílii ſui certus, & in ópere patérnæ diſpoſitiónis intrépidus, vetus teſtaméntum conſummábat, & novum Paſcha condébat.

℟. Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis: * Cor meum conturbátum eſt: derelíquit me virtus mea, & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum. ℣. Ait Jeſus diſcípulis ſuis: Triſtis eſt ánima mea uſque ad mortem. * Cor meum. *Pſal.* 37. 9. 11. *Matth.* 26. 38.

Lectio v.

DIſcumbéntibus enim diſcípulis ad edéndam myſticam cœnam cum in Caíphæ átrio tractarétur quómodo Chriſtus poſſet occídi, ille córporis & ſánguinis ſui órdinans ſacraméntum, docébat qualis Deo hóſtia debéret offérri, ne ab hoc quidem myſtério traditóre ſubmóto, ut oſtenderétur nullâ injúriâ exaſperátus, qui in voluntária erat impietáte præſcítus. Dicens itaque Dóminus: Amen dico vobis, quòd unus veſtrûm me traditúrus eſt, notam ſibi traditóris conſciéntiam monſtrávit: non aſperâ, nec apértâ ímpium increpatióne confúndens, ſed leni ac tácitâ admonitióne convéniens, ut facílius corrígeret pœnitúdo, quem nulla deformáſſet abjéctio. Cur, infelix Juda, tantâ benignitáte non úteris? redi in integrum, & depóſito furóre, reſipíſce. Cleméntia invítat, ſalus pulſat, ad vitam vita te révocat. Ecce innocéntes condiſcípuli tui ad ſignificatiónem facínoris expavéſcunt; & omnes ſibi, non édito impietátis auctóre, formídant. Contriſtáti enim ſunt, non de conſciéntiæ reátu; ſed de humanæ mutabilitátis incérto: timéntes ne minùs verum eſſet quod in ſe quiſque nóverat, quàm quod ipſa Véritas prædicébat. Tu autem abúteris Dómini patiéntiâ, & abſcóndi te tuâ credis audáciâ.

℟. Contriſtátus ſum in exercitatióne mea, quoniam declinavérunt in me iniquitátes: * Cor meum conturbátum eſt in me; & formído mortis cécidit ſuper me: timor & tremor venérunt ſuper me, & contexérunt me ténebræ. ℣. Progréſſus Jeſus puſíllum prócidit in fáciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſíbile eſt, tránſeat à me calix iſte. * Cor meum. *Pſal.* 54. 3. 4. 5. 6. *Matth.* 26. 39.

Lectio vj.

POſtquam Judas perſuáſus à diábolo, diſcéſſit à Chriſto, Dóminus omne témporis ſpátium quod à perſequéntium vacábat in-

cúrſu, myſticis ſermónibus, ſacratæque doctrínæ impéndit, adjíciens poſtrémò illam oratiónem, quâ ait: Pater, ſi fieri poteſt, tránſeat à me calix iſte. Ubi non exiſtimándum eſt quòd Dóminus Jeſus paſſiónem & mortem, cujus jam diſcípulis ſacraménta tradíderat, volúerit declináre.... In ſalvándis enim homínibus per crucem Chriſti commúnis volúntas erat Patris & Filii, communéque consílium, nec ullâ póterat ratióne turbári quod ante ætérna ſæcula, & misericórditer erat diſpóſitum, & incommutabíliter præfinítum... Cùm ítaque, dilectíſſimi, Dei Fílius dicit: Pater, ſi fíeri poteſt, tránſeat à me calix iſte, noſtræ útitur voce natúræ; & cauſam fragilitátis & trepidatiónis agit humánæ: ut in iis quæ toleránda ſunt, & patiéntia roborétur, & formído pellátur. Dénique ceſſans hoc pétere, excusáto quodámmodo noſtræ infirmitátis metu, in quo nobis remanére non éxpedit, in álium affectum tranſit, & dicit: Si non poteſt calix iſte tranſíre à me niſi bibam illum, fiat volúntas tua. Hæc vox cápitis, ſalus eſt totíus córporis.

℟. Inténde, Dómine, ánimæ meæ, & líbera eam. * Suſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; qui conſolarétur, & non invéni. ℣. Venit Jeſus ad diſcípulos ſuos, & invénit eos dormiéntes, & dicit Petro: Sic non potuíſtis unâ horâ vigiláre mecum. * Suſtínui. (*reſum.*) Inténde. *Pſal.* 68. 19. 21. *Matth.* 26. 40.

IN III. NOCTURNO.

Chriſtus à Juda traditur, ab inimicis comprehenditur, à ſuis derelinquitur.

Ant. 1. 3. *a.* Venit Judas.

PSALMUS 16.

Chriſtus à Juda proditus, & ab inimicis ſuis apprehenſus, animam ſuam ab impiis liberari precatur.

EXáudi, Dómine, juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examináſti; & non eſt invénta in me iníquitas;

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi; & exáudi verba mea.

Miríſica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperántes in te.

À reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem ſuum conclusérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt fíliis; * & dimisérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo: * ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. Venit Judas unus de duódecim, & cum eo turba multa cum gládiis & lignis, à ſummis ſacerdótibus, & ſcribis. *Marc.* 14. 43.

Ant. t. 1. *F.* Comprehendéntes,

PSALMUS 58.

Chriſtus inter inimicorum manus, ex innocentia ſua ſperat ſe ab illis liberandum.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum ſalva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam; * irruérunt in me fortes;

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * ſine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meũ, & vide: * & tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Iſraël,

Inténde ad viſitándas omnes gentes: * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam; & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es: * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei,

Diſpérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne, * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient, quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam; & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum; * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultábo manè miſericórdiam tuam;

Quia factus es ſuſcéptor meus, & refúgium meum * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſcéptor meus es; * Deus meus, miſericórdia mea.

Ant. Comprehendéntes Jeſum, duxérunt ad domum príncipis ſacerdótum. *Luc.* 22. 54.

Ant. *t.* 8. *C.* Príncipes.

PSALMUS 63.

Chriſtus contra inimicorum dolos & inſimulationes falſas, juſtitiam Patris deprecatur.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem;

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas: * intendérunt arcum, rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequam.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes, * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Príncipes ſacerdótum, & omne concílium quærébant falſum teſtimónium contra Jeſum, ut eum morti tráderent. *Matth.* 26. 59.

℣. Concílium fecérunt in unum

mum, ℟. Dicéntes : Perſequímini, & comprehéndite eum. *Pſal.* 70. 10. 11.

De Epiſtola prima beati Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 17. *ad* 23.

HOc præcípio : non laudans, quòd non in mélius, ſed in detériùs convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Eccléſiam, áudio ſciſsúras eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæreſes eſſe, ut & qui probáti ſunt, maniféſti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non eſt Domínicam cœnam manducáre. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidèm éſurit, álius autem ébrius eſt. Numquid domos non habétis ad manducándum & bibéndum ? aut Eccléſiam Dei contémnitis, & confúnditis eos, qui non habent ? Quid dicam vobis ? Laudo vos ? in hoc non laudo.

℟. Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt. * Projiciéntes me nunc circumdedérunt me ; ſuſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam ; & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis. ℣. Judas cùm accepíſſet cohórtem, & à Pontifícibus & Phariſæis miniſtros, venit cũ latérnis, & fácibus ; & armis. * Projiciéntes me. *Pſal.* 16. 9. 11. 12. *Joan.* 18. 3.

Lectio viij v. 23. *ad* 27.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quoniam Dóminus Jeſus in qua nocte tradebátur, accépit panẽ, & grátias agens fregit, & dixit : Accípite, & manducáte : hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meã commemoratiónem. Simíliter & cálicem, poſtquam cœnávit, dicens : Hic calix novum teſtaméntum eſt in meo sánguine : hoc fácite quotieſcúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotieſcúmque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Domini annuntiábitis donec véniat.

℟. Dóminus miſit me, ut prophetárem ad civitátem hanc : * Ego autem ecce in mánibus veſtris ſum : fácite mihi quod bonum & rectum eſt in óculis veſtris ; verúmtamen ſcitóte quòd ſi occidéritis me, ſánguinem innocéntem tradétis. ℣. Tamquam ad latrónem exíſtis cum gládiis & fúſtibus comprehéndere me : quotídie apud vos ſedébam docens in templo, & non me tenuíſtis. * Ego autem. *Jerem.* 26. 12. 14. 15. *Matth.* 26. 55.

Lectio ix. v. 27. *ad finem.*

ITaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè, reus erit córporis

& ſánguinis Dómini. Próbet autem ſe ípſum homo: & ſic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè: judícium ſibi mandúcat & bibit; non dijúdicans corpus Dómini. Ideò inter vos multi infírmi & imbecílles, & dórmiunt multi. Quòd ſi nosmetípſos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cùm convenítis ad manducándum, ínvicem expectáte. Si quis éſurit, domi mandúcet, ut non in judícium conveniátis. Cætera autem, cùm vénero, diſpónam.

℟. In me tranſiérunt iræ tuæ: circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; circumdedérunt me ſimul: * Elongáſti à me amícum & próximum, & notos meos à miséria. ℣. Ut adimpleréntur Scriptúræ, tunc diſcípuli omnes, relícto eo, fugérunt.. * Elongáſti. (*reſum.*) In me tranſiérunt. *Pſal.* 87. 17. 18. 19. *Matth.* 26. 56.

Non dicitur Verſus, nec Deus, in adjutórium, *ad Laudes, ſed abſolutè inchoatur ab Antiph.*

AD LAUDES.

Ant. 1. 2. *D.* Ego erudívi.

PSALMUS 6.

Oratio Chriſti tribulati opem implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valdè: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátẽ; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertánſur & erubéſcant valdè velóciter.

Ant. Ego erudívi eos: & in me cogitavérunt malítiã. *Oſee.* 7. 15.

Ant. t. 4. *A.* Dixérunt.

PSALMUS 7.

Chriſtus à perſequentibus liberari, & ſecundùm innocentiam ſuam judicari poſtulat.

DOmine Deus meus, in te ſperávi; * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me, & líbera me:

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non eſt qui rédimat, neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus, ſi feci iſtud; * ſi eſt iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Perſequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandáſti; * & ſynagóga populórum circúmdabit te:

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos;

Júdica me, Dómine, ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum, & díriges juſtum, * ſcrutans corda & renes Deus.

Juſtum adjutórium meum à Dómino, * qui ſalvos facit rectos corde:

Deus judex juſtus, fortis, & pátiens; * numquid iráſcitur per ſíngulos dies?

Niſi convérſi fuéritis, gládium ſuum vibrábit; * arcum ſuum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vaſa mortis; * ſagíttas ſuas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam; * concépit dolorem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus deſcéndet.

Confitébor Dómino ſecúndùm juſtítiam ejus; * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Dixérunt: Devorábimus: en iſta eſt dies, quam expectabámus invénimus, vídimus. *Thren.* 2. 16.

Ant. t. 7. *D.* Nunc in meteípſo.

PSALMUS 12.

Pia Chriſti in adverſitatibus ſuis deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur ini-

mícus meus ſuper me? * réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte; * nequándo dicat inimícus meus; Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo; * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Nunc in memetípſo marcéſſit ánima mea, & poſſídent me dies afflictiónis. *Job.* 30. 16.

Ant. *t.* 1. *a.* Conclúſit.

CANTICUM. 2. *Reg.* 22. 2.

DOminus petra mea, & robur meum, * & ſalvátor meus.

Deus fortis meus, ſperábo in eum: * ſcutum meum, & cornu ſalútis meæ:

Elevátor meus, & refúgium meū; * ſalvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum, * & ab inimícis meis ſalvus ero,

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis; * torréntes Bélial terruérunt me.

Funes inférni circumdedérunt me: * prævenérunt [illegible] láquei mortis.

[illegible]ibulatióne mea invo-[illegible]minum: * & ad Deū

meum clamábo:

Et exáudiet de templo ſuo vocem meam, * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. Conclúſit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. *Job.* 16. 12.

Ant. *t.* 8. *c.* Noti mei.

PSALMUS 145.

In Deo ſolo fiducia collocanda.

LAuda, ánima mea, Dóminum; * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob, adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit eliſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónē & generatiónē.

Ant. Noti mei quaſi aliéni receſſérunt à me: & qui me nóverant, obliti ſunt mei. *Job.* 19. 13. 14.

Ad Bened. ſine Capitulo inchoatur

Ant. t. 1. a. Póntifex anni illíus Caïphas, consilium déderat Judæis: Quia expedit, unum hóminem mori pro pópulo. *Joan.* 18. 13. 14.

Dum dicitur prædicta Antiphona, exeunt è Choro Subdiaconus, Diaconus, & Presbiter, dicturi, ſecreto loco, Preces quæ ſequuntur: in Choro autem genuflectitur.

Diac. KYrie, eléiſon.
Sacer. Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.
Subdiac... Kyrie, eléiſon
Chorus.. Mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.
Diac..... Kyrie, eléiſon.
Sacerdos... Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.
Subdiac... Chriſte, eléiſon.
Chorus.. Qui exaltátus à terra, ómnia traxíſti ad teípſum. *Joan.* 12. 32.
Diac..... Chriſte, eléiſon.
Chorus... Qui per Prophétam dixíſti: Ero mors tua, ô mors! *Oſee.* 13. 14.
Subdiac.. Chriſte, eléiſon.
Chorus.. *Qui per mortem* deſtruxíſti eũ qui habébat mortis impériũ. *Hebr.* 2. 14.
Diac..... Kyrie, eléiſon.
Chorus.... Chriſtus tráditus eſt propter delícta noſtra. *Rom.* 4. 25.
Subdiac... Kyrie, eléiſon.
Sacerdos... Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.
Diac..... Kyrie, eléiſon.
Chorus.. Chriſtus Dóminus factus eſt obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8.

Qui præeſt Choro dicit mediocri voce: Mortem autem crucis. *Philip.* 2. 8. *Poſt, dicto ſecretò* Pater noſter, *dicitur clarâ voce Pſalmus* Miſerére meî, Deus; *quo finito, major Perſona Chori dicit ſine Oremus.*

RÉſpice, quæſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis ſubíre torméntum. *Secretò dicit* Qui tecum vivit.

Dictâ Oratione, fit aliquantulus ſtrepitus, & omnes cum ſilentio diſcedunt.

AD HORAS.

Hoc tridno Horæ breves, non cantantur in Choro, ſed privatim dicuntur. Dictis, Pater, *&* Ave, *ſine* Deus, in adjutórium; *& ſine Hymno & Antiphona, dicuntur ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam Pſalmi de Dominica.*

…*tio quòd ad Primam loco* … Confitémini, *dicitur Pſ.* … us, in nómine tuo ſalvum … fac. *pag.* 53.

Finitis Pſalmis dicitur An…*ph.* Chriſtus factus eſt pro nobis obédiẽs uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8. *Deinde Pſal.* Miſerére mei, *flexis genibus & Oratio* Réſpice, quæſumus.

Tribus hiſce diebus, omittuntur Officium Capituli, Lectio Martyrologii & Canonis.

AD VESPERAS.

Hodie & cras Veſperæ non cantantur, ſed recitantur tantùm in Choro: Antiph. omnes duplicantur.

Dictis ſecretò, Pater, *&* Ave, *abſolutè incipitur ab*

Ant. Spíritus oris noſtri Chriſtus Dóminus captus eſt in peccátis noſtris. *Thren.* 4. 20.

Pſalmus 114. Diléxi, quóniam exáudiet. *pag.* 137.

Ant. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit, & non apéruit os ſuum. *Iſ.* 53. 7.

Pſalmus 115. Crédidi propter quod, *pag.* 82.

Ant. Dabit percutiénti ſe maxíllam, ſaturábitur opprobriis. *Thren.* 3. 30.

Pſal. 119. Ad Dóminum cùm tribulárer. *pag.* 137.

Ant. Sicut ovis ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondénte ſe obmutéſcet. *Iſ.* 53. 7.

Pſal. 120. Levávi óculos meos. *pag.* 64.

Ant. In ſciéntia ſua juſtificábit multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſ.* 53. 11.

Pſal. 122. Ad te levávi óculos meos. *pag.* 47.

Capit. Hymnus. & ℣. *non dicuntur.*

Ad Magnif. *Ant.* Vos ſcándalum patiémini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percútiam paſtórem, & diſpergéntur oves gregis. *Mat.* 26. 31.

Oratio. Réſpice, quæſumus, &c. *ut ſuprà.*

Completorium dicitur privatim, & inchoatur à Pſalmo Cùm invocárem. *Poſt Pſal. conſuetos continuò dicitur,* Nunc dimíttis: *poſtea* Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8. Pater noſter, & *Pſal.* Miſerére mei. *Oratio. &c.* Réſpice, quæſumus, Dómine, &c.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE

AD OFFIC. NOCT.

IN I. NOCTURNO.

In concilio ſacerdotum Chriſtus ſiſtitur, & colaphis cæditur.

Ant. 1. 8. 9. Ut factus eſt dies.

PSALMUS 34.

Chriſtus ab iniquo inimicoru[m] *judicio, & à falſa teſti*[um] *criminatione liberari depre*[ca]*tur.*

JUdica, Dómine, noc[éntes me; * expúgna im]…gnántes me.

Apprehénde arma &…

tum; * & exúrge in adjutórium mihi,

Effúnde frámeā, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundántur, & revereántur * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & confundántur, * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum: * & Angelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui: * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis ſímilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus: * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Surgéntes teſtes iníqui: * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meā: * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne: * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meā à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna: * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè: * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur: * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum; * dixérunt, Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne ſíleas: * Dómine, ne diſcédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo: * Deus meus & Dóminus meus, in cauſam meā.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant; Devorávimus eum.

Erubéſcant & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & lætentur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper; Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Ut factus eſt dies, convenérunt ſeniores plebis & príncipes ſacerdotum, & duxérunt Jeſum in conciliũ. *Luc.* 22. 66.

Ant. t. 1. *F.* Cœpérunt.

PSALMUS 55.

Chriſtus ab impiis impugnatus, in Patre ſolatium quærit.

MIſerére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego vero in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervabunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimã meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meã annuntiávi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm: * in quacúmque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbũ, in Dómino laudábo ſermónẽ: * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi:

Quóniam eripuíſti ánimã meã de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine viventium.

Ant. Cœpérunt conſpúere eum, & veláre fáciem ejus, & cólaphis eum cædere. *Marc.* 14. 65.

Ant. t. 4. *A.* Princeps ſacerdótum.

PSALMUS 57.

Chriſtus judices ſuos iniquitatis arguit, & illis vindictam prænuntiat.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concinnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens; * inténdit arcum ſuum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Ant. Princeps ſacerdótum ſcidit veſtiménta ſua, dicens: Blaſphemávit: quid adhuc egémus téſtibus? ecce nunc audíſtis blaſphémiam. *Matth.* 26. 65.

℣. Deus Iſrael, propter te ſuſtínui oppróbrium:

℟. Opéruit confúſio fáciem meam. *Pſalm.* 68. 7. 8.

De Lamentatióne Jeremiæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 10.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit, & addúxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convértit manum ſuam totâ die. Vetúſtam fecit pellem meam, & carnem meam; contrívit oſſa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle, & labóre. In tenebróſis collocávit me, quaſi mórtuos ſempitérnos. Circumædificávit advérsùm me, ut non egrédiar; aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero, & rogávero, exclúſit oratiónem meam. Concluſit vias meas lapídibus quadris, ſémitas meas ſubvértit. Jerúſalem, Jerúſalē, convértere ad Dñum Deum tuū.

℟. Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas tribulántiū me: quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui; * Et mentíta eſt iníquitas ſibi. ℣. Quidam ſurgéntes, falſum teſtimónium ferébant advérsùs Jeſum: & non erat convéniens teſtimónium illórum. * Et mentíta eſt. *Pſal.* 26. 12. *Marc.* 14. 57. 59.

Lectio ij. v. 12. *ad* 22.

TEténdit arcum ſuum, & póſuit me quaſi ſignum ad ſagíttam. Miſit in rénibus meis fílias pháretræ ſuæ. Factus ſum in deriſum omni pópulo meo, cánticum

eorum totâ die. Replévit me amaritudínibus, inebriávit me abſynthio. Et fregit ad númerum dentes meos, cibávit me cínere. Et repúlſa eſt à pace ánima mea, oblítus ſum bonórum. Et dixi: Périit finis meus, & ſpes mea à Dómino. Recordáre paupertátis, & tranſgreſſiónis meæ, abſynthii, & fellis. Memóriâ memor ero, & tabéſcet in me ánima mea. Hæc récolens in corde meo, ideò ſperábo. Jerúſalem.

℟. Ego non contradíco: retrórsùm non ábii. * Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas vellέntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus, & conſpuéntibus in me. ℣. Expuérunt in fáciem Jeſu, & cólaphis eum cecidérunt, álii autem palmas in fáciem ejus dedérunt, dicéntes: Prophetíza nobis, quis eſt qui te percúſſit. * Corpus meum. *Iſ.* 50. 5. 6. *Matt.* 26. 67. 68.

Lectio iij. v. 52. *ad* 65.

VEnatióne cepérunt me quaſi avem inimíci mei gratis. Lapſa eſt in lacum vita mea: & poſuérunt lápidem ſuper me. Inundavérunt aquæ ſuper caput meum; dixi: Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu noviſſimo. Vocem meam audíſti: ne avértas aurem tuam à ſingúltu meo, & clamóribus. Appropinquáſti in die quando invocávi te; dixíſti: Ne tímeas. Judicáſti, Dómine, cauſam ánimæ meæ, redémptor vitæ meæ. Vidíſti, Dómine, iniquitátem illórum advérsùm me. Júdica judícium meum. Vidíſti omnem furórem, univérſas cogitatiónes eórũ advérsũ me. Audíſti oppróbriũ eórũ, Dómine, omnes cogitatiónes eórum advérsùm me: labia inſurgéntium mihi, & meditatiónes eórum advérsùm me totâ die. Seſſiónem eórum, & reſurrectiónem eórum vide; ego ſum pſalmus eórum. Reddes eis vicem, Dómine, juxta ópera mánuum ſuárum.

℟. Locúti ſunt ſacerdótes & prophétæ ad omnem pópulum, dicéntes: * Judícium mortis eſt viro huic; quia prophetávit advérsùs civitátem iſtam, ſicut audíſtis áuribus veſtris. ℣. Venérunt duo falſi teſtes, & dixérunt: Hic dixit: Poſſum deſtrúere templum Dei, & poſt tríduum reædificáre illud. * Judícium. (*reſum.*) Locúti ſunt. *Jerem.* 26. 11. *Matth.* 26. 60. 61.

IN II. NOCTURNO.

Ad Pilatum ducitur, flagellis cæditur, ſpinis coronatur.

Ant. t. 7. D. Surgens omnis multitúdo.

PSALMUS 38.

Chriſtus inimicorum ſuorum calumnias ſuſtinens, patientiam ſuam Patri exhibet.

DIxi: Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam,* cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis; * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardéſcet ignis:

Locútus ſum in lingua mea; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt, * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos;* & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur:

Theſaurízat; * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meũ, * quóniã tu feciſti:

Amove à me plagas tuas;* à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuíſti hóminem, & tabéſcere fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne ſileas; quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquàm ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Surgens omnis multitúdo eórum duxérunt illum ad Pilátum: cœpérunt autem illum accusáre. *Luc.* 23. 1. 2.

Ant. 1. 8. *C.* Dimíſit.

PSALMUS 61.

Chriſtus inimicorum voluntati traditus, ſpem ſuam firmam in Patre collocat.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus; * ſuſcéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tamquã paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in ſtatéris, * ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Dimíſit illis Pilátus Barrábbam: Jeſum autem flagellátum trádidit eis. *Matth.* 27. 26.

Ant. 1. 4. *A.* Mílites.

PSALMUS 108.

Chriſtus à Juda tráditus, ab inimicis illuſus, vi dolorum infirmatus Patris opem deprecatur.

DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolóſâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Conſtitue ſuper eum peccatórem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et induit maledictiónem

ſicut veſtiméntū; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum, quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsùs ánimam meam.

Et tu, Dómine Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meū conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſecúndùm miſericórdiam tuā.

Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fecíſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur ſicut diplóide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia áſtitit à dextris páuperis, * *ut ſalvam fáceret à* perſequéntibus ánimam meā.

Ant. Mílites plecténtes corónam de ſpinis, poſuérunt ſuper caput ejus: & poſtquā illusérunt ei, duxérunt eum ut crucifígerent. *Matth.* 27. 29. 31.

℣. Subſannavérunt me ſubſannatióne; ℟. Frenduérunt ſuper me déntibus ſuis. *Pſalm.* 34. 16.

Ex tractátu ſancti Cypriáni Mártyris, de bono patiéntiæ.

Circa initium.

Lectio iv.

IN Judæis tolerándis æquanímitas quanta, & quanta Chriſti patiéntia! incrédulos ad fidem ſuadéndo fléctere, obséquio ingrátos fovére, contradicéntibus lénitèr reſpondére, ſupérbos ſuſtinére cleménter, humíliter perſequéntibus cédere, Prophetárum interfectóres, & advérsùs Deum rebélles, uſque ad crucis & paſſiónis horam, velle collígere. Sub ipsâ autē paſſióne & cruce, priúſquam ad crudelitátem necis & effuſiónem sánguinis venirétur, quæ convitiórum probra patiénter audíta! quæ contumeliárum toleráta ludíbria? ut inſultántium ſputámina patiénter excíperet, qui ſputo ſuo cæci óculos paulò ante formáſſet, & in cujus nómine à ſervis nunc ejus, diábolus cum ángelis ſuis flagellátur, flagélla ipſe paterétur. Coronarétur ſpinis, qui mártyres flóribus corónat ætérnis.

inimicus meus ſuper me? * réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte; * nequándo dicat inimícus meus; Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exaltábit cor meum in ſalutári tuo; * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Nunc in memetípſo marcéſſit ánima mea, & poſſident me dies affliĉtiónis. *Job.* 30. 16.

Ant. t. 1. a. Conclúſit.

CANTICUM. 2. *Reg.* 22. 2.

DOminus petra mea, & robur meum, * & ſalvátor meus.

Deus fortis meus, ſperábo in eum; * ſcutum meum, & cornu ſalútis meæ:

Elevátor meus, & refúgium meũ; * ſalvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum, * & ab inimícis meis ſalvus ero,

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis; * torréntes Bélial terruérunt me.

Funes inférni circumdedérunt me: * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocábo Dóminum: * & ad Deũ meum clamábo:

Et exáudiet de templo ſuo vocem meam, * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. Conclúſit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. *Job.* 16. 12.

Ant. t. 8. c. Noti mei.

PSALMUS 145.

In Deo ſolo fiducia collocanda.

LAuda, ánima mea, Dóminum; * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob, adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit eliſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónẽ & generatiónẽ.

Ant. Noti mei quaſi aliéni receſſérunt à me: & qui me nóverant, oblíti ſunt meî. *Job.* 19. 13. 14.

Ad Bened. *ſine Capitulo dicuntur*

Ant. 1. *a.* Póntifex anni illíus Caïphas, conſilium déderat Judæis: Quia éxpedit, unum hóminem mori pro pópulo. *Joan.* 18. 13. 14.

Dum dicitur prædicta Antiphona, exeunt è Choro Subdiaconus, Diaconus, & Presbiter, dicturi, ſecreto loco, Preces quæ ſequuntur: in Choro autem genuflectitur.

Diac. KYrie, eléiſon.

Sacer. Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Subdiac... Kyrie, eléiſon

Chorus... Mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Diac..... Kyrie, eléiſon.

Sacerdos... Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Subdiac... Chriſte, eléiſon.

Chorus... Qui exaltátus à terra, ómnia traxíſti ad teípſum. *Joan.* 12. 32.

Diac..... Chriſte, eléiſon.

Chorus... Qui per Prophétam dixíſti: Ero mors tua, ô mors! *Oſee.* 13. 14.

Subdiac.. Chriſte, eléiſon.

Chorus... Qui per mortem deſtruxíſti eũ qui habébat mortis impériũ. *Hebr.* 2. 14.

Diac..... Kyrie, eléiſon.

Chorus.... Chriſtus tráditus eſt propter delícta noſtra. *Rom.* 4. 25.

Subdiac... Kyrie, eléiſon.

Sacerdos... Dómine, miſeréré noſtrî. *Iſ.* 33. 2.

Diac..... Kyrie, eléiſon.

Chorus... Chriſtus Dóminus factus eſt obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8.

Qui præeſt Choro dicit mediocri voce: Mortem autem crucis. *Philip.* 2. 8. *Poſt, dicto ſecretò* Pater noſter, *dicitur clarâ voce Pſalmus* Miſeréré meî, Deus; *quo finito, major Perſona Chori dicit ſine Oremus.*

RÉſpice, quæſumus, Dómine, ſuper hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noſter Jeſus Chriſtus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis ſubíre torméntum. *Secretò dicit* Qui tecum vivit.

Dictâ Oratione, fit aliquantulus ſtrepitus, & omnes cum ſilentio diſcedunt.

AD HORAS.

Hoc triduo Horæ breves, non cantantur in Choro, ſed privatim dicuntur. Dictis, Pater, *&* Ave, *ſine* Deus, in adjutórium; *& ſine Hymno & Antiphona, dicuntur ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam Pſalmi de Dominica.*

excepto quòd ad Primam loco Pſal. Confitémini, *dicitur Pſ.* Deus, in nómine tuo ſalvum me fac. *pag.* 53.

Finitis Pſalmis dicitur Antiph. Chriſtus factus eſt pro nobis obédiẽs uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8. *Deinde Pſal.* Miſerére meî, *flexis genibus & Oratio* Réſpice, quæſumus.

Tribus hiſce diebus, omittuntur Officium Capituli, Lectio Martyrologii & Canonis.

AD VESPERAS.

Hodie & cras Veſperæ non cantantur, ſed recitantur tantùm in Choro: Antiph. omnes duplicantur.

Dictis ſecretò, Pater, *&* Ave, *abſolutè incipitur ab Ant.* SPíritus oris noſtri Chriſtus Dóminus captus eſt in peccátis noſtris. *Thren.* 4. 20.

Pſalmus 114. Diléxi, quóniam exáudiet. *pag.* 137.

Ant. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit, & non apéruit os ſuum. *Iſ.* 53. 7.

Pſalmus 115. Crédidi propter quod, *pag.* 82.

Ant. Dabit percutiénti ſe maxíllam, ſaturábitur oppróbriis. *Thren.* 3. 30.

Pſal. 119. Ad Dóminum cùm tribulárer. *pag.* 137.

Ant. Sicut ovis ad occiſiónem ducétur, & quaſi agnus coram tondénte ſe obmutéſcet. *Iſ.* 53. 7.

Pſal. 120. Levávi óculos meos. *pag.* 64.

Ant. In ſciéntia ſua juſtificábit multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſ.* 53. 11.

Pſal. 122. Ad te levávi óculos meos. *pag.* 47.

Capit. Hymnus. & ℣. non dicuntur.

Ad Magnif. *Ant.* Vos ſcándalum patiémini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim; Percútiam paſtórem, & diſpergéntur oves gregis. *Mat.* 26. 31.

Oratio. Réſpice, quæſumus, &c. *ut ſuprà.*

Completorium dicitur privatim, & inchoatur à Pſalmo Cùm invocárem. *Poſt Pſal. conſuetos continuò dicitur,* Nunc dimíttis: *poſtea* Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8. Pater noſter, & *Pſal.* Miſerére meî. *Oratio. &c.* Réſpice, quæſumus, Dómine, &c.

FERIA SEXTA
IN PARASCEVE.
AD OFFIC. NOCT.
IN I. NOCTURNO.

In concilio ſacerdotum Chriſtus ſiſtitur, & colaphis cæditur.

Ant. t. 8. *g.* Ut factus eſt dies.

PSALMUS 34.

Chriſtus ab iniquo inimicorum judicio, & à falſa teſtium criminatione liberari deprecatur.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & ſcu-

tum; * & exúrge in adjutórium mihi,

Effúnde frámeã, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundántur, & revereántur * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsùm, & confundántur, * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum: * & Angelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui: * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat; & cáptio quam abſcóndit apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis ſímilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus: * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Surgéntes teſtes iníqui: * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meã: * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam: * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne: * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meã à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléſia magna: * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè: * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur: * & in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum; * dixérunt, Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne ſíleas: * Dómine, ne diſcédas à me.

Exúrge, & inténde judício meo: * Deus meus & Dóminus meus, in cauſam meã.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant; Devorávimus eum.

Erubéſcant & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper; Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Ut factus eſt dies, convenérunt ſeniores plebis & príncipes ſacerdotum, & duxérunt Jeſum in conciliū. *Luc.* 22. 66.

Ant. t. 1. *F.* Cœpérunt.

PSALMUS 55.

Chriſtus ab impiis impugnatus, in Patre ſolatium quærit.

MIſerére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervabunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimā meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meā annuntiávi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm: * in quacúmque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbū, in Dómino laudábo ſermónē: * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi:

Quóniam eripuíſti ánimā meā de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Cœpérunt conſpúere eum, & veláre fáciem ejus, & cólaphis eum cædere. *Marc.* 14. 65.

Ant. t. 4. *A.* Princeps ſacerdótum.

PSALMUS 57.

Chriſtus judices ſuos iniquitatis arguit, & illis vindictam prænuntiat.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concinnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum; * molas leónum confringet Dóminus.

Ad nihilum devénient tanquam aqua decúrrens; * inténdit arcum ſuum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Ant. Princeps ſacerdótum ſcidit veſtiménta ſua, dicens: Blaſphemávit: quid adhuc egémus téſtibus? ecce nunc audíſtis blaſphémiam. *Matth.* 26. 65.

℣. Deus Iſrael, propter te ſuſtínui oppróbrium:

℟. Opéruit confúſio fáciem meam. *Pſalm.* 68. 7. 8.

De Lamentatióne Jeremiæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 10.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit, & addúxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convértit manum ſuam totâ die. Vetúſtam fecit pellem meam, & carnem meam; contrívit oſſa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle, & labóre. In tenebróſis collocávit me, quaſi mórtuos ſempitérnos. Circumædificávit advérsùm me, ut non egrédiar; aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero, & rogávero, exclúſit oratiónem meam. Concluſit vias meas lapídibus quadris, ſémitas meas ſubvértit. Jeruſalem, Jerúſalẽ, convértere ad Dñum Deum tuũ.

℟. Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas tribulántiũ me: quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui; * Et mentíta eſt iníquitas ſibi. ℣. Quidam ſurgéntes, falſum teſtimónium ferébant advérsùs Jeſum: & non erat convéniens teſtimónium illórum. * Et mentíta eſt. *Pſal.* 26. 12. *Marc.* 14. 57. 59.

Lectio ij. v. 12. *ad* 22.

TEtendit arcum ſuum, & póſuit me quaſi ſignum ad ſagíttam. Miſit in rénibus meis fílias pháretræ ſuæ. Factus ſum in deríſum omni pópulo meo, cánticum

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant; Devorávimus eum.

Erubéſcant & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & læténtur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper; Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Ant. Ut factus eſt dies, convenérunt ſenióres plebis & príncipes ſacerdótum, & duxérunt Jeſum in conciliũ. *Luc.* 22. 66.

Ant. t. 1. *F.* Cœpérunt.

PSALMUS 55.

Chriſtus ab impiis impugnatus, in Patre ſolatium quærit.

MIſerére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudábo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meum obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimã meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meã annuntiávi tibi; * posuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm: * in quacúmque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbũ, in Dómino laudábo ſermónẽ: * in Deo ſperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi:

Quóniam eripuíſti ánimã meã de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Cœpérunt conſpúere eum, & veláre fáciem ejus, & cólaphis eum cædere. *Marc.* 14. 65.

Ant. t. 4. *A.* Princeps ſacerdótum.

PSALMUS 57.

Chriſtus judices ſuos iniquitatis arguit, & illis vindictam prænuntiat.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tàmquam aqua decúrrens; * inténdit arcum ſuum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquam intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Ant. Princeps ſacerdótum ſcidit veſtiménta ſua, dicens: Blaſphemávit: quid adhuc egémus téſtibus? ecce nunc audíſtis blaſphémiam. *Matth.* 26. 65.

℣. Deus Iſrael, propter te ſuſtínui oppróbrium:

℟. Opéruit confúſio fáciem meam. *Pſalm.* 68. 7. 8.

De Lamentatióne Jeremiæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 10.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit, & addúxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convértit manum ſuam totâ die. Vetúſtam fecit pellem meam, & carnem meam; contrívit oſſa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle, & labóre. In tenebróſis collocávit me, quaſi mórtuos ſempitérnos. Circumædificávit advérsùm me, ut non egrédiar; aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero, & rogávero, exclúſit oratiónem meam. Concluſit vias meas lapídibus quadris, ſémitas meas ſubvértit. Jerúſalem, Jerúſalē, convértere ad Dñum Deum tuū.

℟. Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas tribulántiū me: quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui; * Et mentíta eſt iníquitas ſibi. ℣. Quidam ſurgéntes, falſum teſtimónium ferébant advérſùs Jeſum: & non erat convéniens teſtimónium illórum. * Et mentíta eſt. *Pſal.* 26. 12. *Marc.* 14. 57. 59.

Lectio ij. v. 12. *ad* 22.

TEténdit arcum ſuum, & póſuit me quaſi ſignum ad ſagíttam. Miſit in rénibus meis fílias pháretræ ſuæ. Factus ſum in deríſum omni pópulo meo, cánticum

eórum totâ die. Replévit me amaritudínibus, inebriávit me abſynthio. Et fregit ad númerum dentes meos, cibávit me cínere. Et repúlſa eſt à pace ánima mea, oblítus ſum bonórum. Et dixi: Périit finis meus, & ſpes mea à Dómino. Recordáre paupertátis, & tranſgreſſiónis meæ, abſynthii, & fellis. Memóriâ memor ero, & tabéſcet in me ánima mea. Hæc récolens in corde meo, ideò ſperábo. Jerúſalem.

℟. Ego non contradíco: retrórsùm non ábii. * Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus, & conſpuéntibus in me. ℣. Expuérunt in fáciem Jeſu, & cólaphis eum cecidérunt, álii autem palmas in fáciem ejus dedérunt, dicéntes: Prophetíza nobis, quis eſt qui te percúſſit. * Corpus meum. *Iſ.* 50. 5. 6. *Matt.* 26. 67. 68.

Lectio iij. v. 52. *ad* 65.

VEnatióne cepérunt me quaſi avem inimíci mei gratis. Lapſa eſt in lacum vita mea: & poſuérunt lápidem ſuper me. Inundavérunt aquæ ſuper caput meum; dixi: Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu noviſſimo. Vocem meam audíſti: ne avértas aurem tuam à ſingúltu meo, & clamóribus. Appropinquáſti in die quando invocávi te; dixíſti: Ne tímeas. Judicáſti, Dómine, cauſam ánimæ meæ, redémptor vitæ meæ. Vidíſti, Dómine, iniquitátem illórum advérsùm me. Júdica judícium meum. Vidíſti omnem furórem, univérſas cogitatiónes eórũ advérsũ me. Audíſti oppróbriũ eórũ, Dómine, omnes cogitatiónes eórum advérsùm me: lábia inſurgéntium mihi, & meditatiónes eórum advérsùm me totâ die. Seſſiónem eórum, & reſurrectiónem eórum vide; ego ſum pſalmus eórum. Reddes eis vicem, Dómine, juxta ópera mánuum ſuárum.

℟. Locúti ſunt ſacerdótes & prophétæ ad omnem pópulum, dicéntes: * Judícium mortis eſt viro huic; quia prophetávit advérsùs civitátem iſtam, ſicut audíſtis áuribus veſtris. ℣. Venérunt duo falſi teſtes, & dixérunt: Hic dixit: Poſſum deſtrúere templum Dei, & poſt tríduum reædificáre illud. * Judícium. (*reſum.*) Locúti ſunt. *Jerem.* 26. 11. *Matth.* 26. 60. 61.

IN II. NOCTURNO.

Ad Pilatum ducitur, flagellis cæditur, ſpinis coronatur.

Ant. t. 7. *D.* Surgens omnis multitúdo.

PSALMUS 38.

Chriſtus inimicorum ſuorum calumnias ſuſtinens, patientiam ſuam Patri exhibet.

DIxi: Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam,* cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui, & humiliátus ſum, & ſílui à bonis; * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardéſcet ignis:

Locútus ſum in lingua mea; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt, * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos; * & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur:

Theſaurízat; * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium inſipiénti dedíſti me.

Obmútui, & non apérui os meũ, * quóniã tu fecíſti:

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuíſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne ſíleas; quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquàm ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Surgens omnis multitúdo eórum duxérunt illum ad Pilátum: cœpérunt autem illum accusáre. *Luc.* 23. 1. 2.

Ant. 8. C. Dimíſit.

PSALMUS 61.

Chriſtus inimicorum voluntati traditus, ſpem ſuam firmam in Patre collocat.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus; * ſuſcéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tamquã paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & Salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in ſtatéris, * ut decípiant ipſi de vanitáte in idípſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Dimíſit illis Pilátus Barrábbam: Jeſum autem flagellátum trádidit eis. *Matth.* 27. 26.

Ant. 2. 4. *A.* Mílites.

PSALMUS 108.

Chriſtus à Juda traditus, ab inimicis illuſus, vi dolorum infirmatus Patris opem deprecatur.

Deus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Conſtitue ſuper eum peccatórem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & diripiant aliéni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem

ſicut veſtiméntũ ; * & intrá-vit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum, quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsùs ánimam meam.

Et tu, Dómine Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuávis eſt miſericórdia tua.

Líbera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meũ conturbátum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excúſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſecúndùm miſericórdiam tuã.

Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fecíſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur ſicut diplóide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia áſtitit à dextris páuperis, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meã.

Ant. Mílites plecténtes corónam de ſpinis, poſuérunt ſuper caput ejus: & poſtquã illusérunt ei, duxérunt eum ut crucifígerent. *Matth.* 27. 29. 31.

℣. Subſannavérunt me ſubſannatióne; ℟. Frenduérunt ſuper me déntibus ſuis. *Pſalm.* 34. 16.

Ex tractátu ſancti Cypriáni Mártyris, de bono patiẽtiæ.

Circa initium.

Lectio iv.

In Judæis tolerándis æquanímitas quanta, & quanta Chriſti patiéntia! incrédulos ad fidem ſuadéndo fléctere, obséquio ingrátos fovére, contradicéntibus léniter respondére, ſupérbos ſuſtinére cleménter, humíliter perſequéntibus cédere, Prophetárum interfectóres, & advérsùs Deum rebélles, uſque ad crucis & paſſiónis horam, velle collígere. Sub ipſâ autẽ paſſióne & cruce, priúſquam ad crudelitátem necis & effuſiónem ſánguinis venirétur, quæ conviciórum probra patiénter audíta! quæ contumeliárum toleráta ludíbria! ut inſultántium ſputámina patiénter excíperet, qui ſputo ſuo cæci óculos paulò ante formáſſet, & in cujus nómine à ſervis nunc ejus, diábolus cum ángelis ſuis flagellátur, flagélla ipſe paterétur. Coronarétur ſpínis, qui mártyres flóribus corónat ætérnis.

℟. Oppróbrium inſipiénti dedíſti me, Dómine. * Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecíſti: ámove à me plagas tuas. ℣. Cùm accuſarétur Jeſus, nihil reſpóndit. Dicit illi Pilátus: Non audis quanta advérsùm te dicunt teſtimónia? * Obmútui. *Pſal.* 38. 9. 10. 11. *Matth.* 27. 12. 13.

Lectio v.

PAlmis in fáciem verberátur, qui palmas veras vincéntibus tríbuit: ſpoliátur veſte terrénâ, qui induménto immortalitátis cæteros veſtit: cibátur felle qui cibum cœléſtem dedit: acéto potátur, qui ſalutáre póculum propinávit. Ille innocens, ille juſtus; immò innocéntia ipſa, & ipſa juſtítia, inter facinoróſos deputátur, & teſtimóniis falſis véritas prémitur; judicátur judicatúrus, & Dei ſermo ad víctimam tacens dúcitur. Et cùm ad crucem Dómini confundántur sídera, contremíſcat terra, nox diem claudat, ſol, ne Judæórum fácinus aſpícere cogátur, & rádios & óculos ſuos súbtrahat; ille non lóquitur, nec movétur; nec majeſtátem ſuã ſub ipſa ſaltem paſſióne profitétur. Uſque ad finem perſeveránter ac júgiter tolerántur ómnia, ut conſummétur in Chriſto plena & perfécta patiéntia.

℟. Non eſt ſpécies ei, neque decor: * Vídimus eum deſpéctum, & noviſſimum virorum, virum dolórum, & ſciéntem infirmitátem: & quaſi abſcónditus vultus ejus. ℣. Exívit Jeſus portans corónam ſpíneam, & purpúreũ veſtiméntũ. Et dicit eis Pilátus: Ecce homo.* Vídimus. *Iſ.* 53. 2. 3. *Joan.* 19. 5.

Lectio vj.

ET poſt iſta ómnia adhuc interfectóres ſuos, ſi convérſi ad eum vénerint, ſúſcipit; & patiéntiâ ſalutári ad conſervándũ, benígnus & pátiens Eccléſiam ſuam némini claudit: illos adverſários, illos blaſphémos, illos nóminis ſui ſemper inimícos, ſi pœniténtiam delícti agant, ſi admíſſum fácinus agnóſcant, non ſolùm ad indulgéntiam críminis, ſed & ad præmium regni cœléſtis admíttit. Quid poteſt patiéntius? quid benígnius? Vivificátur Chriſti sánguine, étiam qui fudit sánguinem Chriſti. Talis eſt Chriſti ac tanta patiéntia: quæ niſi talis ac tanta exíſteret, Paulum quoque Apóſtolum Eccléſia Dei non habéret. Quòd ſi & nos, fratres dilectíſſimi, in Chriſto ſumus, ſi ipſum indúimus, ſi ipſe eſt ſalútis noſtræ via: qui Chriſtum veſtígiis ſalutáribus séquimur, per Chriſti exémpla gradiámur.

℟. Sicut umbra, cùm declínat, ablatus ſum; & excúſſus ſum ſicut locúſtæ: * Factus ſum opprobriũ illis;

vidérunt me, & movérunt cápita ſua. ℣. Milites genuflexo ante Jeſum, illudébant, dicéntes: Ave, Rex Judæórum. * Factus ſum. (*reſum.*) Sicut umbra. *Pſal.* 108. 23. 25. *Matth.* 27. 29.

IN III. NOCTURNO.

Ad montem Calvariæ ducitur, illudendus, crucifigendus, immolandus.

Ant. t. 7. D. Jeſus bájulans.

PSALMUS 76.

Chriſtus expanſis in cruce manibus, in tribulatione ſua Patrem invocat; & futuram ex morte ſua redemptionem annuntiat.

VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non ſum deceptus.

Rénuit conſolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopebam ſpíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviſcétur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi; * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditabor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtútem tuam; * redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt abyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcentur.

Deduxíſti ſicut oves pópu-

lum tuum, * in manu Móyſi & Aáron.

Ant. Jeſus bájulans ſibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum. *Joan.* 19. 17.

Ant. t. 6. f. Ibi crucifixérunt.

PSALMUS 21.

Chriſti jamjam morituri clamor ad Patrem; & variæ Paſſionis ejus circumſtantiæ.

DEus Deus meus, réſpice in me; quare me dereliquíſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locúti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ;

In te projéctus ſum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Ne diſcéſſeris à me, quóniam tribulatio próxima eſt; * quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liquéſcens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leonis, *

& à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrabo nomen tuum frátribus meis: * in médio eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael; * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem páuperis;

Nec avértit fáciem ſuam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & ſaturabúntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram:

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus pópulo, qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Ibi crucifixérunt Jeſum; & latrónes, unum à dextris, & álterum à ſiniſtris. *Luc.* 23. 33.

Ant. *t.* 8. *g.* Illudéntes.

P s a l m u s 30.

Chriſtus moriens, in ultimis vitæ ſuſpiriis, ſpiritum ſuum Patri commendat per hujus Pſalmi verba. Luc. 23. 46.

In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum edúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo ſpíritum meum: * redemíſti me, Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultábo & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam, * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meã;

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Miſerére mei, Dómine, quóniam tribulor: conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriũ, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me:

Oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde; * factus ſum tamquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent ſimul advérsùm me, accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimícórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illúſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum: * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Dómine, non confúndar quóniam invocávi te; * erubéſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant labia dolóſa, * quæ loquúntur advérsùs juſtum iniquitátem, in ſupérbia, & in abuſióne.

Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfecíſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ; * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ: * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retribuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Ant. Illudéntes dicébant; Alios ſalvos fecit; ſeípſum non poteſt ſalvum fácere. *Marc.* 15. 31.

℣. Super me confirmátus eſt furor tuus: ℟. Et omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me. *Pſal.* 87. 8.

De Epiſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 4. v. 14. ad finem, & Cap. 5. v. 1. ad 4.

HAbéntes Pontíficē magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei: teneámus confeſſiónem. Non enim habémus Pontíficem qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut miſericórdiam conſequámur; & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona, & ſacrifícia pro peccátis: qui condolére poſſit iis qui ignórant, & errant: quóniam & ipſe circúmdatus eſt infirmitáte: & proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro ſemetípſo offérre pro peccátis.

℟. In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me; impropérium expectávit cor meum, & miſériam: * Et dedérunt in eſcam meam fel; & in ſiti mea potavérunt me acéto. ℣. Sciens Jeſus quia ómnia conſummáta ſunt; ut conſummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pófitum acéto plenum. * Et dedérunt. *Pſal. 68. 21. 22. Joan. 19. 28. 29.*

Lectio viij. Cap. 5. v. 4. ad 11.

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo, tamquam Aáron. Sic & Chriſtus non ſemetípſum clarificávit ut Póntifex fíeret: ſed qui locútus eſt ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum, ſecúndùm órdinem Melchíſedech. Qui in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque ad eum, qui póſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus eſt pro ſua reveréntia. Et quidem cùm eſſet Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, obediéntiam: & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech.

℟. Fodérunt manus meas & pedes meos: dinumeravérunt ómnia oſſa mea: conſideravérunt & inſpexérunt me: * Diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem. ℣. Poſtquam autem crucifixérunt eum, diviſérunt veſtiménta ejus, ſortem mitténtes, ut implerétur quod dictum eſt per Prophétam. * Diviſérunt ſibi. *Pſal. 21. 17. 18. 19. Matth. 27. 35.*

Lectio ix. Cap. 7. v. 23. ad 28.

ET álii quidem plures facti ſunt ſacerdótes, idcírcò quòd morte prohiberéntur permanére: hic autem eò quòd máneat in ætérnum, ſempitérnum habet ſacerdótium. Unde & ſalváre in perpétuum poteſt accedéntes per ſemetípſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis eſſet Póntifex, ſanctus, innocens, impollútus, ſegregátus à peccatóribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitátem quotídie, quemádmodum ſacerdótes, priùs pro ſuis delíctis hóſtias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit ſemel, ſeípſum offeréndo.

℟. Stabat pópulus ſpectans, & deridébant Jeſum. Erat autem ferè hora ſexta, * Et ténebræ factæ ſunt in univérſam terram uſque in horam nonam; & obſcurátus eſt ſol. ℣. Defécit ánima ejus: óccidit ei ſol, cùm adhuc eſſet dies. * Et ténebræ. (*reſum.*) Stabat.. *Luc.* 23. 35. 44. 45. *Jerem.* 15. 9.

AD LAUDES.

Ant. t. 1. *a.* Ecce vidéntes.

PSALMUS 5.

Confidenter orat Chriſtus ex innocentiæ ſuæ & juſtitiæ divinæ conſcientia.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intellig clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus;

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua; * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt; & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Ecce vidéntes clamábunt foris, Angeli pacis amárè flebunt: diſſipátæ ſunt viæ, ceſsávit tránſiens per ſémitam. *Iſ.* 33. 7. 8.

Ant. 8. 2. *D.* Quid ſunt plagæ.

PSALMUS 56.

De inimicis victoriam rogat Chriſtus, poſtea Dei laudes celebraturus.

Miſerére meî, Deus: miſerére meî: * quóniam in te confídit ánima mea:

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritátem ſuam; * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum; dormívi conturbátus.

Filii hóminum, dentes eórum arma & ſagittæ; * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus; * & in omnem terrâ glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meâ fóveam; * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & pſálmum dicam.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & pſalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus; * & ſuper omnem terram glória tua.

Ant. Quid ſunt plagæ iſtæ in médio mánuum tuárum? *Zach.* 13, 6.

Ant. 8. 4. *a.* His plagátus ſum.

PSALMUS 73.

Paſſionis ſuæ fructum expoſtulat Chriſtus: de populi templique vaſtitate quæſtus.

Ut quid, Deus repulíſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſedíſti ab inítio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitáſti in eo:

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna: & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummũ.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idípſum; * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul:* Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta; * & nos non cognóſcet ámplius.

Uſquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adverſárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manũ tuã & dexterã tuam, * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem, rex noſter ante ſæcula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Tu confirmaſti in virtúte tua mare;* contribulaſti cápita dracónum in aquis:

Tu confregiſti cápita dracónis; * dediſti eum eſcam pópulis Æthíopum:

Tu dirupiſti fontes, & torréntes; * tu ſiccaſti flúvios Ethan:

Tuus eſt dies, & tua eſt nox; * tu fabricátus es auróram & ſolem:

Tu feciſti omnes términos terræ; * æſtátem & ver, tu plaſmáſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finem.

Réſpice in teſtaméntum tuum;* quia repleti ſunt qui obſcuráti ſunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus: * pauper & inops laudábunt nomen tuũ.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam; * memor eſto improperiórum tuórum, eórum quæ ab inſipiénte ſunt totâ die.

Ne obliviſcáris voces inimicórum tuórum: * ſupérbia eorum qui te odérunt, aſcéndit ſemper.

Ant. His plagátus ſum in domo eórum qui diligébant me. *Zach.* 13. 6.

Ant. t. 7. D. Quare rubrum eſt.

CANTICUM *Iſ.* 5. 1.

Cantábo diléctto meo * cánticum patruélis mei víneæ ſuæ.

Vinea facta eſt diléćto meo * in cornu filio ólei.

Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa, * & torcular extrúxit in ea:

Et expectávit ut fáceret uvas, * & fecit labrúſcas.

Nunc ergo, habitatóres Jerúſalem, & viri Juda, * ju-

dicáte inter me & víneā meā.

Quid eſt quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? * an non expectávi ut fáceret uvas, & fecit labrúſcas?

Et nunc oſténdam vobis quid ego fáciā víneæ meæ: * áuferam ſepem ejus, & erit in direptiónem.

Díruam macériam ejus; * & erit in conculcatiónem:

Et ponam eam desértam: non putábitur, & non fodiétur: * & aſcéndent vepres & ſpinæ:

Et núbibus mandábo * ne pluant ſuper eam imbrem.

Ant. Quare rubrum eſt indumént̃um tuum, & veſtiménta tua, ſicut calcántium in torculári? *Iſ.* 63. 2.

Ant. t. 8. *C.* Veſtitus erat.

PSALMUS 97.

Canticum pro ſaluse per Chriſti mortem factâ.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntiū revelávit juſtítiā ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & psállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu regis Dómini, * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrarū & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Veſtítus erat veſte aſpérsâ ſánguine: & vocatur nomen ejus, Verbum Dei. *Apocal.* 19. 13.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *A.* Circa horam nonam, clamávit Jeſus voce magnâ, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquíſti me? *Matth.* 27. 46.

Preces & Orat. dicunt, ut heri.

AD VESPERAS.

Veſperæ dicuntur ſubmiſsâ voce in Choro poſt Miſſam Præſanctificatorum eo modo qui ſequitur; & duplicantur Antiph.

Ant. PEr patiéntiā currámus ad propóſitum certámen: aſpiciéntes in auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ. *Hebr.* 12. 1. 2.

Pſalmus. 123. Niſi quia Dóminus erat in nobis. *pag.* 64.

Ant. Recogitáte eum, qui talem ſuſtínuit à peccatóribus advérsum ſemetípſum contradictiónem. *Heb.* 12. 3.

Pſal. 128. Sæpè expugnavérunt me. *pag.* 119.

Ant. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum: cujus livóre ſanati eſtis. 1. *Petr.* 2. 24.

Pſ. 139. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. *pag.* 120.

Ant. Conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ. *Hebr.* 5. 9.

Pſal. 140. Dómine, clamávi ad te. *pag.* 120.

Ant. Deus, quæ prænunciávit per os ómnium Prophetárum, pati Chriſtum ſuum, ſic implévit. *Act.* 3. 18.

Pſal. 141. Voce meâ ad Dóminum clamávi. . . deprecátus. *pag.* 138.

Ad Magníficat. *Ant.* Clamans voce magnâ Jeſus, ait; Pater, in manus tuas commméndo ſpíritum meum. Et hæc dicens, expirávit. *Luc.* 23. 46.

Reliqua ut heri.

SABBATO SANCTO.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

IN I. NOCTURNO.

Quot & quanta in Chriſti morte miracula.

Ant. 1. 1. 4. Ecce velum templi.

PSALMUS 75.

In morte Chriſti turbantur inſipientes corde, terra tremit, & ex prodigiis agnoſcitur Deus.

NOtus in Judæâ Deus; * in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuũ; * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſiſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ;

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Ecce velum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deórſum; & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. *Matth.* 27. 51.

Ant. 2. 2. *D.* Monuménta.

PSALMUS 93.

Non diu gloriantur iniqui : Deus ultionum ab inimicorum improperiis Christum ſuum vindicat.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabúntur ?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem,*loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt :

Víduam & ádvenam interfécérunt, * & pupíllos occidérunt;

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipiéntes in pópulo, * & ſtulti, aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet ? * aut qui finxit óculum, non conſíderat ?

Qui córripit gentes, non árguet ? * qui docet hóminem ſciéntiam ?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diebus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet;

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérsùs malignántes ? * aut quis ſtabit mecum advérsùs operántes iniquitátem ?

Niſi quia Dóminus adjúvit me, * paulóminùs habitáſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus eſt pes meus;* miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto ?

Captábunt in ánimam juſti, * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum diſpérdet eos; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter.

Ant. Monuménta aperta ſunt : & multa córpora ſanctórum, qui dormíerant, ſur-

rexerunt, & apparuérunt multis. *Matth.* 27. 52. 53.

Ant. t. 8. *C.* Centúrio.

PSALMUS 85.

Ex mirabilibus quæ Deus operatur gentes commotæ ſunt: è ſepulchro erui ſe poſtulat Chriſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exáudi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudiſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque feciſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuũ;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritate tua: * lætétur cor meũ, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti animam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt animam meam; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miséricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Ant. Centúrio, & qui cum eo erant, viſo terræ motu, & his quæ fiébant, timuérunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. *Matth.* 27. 54.

℣. De cœlo audítum feciſti judícium; ℞. Terra trémuit, & quiévit. *Pſal.* 75. 9.

De Lamentatióne Jeremiæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 7.

QUómodo obſcurátum eſt aurum, mutátus eſt color óptimus, diſpérſi

ſunt lápides ſanctuárii in cápite omnium plateárum? Filii Sion ínclyti, & amícti auro primo; quómodo reputáti ſunt in vaſa téſtea, opus manuum figuli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos ſuos: filia pópuli mei crudélis, quaſi ſtruthio in desérto. Adhæſit lingua lacténtis ad palátum ejus in ſiti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui veſcebántur voluptuóſè, interiérunt in viis: qui nutriebántur in cróceis, amplexáti ſunt ſtércora. Et major effécta eſt iníquitas filiæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ ſubvérſa eſt in moménto, & non cepérunt in ea manus. Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Hæc eſt relígio Phaſe: In una domo comedétur, nec efferétis de cárnibus ejus forás, * Os non comminuétis ex eo. ℣. Ad Jeſum cùm veniſſent mílites, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, ut Scriptúra implerétur. * Os non comminuétis. *Exod.* 12. 43. 46. *Joan.* 19. 33. 36.

Lectio ij. v. 17. ad finem.

CUm adhuc ſubſiſterémus, defecérunt óculi noſtri ad auxílium noſtrum vanum, cùm reſpicerémus atténti ad gentem, quæ ſalváre non póterat. Lubricavérunt veſtígia noſtra in itínere plateárum noſtrárum, appropinquávit finis noſter: compléti ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter. Velocióres fuérunt perſecutóres noſtri áquilis cœli: ſuper montes perſecúti ſunt nos, in desérto inſidiáti ſunt nobis. Spíritus oris noſtri Chriſtus Dóminus captus eſt in peccátis noſtris: cui díximus: In umbra tua vivémus in Géntibus. Gaude, & lætáre, fília Edom, quæ hábitas in terra Hus: ad te quoque pervéniet calix, inebriáberis, atque nudáberis. Compléta eſt iníquitas tua, fília Sion, non addet ultrà ut tránſmigret te: viſitávit iniquitátem tuam fília Edom, diſcoopéruit peccáta tua.

℟. Salvábit Dóminus tabernácula Juda. Et aſpícient ad me quem confixérunt: * Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigénitum, & dolébunt ſuper eum, ut in morte primogéniti. ℣. Facta ſunt hæc ut Scriptúra implerétur: Vidébũt in quem tranſfixérunt.* Et plangent. *Zach.* 12. 7. 10. *Joan.* 19. 36. 37.

De Oratióne Jeremíæ Prophétæ.

Lectio iij. Cap. 5. 15. *ad finem.*

DEfécit gáudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Cécidit coróna cápitis noſtri: væ nobis, quia peccávimus. Proptérea mœſtum factum eſt cor noſtrum, ideò contenebráti ſunt óculi noſ-

tri. Propter montem Sion quia diſpériit, vulpes ambulavérunt in eo. Tu autem, Dñe, in ætérnũ permanébis, sólium tuum in generatiónẽ & generatiónẽ. Quare in perpétuum oblivíſcéris noſtrî? derelínques nos in longitúdine diérum? Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies noſtros, ſicut à princípio. Sed projíciens repuliſti nos, irátus es contra nos vehementer.

℟. In die illa erit fons patens dómui David, & habitántibus Jeruſalem, * In ablutiónem peccatóris. ℣. Unus mílitum lánceâ latus Jeſu apéruit, & contínuò exívit ſanguis, & aqua. * In ablutiónem. (*reſum.*) In die illa. *Zach.* 13. 1. *Joan.* 19. 34.

IN II. NOCTURNO.

Chriſti ſepultura, ejus ad inferos deſcenſus.

Ant. t. 2. *D.* Rogávit.

PSALMUS 15.

Sperat Chriſtus ſe non derelinquendum in ſepulchro, nec Patrem daturum ut Sanctus ſuus videat corruptionem.

Conſérva me, Dómine,* quóniam ſperávi in te: Dixi Dómino: Deus meus es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei; * tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; *étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe;

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

Ant. Rogávit Pilátum Joſeph ab Arimathæa, ut tólleret corpus Jeſu. Et permíſit Pilátus. *Joan.* 19. 38.

Ant. t. 4. *A.* Venit Nicodémus.

PSALMUS 27.

Petit Chriſtus ne mortuus aſſimiletur cæteris deſcendentibus in ſepulchrum.

Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne sí-

leas à me; * nequándo táceas à me, & aſſimilabor deſcendéntibus in lacum.

Exáudi, Domine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me;

Qui loquúntur pacē cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus, * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis ſuæ; * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum, Domine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos uſque in ætérnum.

Ant. Venit Nicodémus ferens mixtúram myrrhæ & áloes, quaſi libras centum. *Joan.* 19. 39.

Ant. ι. 7. *D.* Accepérunt.

PSALMUS 87.

Chriſtus inter dormientes in ſepulchris collocatus, corporis ſui reſurrectionem à Patre poſtulat.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta eſt malis ánima mea; * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimatus ſum cum deſcendéntibus in lacum; * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mórtuos liber;

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlchris, quorum non es memor ámpliùs; * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxíſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me; * poſuérunt me abominatiónem ſibi.

Tráditus ſum & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis facies mirabilia, * aut médici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepulchro miſericórdiam tuam, * & veritatem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabilia tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamavi; * & manè oratio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis orationem meam, * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus ſum, & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; * circumdederunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Accepérunt corpus Jeſu, & ligavérunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelíre. *Joan.* 19. 40.

℣. Non derelínques ánimam meam in inferno:

℟. Nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Pſal.* 15. 10.

Sermo ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Lectio iv. de cœmet. & cruce, t. 2. Edit. Bened.

Hodie, dilectiſſimi, ómnia inferorum loca circuit Dominus noſter: hódie portas æreas confregit: hódie vectes ferreos contrivit. Vide in Prophéta dicti accurationem. Non dixit: Apéruit portas æreas, ſed, Confregit; ut inutilis deinceps carcer fiat. Non ábſtulit vectes, ſed contrivit; ut cuſtódia deinceps fragilis & infirma reddatur, ubi neque janua, neque vectis, & licèt quis intret, non tenétur. Quando ígitur Chriſtus confregit, quis álius reparáre póterit? Reges, cùm vinctos dimíttere volunt, miſſis epiſtolis, non ita agunt, ſed tam fores quàm cuſtódes relínquunt, ut oſténdant eò dénuo ingrediéndum eſſe, vel illis qui jam líberi abiérũt, vel eorum loco áliis. Non ita Chriſtus; ſed demonſtrare volens mortẽ jam ad finem metamque perveníſſe, æreas ejus portas confrégit, hoc eſt, immitem illam & inexorabilem mortis neceſſitátem.

℟. Edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; & víncula eorum diſrupit; * Quia contrivit portas æreas; & vectes ferreos confregit. ℣. Chriſtus his, qui in carcere erant, ſpirítibus veniens prædicávit. * Quia contrivit. *Pſ.* 106. 14. 16. 1. *Petr.* 3. 19.

Lectio v.

PÓrro, quod admiratióne digniſſimum eſt, Rex ipſe ad vinctos venit. Atqui nullus Rex umquam hoc dignarétur fácere ; ſed miniſtri vinctos dimíttunt. Secùs hîc : ipsemet Rex ad vinctos venit. Non erúbuit cárcerem, neque deténtos, in cárcere (de eo enim quem finxerat, erubéſcere non pótuit) & confrégit fores, & vectes contrívit. Super áſtitit inférno, & desértam fecit totam illíus cuſtódiam, carceríſque cuſtóde in víncula conjécto, ad nos remeávit. Tyránnus captívus ducebátur, fortis vinctus, ipſa mors, abjéctis armis, nuda ad pedes Regis cucúrrit.

℟. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, & * Inſpíciam omnes dormiéntes, & illuminábo omnes ſperántes in Dómino. ℣. Ne díxeris in corde tuo : Quis deſcéndet in abyſſum ? hoc eſt, Chriſtum à mórtuis revocáre. * Inſpíciam. *Eccli.* 24. 45. *Rom.* 10. 6. 7.

Lectio vj.

VIdíſti mirándam victóriam : vidíſti crucis benefícia. De morte immortáles facti ſumus ; hæc præclára crucis facínora. Intellexíſti victóriam, intellexiſti modum victóriæ : diſce nunc quómodo ſine labóre & ſudóre noſtro, victória hæc fúerit parta. Nos arma non cruentávimus, non ſtétimus in ácie, non accépimus vúlnera, neque vídimus bellum : & tamen victóriam obtinúimus. Certámen Dómini fuit coróna noſtra. Cùm ergo & noſtra ſit victória, mílites imitémur, lætíſque vócibus victóriæ laudes & cármina hódie decantémus : dicámus Dóminum laudántes : Absórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua ? ubi ſtímulus tuus, inférne ? Hæc ómnia præclára facta crux nobis péperit. Crux trophæum contra dæmones eréctum, gládius contra peccátum, gládius quo ſerpéntem confódit Chriſtus. Crux Patris volúntas, Unigéniti glória, Spíritûs exultátio, Angelórum decus, Eccléſiæ ſecúritas, gloriatio Pauli, Sanctórum murus, totíus orbis lumen.

℟. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos : * Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inférne. ℣. Cùm evacuáverit Chriſtus omnem principátum, noviſſima inimíca deſtruétur mors : tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt : Absórpta eſt mors in victória. * Ero mors. (*reſum.*) De manu. *Oſee* 13. 14. 1. *Cor.* 15. 24. 26. 54.

IN III. NOCTURNO.

Judæi ſignato diligenter ſepulchro, apponunt cuſtodias.

Ant. 1. 4. *t.* Convenérunt,

PSALMUS 26.

Chriſti firma reſurrectionis ſuæ expectatio.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si conſíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium,* in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requiram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére meî, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram,

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in irâ à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; & confortétur cor tuum, * & ſúſtine Dóminum.

Ant. Convenérunt Pharisæi ad Pilátum, dicéntes: Sedúctor ille dixit: Poſt tres dies resúrgam: jube ergo cuſtodíri ſepúlchrum. *Matth.* 27. 62. 63. 64.

Ant. t. 8. *C.* Ne fortè véniant.

PSALMUS 60.

Chriſtus reſurget in æternum regnaturus, & laudes Dei cantaturus.

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi,

mávi ; dùm anxiarétur cor meũ ; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula ; * prótegar in velaménto alárum tuárum ;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam,* dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei : * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi ; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ne fortè véniant diſcípuli ejus, & furéntur eum, & dicant : Surréxit à mórtuis ; & erit noviſſimus error pejor prióre. *Matth.* 27. 64.

Ant. t. 6. f. Ait illis.

PSALMUS 29.

Poſt Paſſionis ſuæ dolores & opprobria, reſurrecturum ſe lætatur Chriſtus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me ;* nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam : * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Pſallite Dómino, ſancti ejus ; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus ;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua * præſtitíſti decóri meo virtútem.

Avertíſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo ; * dum deſcéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt meî ; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctum meũ in gáudium mihi, * conſcidíſti ſaccum meum, & circumdedíſti me lætítiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar : * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Ait illis Pilátus : Habétis cuſtódiam, ite, cuſtodíte ſicut ſcitis. *Matth.* 27. 65.

℣. Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me:

℟. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? *Pſal.* 40. 9.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 9. *v.* 11. *ad* 15.

CHriſtus aſsiſtens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manufáctum, id eſt, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, ſed per próprium sánguinem introívit ſemel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ. Si enim ſanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aſpérſus, inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spíritum ſanctum ſemetipſum óbtulit immaculátum Deo, emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis, ad ſerviéndum Deo vivénti?

℟. In die illa, radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, * Et erit ſepúlchrum ejus glorióſum. ℣. Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris ſecúndùm Scriptúras, & ſepúltus eſt.* Et erit. *Iſ.* 11. 10. 1. *Cor.* 15. 3. 4.

Lectio viij. v. 15. *ad* 23.

ET ídeò novi teſtaménti mediátor eſt; ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónū, quæ erant ſub priori teſtaménto, repromiſſiónem accípiant, qui vocáti ſunt ætérnæ hereditátis. Ubi enim teſtaméntum eſt; mors neceſſe eſt intercédat teſtatóris. Teſtaméntum enim in mórtuis confirmátum eſt: alióquin nondum valet, dum vivit qui teſtátus eſt. Unde nec primum quidem ſinè sánguine dedicátum eſt. Lecto enim omni mandáto legis à Móyſe univérſo pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum, cum aqua, & lana coccínea, & hyſsópo, ipſum quoque librum, & omnem pópulum aſpérſit, dicens: Hic ſanguis teſtaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vaſa miniſtérii sánguine ſimíliter aſpérſit. Et ómnia poenè in sánguine ſecundùm legem mundántur: & ſine sánguinis effuſióne non fit remíſſio.

℟. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus, & tribus nóctibus; * Sic erit filius hóminis in corde terræ. ℣. Erat Jonas in ventre piſcis tribus diébus & tribus nóctibus. * Sic erit.. *Matth.* 12. 40. *Jonæ.* 2. 1.

Lectio ix. v. 23. *ad finem.*

NEcéſſe eſt ergo exemplária quidem cœléſtiū his mundári: ipſa autē cœléſtia melióribus hóſtiis quàm iſtis. Non enim in manufácta Sancta Jeſus introívit, exem-

plária verórum: ſed in ipſum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis: neque ut ſæpè ófferat ſemetípſum, quemádmodum Póntifex intrat in Sancta per ſíngulos annos in ſánguine alieno: alióquin oportébat eum frequénter pati ab orígine mundi: nunc autem ſemel in conſummatióne ſæculórum, ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam appáruit. Et quemádmodum ſtatútum eſt homínibus ſemel mori, poſt hoc autem judícium: ſic & Chriſtus ſemel oblátus eſt ad multórum exhauriénda peccáta; ſecúndò ſine peccáto apparébit expectántibus ſe, in ſalútem.

℟. Quia púeri communicavérunt carni & ſánguini, & ipſe ſimíliter participávit eíſdem: * Ut per mortem deſtrúeret eum, qui habébat mortis impérium: & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. ℣. Diſpértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet ſpólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam ſuam, * Ut per... (*reſum.*) Quia púeri. *Hebr.* 2. 14. 15. *Iſ.* 53. 12.

AD LAUDES.

Ant. t. 1. *a.* Lapſa eſt.

PSALMUS 42.

Poſt afflictiones conſolationem expectat Chriſtus.

JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: * ab hómine iníquo & dolóſo érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repuliſti? & quare triſtis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare triſtis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutare vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuérunt lápidem ſuper me. *Thren.* 3. 53.

Ant. t. 3. *a.* Ne lætéris.

PSALMUS 142.

Paſſionis Chriſti expoſitio, & reſurrectionis ejus ſpes.

DOmine, exáudi oratiónem meam; áuribus pércipe obſecratiónem meã in veritáte tua; * exáudi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meã.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum ; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine ; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ; * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam ; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimã meã ; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quoniam ego ſervus tuus ſum.

Ant. Ne lætéris, inimíca mea, ſuper me : consúrgam, cùm sedero in ténebris. *Mich.* 7. 8.

Ant. t. 4. *E.* Ero mors tua,

PSALMUS 23.

Chriſti imperium in mortem : vox ejus deſcendentis ad inferos.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus ; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo ;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini ? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus ?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras ; & elevámini, portæ æternáles ; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternales ; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipſe eſt rex glóriæ.

Ant. Ero mors tua, ô mors ! morſus tuus ero, inférne. *Oſee.* 13. 14.

Ant. t. 7. *c.* Terræ vectes

CANTICUM JONÆ. *C.* 2. *v.* 3. *ad* 11.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, * & exaudívit me:

De ventre ínferi clamávi, * & exaudíſti vocem meam.

Et projecíſti me in profúndum in corde maris, * & flumen circúmdedit me:

Omnes gúrgites tui, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

Et ego dixi: Abjéctus ſum à conſpéctu oculórum tuórum: * verúmtamen rurſus vidébo templum ſanctum tuum.

Circumdedérunt me aquæ * uſque ad ánimam meam:

Abyſſus vallávit me, * pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium deſcéndi: * terræ vectes concluſérunt me in ætérnum:

Et ſublevábis de corruptióne vitam meam, * Dómine Deus meus.

Cùm anguſtiarétur in me ánima mea, * Dómini recordátus ſum:

Ut véniat ad te orátio mea * ad templum ſanctum tuum.

Qui cuſtódiunt vanitátes fruſtrà, * miſericórdiam ſuam derelínquunt.

Ego autem in voce laudis immolábo tibi; * quæcúmque vovi, reddam pro ſalúte Dómino.

Ant. Terræ vectes concluſérunt me: ſublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus. *Jonæ.* 2. 7.

Ant. t. 8. *c.* Chriſtus.

PSALMUS 150.

Deus omni muſicorum genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudate eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Chriſtus neque derelíctus eſt in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. *Act.* 2. 31.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *a.* Illi autem abeúntes, muniérunt ſepúlchrum, ſignántes lápidem, cum cuſtódibus. *Matth.* 27. 66.

Preces & reliqua ut in Cœna Domini, etiam Horæ breves.

AD VESPERAS.

Factâ communione in Miſſa abſolutè incipitur ab

Ant. t. 5. *F.* Allelúia.

PSALMUS 116.

Ad laudandas Dei miſericordias invitatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum,

omnes pópuli;

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus;* & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Ant. Allelúia, ad véſperum demorábitur fletus; & ad matutínum lætítia, allelúia. *Pſal.* 29. 6.

Finitâ Antiph. ſine Capit. & ℣. inchoatur

Ant. t. 6. *F.* Cùm transíſſet.

Deinde, Magníficat.

Ant. Cùm transíſſet sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jeſum, allelúia *Marc.* 16. 1.

Oratio.

DEus, qui hanc ſacratíſſimam noctem glóriâ Domínicæ reſurrectiónis illúſtras: conſérva in nova famíliæ tuæ progénie adoptiónis Spíritum quem dedíſti; ut córpore & mente renováti, puram tibi exhibeámus ſervitútem; Per eúmdem... in unitáte ejúſdem, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

℣. Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave. Convérte nos, &c. Glória Patri, &c. Allelúia.

Pſalmi conſueti, quibus finitis, repetitur Allelúia. *Deinde ſine Hymno, Capit. & ℟. intonatur*

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. *F.* Véſperè sábbati, quæ lucéſcit in prima sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María, vidére ſepulchrum; allelúia. *Matth.* 28. 1.

Oratio. Víſita, &c. ℣. Dóminus vobíſcum, &c. ℣. Benedicámus Dómino, &c. Grátia Dómini, &c.

Deinde, Regína cœli, &c.


Papillon inv. et Sculp.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

AD OFFIC. NOCT.

Ecce nunc adimpletæ ſunt de reſurrectione Chriſti prophetiæ.

Pater. Ave. Credo.

DOmine, lábia mea, &c. Allelúia.

Invitat. Allelúia: Surréxit Dóminus verè; * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 24. 34.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 1.

In Pſ. 2. Quare fremuérunt gentes, *pag.* 3.

Ant. 1. 2. *d.* Repromiſſiónem Deus adimplévit, reſúſcitans Jeſum, ſicut in Pſalmo ſecúndo ſcriptum eſt: Fílius meus es tu, ego hódie génui te, allelúia. *Act.* 13. 33.

In Pſ. 15. Consérva me, *pag.* 50.

Ant. 2. 3. *E.* Quòd Deus ſuſcitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reverſúrum in corruptiónem, ita dixit: Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem, allelúia. *Act.* 13. 34. 35.

In Pſ. 29. Exaltábo te, Dómine, *pag.* 5.

Ant. 1. 5. *F.* Definíto consílio & præſciéntiâ Dei tráditum, Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inférni, juxta quod impoſsíbile erat tenéri illum ab eo, allelúia. *Act.* 2. 23. 24.

℣. Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ. ℟. Commóta eſt, & contrémuit terra, allelúia. *Pſ.* 76. 19.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 3. *ad* 12.

AN ignorátis, fratres, quia quicúmque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipsíus baptizáti ſumus? Conſepúlti enim ſumus cum illo per baptíſmum in mortem: ut quómodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus: ſimul & reſurrectiónis érimus. Hoc ſciéntes, quia vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto. Qui enim mórtuus eſt, juſtificátus eſt à peccáto. Si autem mórtui ſumus cum Chriſto: crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto, ſciéntes quòd Chriſtus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto,

mórtuus eſt ſemel : quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimáte, vos mórtuos quidem eſſe peccáto, vivéntes autẽ Deo, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Confitébor tibi quóniam exaudíſti me; & factus es mihi in ſalútem. * Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus eſt in caput ánguli. A Dómino factum eſt iſtud, & eſt mirábile in óculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea, allelúia. ℣. Jeſum qui crucifíxus eſt, quæritis : non eſt hìc : ſurréxit ſicut dixit. * Lápidem. *Pſal.* 117. 21. 22. 23. 24. *Matth.* 28. 5. 6.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio ij. Tom. 5. Serm. 231. in diebus Paſch.

Reſurréctio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, nova vita eſt credéntium in Jeſum; & hoc eſt ſacraméntum Paſſiónis & Reſurrectiónis ejus, quod valdè noſſe & ágere debétis. Non enim ſine cauſa vita venit ad mortem : non ſine cauſa fons vitæ, unde bíbitur ut vivátur, bibit hunc cálicem, qui ei non debebátur. Non enim Chriſto debebátur mors. Huic conditióni mortis obſtrictus náſcitur omnis homo; ſed præter illum hóminem qui homo factus eſt, ne períret homo. Pœna culpæ mors eſt : Dóminus Jeſus Chriſtus mori venit, peccáre non venit. Communicándo nobíſcum ſine culpa pœnam, & culpam ſolvit & pœnam. Quam pœnam ſolvit? quæ nobis debebátur poſt iſtam vitam. Ergo crucifíxus eſt, ut in cruce oſténderet véteris hóminis noſtri occáſum, & reſurréxit, ut in ſua vita oſténderet noſtræ vitæ novitátem.

℟. Voce meâ ad Dóminum clamávi; & exaudívit me de monte ſancto ſuo. Ego * Dormívi, & ſoporátus ſum; & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me, allelúia. ℣. Ego ſum primus, & noviſſimus; & vivus, & fui mórtuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculórum, & hábeo claves mortis, & inférni. * Dormívi. *Pſal.* 3. 5. 6. *Apoc.* 1. 17. 18.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 16. 1.

In illo témpore; María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jeſum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. 21. *habita in die Paſchæ.*

Audíſtis, fratres charíſſimi, quòd ſanctæ mulíeres quæ Dóminum fúerant ſecútæ, cum aromátibus ad monuméntum venérunt

runt ; & ei quem vivéntem diléxerant, étiam mórtuo, ſtudio humanitátis obſequúntur. Sed res geſta aliquid in ſancta Eccléſia ſignat geréndum. Sic quippe neceſſe eſt ut audiámus quæ facta ſunt, quatenus cogitémus étiam quæ nobis ſint ex eórum imitatióne faciénda. Et nos ergo in eum qui mórtuus eſt credéntes, ſi odóre virtútum reférti, cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monuméntum profécto illíus cum aromátibus venímus. Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt : quia vidélicet illæ mentes ſupérnos cives aſpíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per ſancta deſidéria proficiſcúntur.... Sed quid adveniéntes fœminas affátur Angelus, audiámus : Nolíte expavéſcere : ac ſi apértè dicat : Páveant illi qui non amant advéntum ſupernórum cívium : vos, cur pertiméſcitis, quæ veſtros concíves vidétis ? Unde & Matthæus Angelum apparuíſſe deſcríbens, ait : Erat aſpéctus ejus ſicut fulgur, & veſtiménta ejus ſicut nix. In fulgóre étenim terror timóris eſt : in nive autem blandiméntum candóris. Quia verò omnípotens Deus, & terríbilis peccatóribus, & blandus eſt juſtis, rectè teſtis Reſurrectiónis ejus Angelus, & in fulgóre vultûs, & in candóre hábitûs demonſtratur, ut ipsâ ſuâ ſpécie & terréret réprobos, & mulcéret pios.

℟. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus : * Fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : & juſti exúltent in conſpéctu Dei ; & delecténtur in lætítia. † Allelúia. ℣. Ecce terræ motus factus eſt magnus. Præ timore extérriti cuſtódes, facti ſunt velut mórtui : reſpondens autem Angelus dixit muliéribus : Nolíte timére vos. * Fúgiant. Glória. † Allelúia. *Pſal.* 67. 2. 3. 4. *Matth.* 28. 2. 4. 5.

Te Deum.

AD LAUDES.

Chriſtum viventem nuntiant muliéribus Angeli ; & ipſæ diſcipulis.

℣. *Sacerdos.* Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine ; ℟. Et exultábo manè miſericórdiam tuam. *Pſal.* 58. 17.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. **V**Aldè manè unà 1. *D.* ſabbatórum, véniunt mulíeres ad monuméntum, orto jam ſole, allelúia. *Marc.* 16. 2.

Ant. 2. 3. *E.* Dicébant ad ínvicem : Quis revólvet nobis lápidem ? Et reſpiciéntes vidérunt revolútum lápidem, allelúia. *Marc.* 16. 3. 4.

Ant. 3. 4. *E.* Angelus Dómini ſedébat ſuper eum : erat autem aſpéctus ejus ſi-

cut fulgur; & veſtiméntum ejus ſicut nix, allelúia. *Matth.* 28. 2. 3.

Ant. t. 5. *F.* Reſpóndens.

CANTICUM. *Apoc.* 5. 5.

Ecce vicit leo de tribu Juda, * radix David.

Dignus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre ſignácula ejus:

Quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo * ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne:

Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdótes: * & regnábimus ſuper terram.

Dignus eſt Agnus, qui occíſus eſt, accípere virtútem, * & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem.

Sedénti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, * & glória, & potéſtas.

Glória Patri.

Et hoc Canticum dicitur per Octavam.

Ant. Reſpóndens Angelus dixit mulíeribus; Jeſum, qui crucifixus eſt, quæritis; non eſt hic, ſurréxit; vidéte locum, ubi póſitus erat Dóminus, allelúia. *Mat.* 28. 5. 6.

Ant. t. 6. *F.* Citò eúntes dícite diſcípulis ejus, quia ſurréxit: ecce præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia. *Matth.* 28. 7.

Loco Capituli & verſiculi dicitur.

Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea, allelúia. *Pſal.* 117. 24.

Ad Benedíctus, *Ant. t.* 7. *D.* Exiérunt citò de monuménto, curréntes nuntiáre diſcípulis. Et ecce Jeſus occúrrit illis: illæ autem tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt, allelúia. *Matth.* 28. 8. 9.

Oratio.

Deus, qui hodiérnâ die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devíctâ morte, reſeráſti: vota noſtra, quæ præveniéndo aſpíras, étiam adjuvándo proſéquere; Per eúmdẽ, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

℣. Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia.

℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

Ad Primam poſt Deus, in adjutórium, *ſine Hymno & Antiph. dicuntur tres Pſalmi de Dominica, in quorum fine dicitur* Allelúia. *Deinde,* Hæc dies, *ut in Laudibus.* ℣. Dóminus vobíſcum; *& Oratio.*

CANON

Ex Concílio Matiſconénſi ſecúndo.

Ann. 585. *Can.* 2.

Paſcha noſtrum, in quo ſummus Sacérdos & Póntifex pro noſtris delíctis nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus eſt, debémus omnes feſtiviſſimè cólere; & ſédulæ obſervatiónis ſinceritáte in ómnibus venerári.

Poſt lectionem Martyrologii & Canonis, dicitur tantum Adjutórium noſtrum, &c. Benedicámus Dómino, &c.

Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei, &c.

Ad alias Horas, poſt Deus, in adjutórium, *dicuntur tres Pſalmi de Dominica; quibus finitis, dicitur* allelúia: *poſtea,* Hæc dies. Dóminus vobíſcū, *& Oratio de Laudibus: deinde,* Dóminus vobíſcum, &c. Benedicámus Dómino, &c.

AD VESPERAS.

In Eccleſia Cathedrali, & in aliis Eccleſiis ubi ſunt fontes baptiſmales, dicuntur Veſperæ ut infrà notantur.

Ant. t. 1. D. VErbum miſit Deus, annúntians pacem per Jeſum. Hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die, allelúia. *Act.* 10. 36. 40.

Pſ. 109. Dixit Dóminus, *pag.* 22.

Ant. t. 3. E. In hoc Chriſtus mórtuus eſt, & reſurréxit: ut & mortuórum & vivórum dominétur, allelúia. *Rom.* 14. 9.

Pſ. 110. Confitébor, *pag.* 22.

Ant. t. 4. E. Abſórpta eſt mors in victória. Ubi eſt, mors, victória tua? ubi eſt, mors, ſtímulus tuus? allelúia. 1. *Cor.* 15. 54. 55.

Pſ. 111. Beátus vir, *pag.* 23.

Finitâ tertiâ Antiphonâ, dicitur Hæc dies, &c. *Deinde Ad* 1. Magníficat *Ant. t. 2. d.* Quid quæritis vivéntem cum mórtuis? ſurréxit: recordámini quáliter locútus eſt vobis: Quia opórtet Fílium hóminis crucifígi, & die tértiâ reſúrgere, allelúia. *Luc.* 24. 5. 6. 7.

Oratio. Deus, qui hodiérnâ die, &c. *ut ad Laudes,* Per eúmdem Dóminum... Spíritûs ſancti Deus: *nec ultrà, & non reſpondetur à Choro:* Amen. *ſed inchoatur quarta Antiphona ſequens eundo ad fontes.*

Ant. t. 5. F. Conſepúlti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quómodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis, ità & nos in novitáte vitæ ambulémus, allelúia. *Rom.* 6. 4.

Pſalm. 112. Laudáte, púeri, *pag.* 23.

Ant. t. 1. irr. Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitúdine: flávit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare: dux fuíſti in miſericórdia tua pópulo quem redemíſti, allelúia. *Exod.* 15. 6. 10. 13.

Pſ. 113. In éxitu Iſrael de Ægypto, *pag.* 24.

Deinde cantatur Hæc dies.

Poſtea ad 2. Magníf. *Ant. t. 3 a.* Vidéte, quia conſepúlti Chriſto in baptíſmo, reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis, allelúia. *Coloſſ.* 2. 8. 12.

℣. Apud te eſt fons vitæ: ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen, allelúia. *Pſalm.* 35. 10.

Oratio.

DEus, qui Reſurrectiónis tuæ fidem per baptíſmi grátiam in nobis obſignáre voluíſti: concéde, ut à peccáti morte liberáti, in novitáte vitæ ambulémus; Qui vivis & regnas cum Deo

Patre in unitáte Spiritûs ſancti Deus.... *& non ultrà, ſed ſtatim redeundo à fontibus inchoatur ſequens*

℟. Chriſtus resúrgens ex mórtuis jam non móritur; * Mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel, quòd autem vivit, vivit Deo, allelúia. ℣. Scio quòd Redémptor meus vivit, quem visúrus ſum ego ipſe, & non álius: repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. * Mors illi. *Rom.* 6. 9. 10. *Job.* 19. 25. 27.

℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium ſanctum ejus, allelúia. *Pſ.* 97. 1.

Oratio.

DEus, cujus Fílius pro nobis crucifíxus mundum redímere dignátus eſt: præſta, ut qui in ejus Reſurrectióne de noſtra redemptióne lætámur, gáudiis, te donánte, perfruámur ætérnis; Per eúmdem Dóminum.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

℣. Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia.

℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

In aliis Eccleſiis, ubi non ſunt fontes baptiſmales, & in privato Officio, dicuntur quinque Antiphonæ de Veſperis ſuper Pſalmos de Dominica, quibus finitis, dicitur Hæc dies; *deinde Ant. ad* 1. Magnificat. *& Oratio ſequens: cæteris omiſſis.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Sabbato præcedenti, præter

Ant. ad Nunc dimíttis. *t.* 3. *E.* Mane nobíſcum, Dómine, allelúia; quóniam adveſperáſcit, & inclináta eſt jam dies, allelúia, allelúia. *Luc.* 24. 29.

Et ſic dicuntur Horæ uſque ad Veſperas Sabbati ſequentis.

DIEBUS INTRA OCT. PASCHÆ.

Omnia ut in die, exceptis his quæ ſequuntur, vel quæ notantur propria in qualibet Feria.

AD NOCTURNUM.

Invitat. Allelúia. Surréxit Dóminus verè; * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 24. 34.

Tres Pſalmi in unaquaque Feria notati, ſub Antiphona ſola ſequenti.

Ant. t. 3. *E.* Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, & ſepúltus eſt, & reſurréxit tértiâ die ſecúndùm Scriptúras, allelúia. 1. *Cor.* 15. 3. 4.

℣. Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; ℟. Commóta eſt, & contrémuit terra, allelúia. *Pſ.* 76. 19.

Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut in qualibet Feria.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot. ut in die; Pſalmi de Dominica ſub prima Antiphona de Laudibus.*

Ant. ad Benedíctus, *& Oratio ut in qualibet Feria: Horæ breves ut in die.*

Ad Veſperas. Pſalmi de Do-

minicæ ſub prima Antiphona de Veſperis diei : reliqua ut in die, except. Antiph. ad Magníf. *& Oratione.*

FERIA II. INTRA OCT. PASCHÆ.

Pſalmi I. *Nocturni Dominicæ.*

Incípiunt Actus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. I. *v.* I. *ad* 9.

PRimùm quidem ſermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jeſus fácere, & docére, uſque in diem, quâ præcípiens Apóſtolis per Spíritum ſanctum, quos elégit, aſsúmptus eſt: quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſiónem ſuam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convéſcens, præcépit eis ab Jeroſólymis ne diſcéderent, ſed expectárent promiſſiónem Patris, quam audíſtis (inquit) per os meũ: quia Joánnes quidem baptizávit aquâ; vos autem baptizabímini Spíritu ſancto, non poſt multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicéntes: Dómine, ſi in témpore hoc reſtítues regnum Iſrael? Dixit autem eis: Non eſt veſtrûm noſſe témpora vel moménta, quæ Pater póſuit in ſua poteſtáte: ſed accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spiritûs ſancti in vos, & éritis mihi teſtes in Jerúſalẽ, & in omni Judæa, & Samaría, & uſque ad últimum terræ.

℟. Afférte Dómino glóriam & honórem: afférte Dómino glóriam nomini ejus. Commoveatur à fácie ejus univérſa terra: * Dícite in géntibus quia Dóminus regnávit, allelúia. ℣. Viri Iſraelítæ, audíte verba hæc: Jeſum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inférni. * Dícite. *Pſ.* 95. 7. 8. 9. 10. *Act.* 2. 22. 24.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio ij. Orat. 41.

REſurrectiónis dies fauſtúmque princípium: proínde ob feſtum diem exſplendeſcámus: ei qui pro nobis paſſus eſt, & reſurréxit, múnera offerámus. Aurum fortáſſe me dícere putátis, aut argéntum, aut textúras, aut pellúcidos, & ingéntis prétii lápides, fluxam fragilémque matériam, cujus ferè majórem partem póſſident ímprobi, & ſervi rerum terrenárum mundíque príncipis. Imò verò noſmetipſos offerámus, hoc eſt, opes Deo chariſſimas, ipſóque máximè dignas. Imáginis decus, imágini reddámus, dignitátem noſtram agnoſcámus, exémplar noſtrum honóre proſequámur, myſtérii vim intelligámus, & pro quo Chriſtus morte functus eſt. Simus ut Chriſtus, quóniam Chriſtus quoque ſicut nos. Efficiámur dii propter ip-

lum, quóniam ipſe quoque homo propter nos factus eſt. Aſsúmpſit quod detérius erat, ut det quod præſtántius eſt: mendícus factus eſt, ut nos illíus mendicitáte ditémur. Servi formam ſuſcépit, ut nos in libertátem afferámur; deſcéndit, ut evehámur; tentátus eſt, ut vincámus; contémptus eſt, ut glóriâ nos afficiámur; mórtuus eſt, ut ſalútem nobis áfferat; aſcéndit, ut eos qui in peccáti lapſu jacébant, ad ſeípſum trahat. Omnia quiſque donet, ómnia, inquam, ei qui ſeípſum redemptiónis prétium pro nobis ac culpæ noſtræ ſuccidáneum dedit, nemo non ófferat.

℟. Déxtera Dómini fecit virtútem; déxtera Dómini exaltávit me. * Non móriar, ſed vivam: & narrábo ópera Dómini, allelúia. ℣. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſpléndida & matutína. * Non móriar. *Pſalm.* 117. 16. 17. *Apoc.* 22. 16.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 24. 13.

IN illo témpore; Duo ex diſcípulis Jeſu ibant ipsâ die in caſtéllum, quod erat in ſpátio ſtadiórum ſexagínta ab Jeruſalem, nómine Emmaüs. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 235. *in diebus Paſch. aliàs Serm.* 140. *de tempore.*

IN via cum illis tamquam comes ambulábat, & ipſe dux erat. Utique vidébant, ſed non agnoſcébant. Tenebántur enim óculi eórum, ſicut audívimus, ne eum agnóſcerent. Non tenebántur ne vidérent, ſed tenebántur ne eum agnóſcerent. Eïa, fratres, ubi vóluit Dóminus agnóſci? in fractióne panis. Secúri ſumus, panem frángimus, & Dóminum agnóſcimus. Nóluit agnóſci, niſi ibi, propter nos qui non eum viſúri erámus in carne, & tamen manducatúri erámus ejus carnem. Quiſquis ergo fidélis es, quiſquis non inaniter Chriſtiánus vocáris, quiſquis Eccléſiam non ſine cauſa ingréderis, quiſquis verbum Dei cum timóre & ſpe audis, conſolétur te fráctio panis. Abséntia Dómini non eſt abséntia. Habéto fidem, & tecum eſt quem non vides.

℟. O ſtulti, & tardi corde ad credéndum in ómnibus quæ locúti ſunt Prophetæ! * Nonne hæc opórtuit pati Chriſtum, & ita intráre in glóriam ſuam? † Allelúia. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: pro eo quòd laborávit ánima ejus, vidébit & ſaturábitur. * Nonne. Glória. † Allelúia. *Luc.* 24. 25. 26. *Iſ.* 53. 10. 11.

Te Deum.

Ad Benedíctus *Ant. t.* 1. *a.* Incípiens Jeſus à Moyſe, & ómnibus Prophétis, interpretabátur

pretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipſo erant, allelúia. *Luc.* 24. 27.

Oratio.

DEus, qui ſolemnitáte Paſchâli, mundo remédia contuliſti; pópulum tuū, quæſumus, cœléſti dono proſéquere; ut & perfẽctam libertátem cónſequi mereátur, & ad vitam profíciat ſempitérnam; Per Dóminū.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 13. *de Euchar. Cap.* 7.

COmmunicáre volénti, revocándum eſt in memóriam præcéptum Apóſtoli: Probet autem ſeipſum homo. Eccléſiæ conſuetúdo declárat eam probatiónem neceſsáriam eſſe; ut nullus ſibi cónſcius peccáti mortális, quamtúmvis contrítus videátur, abſque præmiſſa ſacramentáli confeſſióne, ad ſacram Euchariſtiam accédere débeat.

Ad 1. Magníf. *Ant. t.* 5. *a.* Apérti ſunt óculi eórum, & cognovérunt Jeſum: & dixérunt ad ínvicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via? allelúia. *Luc.* 24. 31. 32.

Oratio de Laudibus.

Ad 2. Magníf. *Ant. t.* 3. *a.* Regréſſi ſunt in Jerúſalem; & narrábant quómodo cognovérunt eum in fractióne panis, allel. *Luc.* 24. 33. 35.

℣. Apud te eſt fons vitæ, &c. *Oratio ut in die Paſchæ ad* 2. Magníficat.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex ſecundo Nocturno Dominicæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 14. & 22. *ad* 33.

STans Petrus cum úndecim, levávit vocem ſuam, & locútus eſt eis: Viri Iſraelítæ, audíte verba hæc: Jeſum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in médio veſtrî, ſicut & vos ſcitis: hunc definíto consílio & præſciéntiâ Dei tráditum, per manus iniquórum affigéntes interemíſtis: quem Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inférni, juxta quod impoſsíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper: quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear: Propter hoc lætátum eſt cor meū, & exultávit lingua mea, ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe: quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Notas mihi feciſti vias vitæ: & replébis me jucunditáte cum fácie tua. Viri fratres, liceat audénter dícere ad vos de patriárcha David, quóniam defúnctus eſt, & ſepúltus: & ſepúlchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiérnum diem. Prophéta ígitur cùm eſſet, & ſciret quia ju-

rejurándo juráſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedére ſuper ſedem ejus: prövidens locútus eſt de reſurrectióne Chriſti, quia neque derelíctus eſt in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jeſū reſuſcitávit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

℟. Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum. * Et reflóruit caro mea; & ex voluntáte mea confitébor ei. Dóminus fortitúdo plebis ſuæ, & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt, allelúia. ℣. Quid turbáti eſtis, & cogitatiónes aſcéndunt in corda veſtra? Vidéte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum. * Et reflóruit. *Pſal.* 27. 7. 8. *Luc.* 24. 38. 39.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio ij. Enarrat. in Pſal. 101. *Serm.* 2. *num.* 7.

NOn laus fídei Chriſtianórum eſt, quia credunt mórtuum Chriſtum; ſed quia credunt reſurrexíſſe Chriſtum: nam mórtuum & pagánus credit; & hoc tibi pro crímine óbjicit, quia in mórtuum credidíſti. Quæ ígitur laus tua? crédere reſurrexíſſe Chriſtum, & ſperáre te reſurrectúrum eſſe per Chriſtum: hæc eſt laus fídei. Si enim credíderis in corde tuo, quia Dóminus eſt Jeſus, & confeſſus fúeris ore tuo, quia eum Deus ſuſcitávit à mórtuis, ſalvus eris. Non ait, Si confeſſus fúeris, quia eum Deus trádidit occidéndum; ſed, Quia eum Deus ſuſcitávit à mórtuis, ſi confeſſus fúeris, ſalvus eris.

℟. Lætábimur in ſalutári tuo, & in nómine Dei noſtri magnificábimur. * Nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum, allelúia. ℣. Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei. * Nunc cognóvi. *Pſal.* 19. 6. 7. 2. *Cor.* 13. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 24. 36.

IN illo témpore: Stetit Jeſus in médio diſcipulórum ſuórum, & dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolíte timére. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Expoſ. Evang. ſecundùm Luc. Lib. 10.

MIrum quómodo ſe natúra corpórea per impenetrábile corpus infúderit invisíbili áditu, viſíbili conſpéctu, tangi fácilis, difficilis æſtimári. Dénique conturbáti diſcípuli exiſtimábant ſe ſpíritum vidére. Et ideò Dóminus, ut ſpéciem nobis reſurrectiónis oſténderet, Palpáte, inquit, & vidéte, quia ſpíritus carnem & oſſa non habet ſicut me vidétis habére. Non ergo per incorpóream natúram,

ſed per reſurrectiónis qualitátem impérvia uſu, clauſa penetrávit: nam quod tángitur, corpus eſt: quod palpátur corpus eſt. In córpore autem reſurgémus: seminátur enim corpus animále, ſurgit corpus ſpirituále: ſed illud ſubtílius, hoc cráſſius, útpote adhuc terrénæ labis qualitáte concrétum. Nam quómodo non corpus, in quo manébant insígnia vúlnerum, quæ Dóminus palpánda óbtulit? in quo non ſolùm fidem firmat: ſed étiã devotiónem ácuit, quòd vúlnera ſuſcépta pro nobis cœlo inférre máluit, aboláre nóluit: ut Deo Patri noſtræ prétia libertátis oſténderet. Talem ſibi Pater ad déxteram locat, trophæa noſtræ ſalútis ampléctens: tales illìc mártyres nobis cicatrícis ſuæ corona monſtrábit.

℟. Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium. * Quóniam per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. † Allelúia. ℣. Ipſe eſt Deus vivens in ſæcula: ipſe liberátor, atque ſalvátor. * Quóniam. Glória. † Allel. 1. *Cor.* 15. 20. 21. *Dan.* 6. 26. 27.

Ad Benedíctus *Ant. t.* 1. *a.* Palpáte, & vidéte; quia ſpíritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vidétis habére, allelúia. *Luc.* 24. 39.

Oratio.

Deus, qui eccléſiam tuam novo ſemper fœtu multíplicas, concéde fámulis tuis; ut ſacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583. *de Euch. Num.* 1.

Cum nihil hábeat Chriſtiána Relígio ſacraménto Eucharíſtiæ præſtántius & augúſtius, nihílque ad ſanctè & inculpátè vivéndum efficácius ejúſdem frequentíſſimâ perceptióne, dolémus tantam eſſe Chriſtianórum hujus témporis incúriam, ut ſemel tantùm in anno ſumant tam ſalúbris ſacraménti ſubsidia.

Ad 1. Magníf. *Ant. t.* 1. *F.* Apéruit Jeſus diſcípulis ſenſum, ut intellígerent Scriptúras, allelúia. *Luc.* 24. 45.

Oratio de Laudibus.

Ad 2. Magníf. *Ant. t.* 3. *a.* Sic ſcriptum eſt, & ſic oportébat Chriſtum pati, & reſúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam & remiſſiónem peccatórum, allelúia. *Luc.* 24. 46. 47.

℣. Apud te eſt fons vitæ, &c. *& Oratio ut in die Paſchæ.*

FERIA QUARTA.

Pſalmi ex 3. Noct. Dominicæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 36. *ad* 43.

Certíſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dóminum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixíſtis. His autem audítis, compúncti

ſunt corde, & dixérunt ad Petrum, & ad réliquos Apóſtolos: Quid faciémus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœniténtiam (inquit) ágite, & baptizétur unuſquíſque veſtrûm in nómine Jeſu Chriſti, in remiſſiónem peccatórum veſtrórum: & accipiétis donum Spíritûs ſancti. Vobis enim eſt repromíſſio, & filiis veſtris, & ómnibus qui longè ſunt, quoſcúmque advocáverit Dóminus Deus noſter. Aliis étiam verbis plúrimis teſtificátus eſt, & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne iſta prava. Qui ergo recepérunt ſermónem ejus, baptizáti ſunt: & appóſitæ ſunt in die illa ánimæ círciter tria míllia. Erant autem perſeverántes in doctrína Apoſtolórũ, & communicatione fractiónis panis, & oratiónibus.

℟. Ecce quaſi Filius hóminis veniébat. * Et antíquus diérum dedit ei poteſtátem, & honórem, & regnum: & omnes pópuli, tribus, & linguæ ipſi sérvient: potéſtas ejus, poteſtas ætérna, allelúia. ℣. Jeſum à Názareth Deus ſuſcitávit tértiâ die, qui conſtitútus eſt à Deo judex vivórum & mortuórum. * Et antíquus. *Daniel.* 7. 13. 14. *Act.* 10. 38. 40. 42.

De Epíſtola ſancti Ignátii Epíſcopi & Mártyris, ad Smyrnæos.

Lectio ij. Sec. 2.

QUando ad eos, qui cum Petro erant, venit Jeſus, inquit ipſis: Apprehéndite, palpáte, & vidéte, quòd non ſum dæmónium incorporále. Et conféſtim ipſum tetigérunt, atque credidérunt, convícti carne ipſíus & ſpíritu: propter hoc étiã mortem contempsérunt: ſupra mortem verò invénti ſunt. Poſt Reſurrectiónem autem cum illis comédit, & bibit, ut carnális, quamvis ſpirituáliter unítus Patri. Si enim opinióne ſolâ, hæc à Dómino noſtro perácta ſunt; & ego opinióne ſolâ vinctus ſum. Quid verò & meípſum morti trádidi ad ignem, ad gládium? ad béſtias. Tantùm in nómine Jeſu Chriſti, ut ſimul cum illo pátiar, ómnia ſuſtíneo, ipſo roboránte me, qui perféctus homo factus eſt.

℟. Cantáte Dómino cánticum novum; quia mirabília fecit: * Salvávit ſibi déxtera ejus, & bráchiũ ſanctũ ejus: notum fecit Dñus ſalutáre ſuum. allelúia ℣. Expólians principátus & poteſtátes, tradúxit confidénter, palam triúmphans illos in ſemetípſo. * Salvávit. *Pſ.* 97. 1. 2. *Coloſſ.* 2. 15.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 21. 1.

IN illo témpore: Manifeſtávit ſe íterum Jeſus diſcípulis ad mare Tiberíadis.

Manifeſtávit autem ſic: Erãt ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dícitur Dídymus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. 24. habita Feria 4. Paſch.

LEctio ſancti Evangélii quæ modò in áuribus veſtris lecta eſt, fratres mei, quæſtióne ánimum pulſat: ſed pulſatióne ſuâ vim diſcretiónis índicat. Quæri étenim poteſt cur Petrus, qui piſcátor ante converſiónem fuit, poſt converſiónem ad piſcatiónem rédiit; & cùm Véritas dicat: Nemo mittens manum ſuam ad arátrum, & aſpíciens retrò, aptus eſt regno Dei: cur repétiit quod derelíquit? Sed ſi virtus diſcretiónis inſpícitur, cítiùs vidétur, quia nimírum negótium quod ante converſionem ſine peccáto éxtitit, hoc étiam poſt converſiónem repétere culpa non fuit. Nam piſcatórem Petrum, Matthæum verò teloneáriũ ſcimus; & poſt converſiónem ſuam ad piſcatiónem Petrus rédiit; Matthæus verò ad telónii negótium non reſédit; quia áliud eſt victum per piſcatiónem quærere; áliud autem telónii lucris pecúniam augére. Sunt enim pléraque negótia quæ ſine peccátis exhibéri aut vix aut nullátenuè poſſunt. Quæ ergo ad peccátum ímplicant, ad hæc necéſſe eſt ut ánimus poſt converſiónem non recúrrat.

℟. Chriſtus mórtuus eſt pro peccatis noſtris, & ſepúltus reſurrexit tértiâ die ſecúndùm Scriptúras: & * Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc úndecim: † Allelúia. ℣. In terris viſus eſt, & cũ homínibus converſatus eſt. * Viſus eſt. Glória. † Allelúia 1. *Cor.* 15. 3. 4. 5. *Baruch.* 3. 38.

Ad Bened. *Ant.* 1. 6. *f.* Manè facto ſtetit Jeſus in líttore: non tamen cognovérunt diſcípuli quia Jeſus eſt. Dicit eis: Míttite in déxteram navígii, rete. Miſérunt, & jam non valébant illud tráhere præ multitúdine píſcium, All. *Joan.* 21. 4. 6.

Oratio.

DEus, qui nos Reſurrectiónis Dñicæ ánnuâ ſolemnitáte lætíficas: concéde propítiùs, ut per temporália feſta quæ ágimus, perveníre ad gáudia ætérna mereámur; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi ſexto.

An. 1582. *Art.* 9.

PArochus, ſi quem Parochiálem habet qui morbo labórans, aliâve neceſſitáte impedítus, non poteſt ſacro Paſchæ témpore ad Eccléſiam convenire, ubi ſanctiſſimam Communiónẽ cum cæteris fidélibus percípiat: ad illum (etiámſi paucis ante diébus percéperit,) ipſe illo Paſcháli témpore demore déferat.

Ad 1. Magníficat *Ant. t.* 1. *a.* Dicit eis Jeſus: Veníte, prandéte. Et nemo audébat diſcumbéntium interrogáre eum: Tu quis es? ſciéntes, quia Dóminus eſt, allelúia. *Joan.* 21. 12.

Oratio de Laudibus.

Ad 2. Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Hoc jam tértiò manifeſtátus eſt Jeſus diſcípulis ſuis, cùm reſurrexíſſet à mórtuis. *Joan.* 21. 14.

℣. Apud te eſt fons vitæ, &c.

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Dominicæ.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 11.

PEtrus autem & Joánnes aſcendébant in templũ, ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris ſuæ, bajulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemóſynã ab introeúntibus in templum. Is cùm vidíſſet Petrum & Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemóſynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit: Réſpice in nos. At ille intendébat in eos, ſperans ſe áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argéntum & aurum non eſt mihi; quod autem hábeo, hoc tibi do: In nómine Jeſu Chriſti Nazaréni ſurge, & ámbula. Et apprehénsâ manu ejus déxterâ, allevávit eum, & prótinus conſolidátæ ſunt baſes ejus & plantæ. Et exíliens ſtetit, & ambulábat: & intrávit cum illis in templum ámbulans, & exíliens, & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, & laudántem Deum. Cognoſcébant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemóſynam ſedébat ad Speciósam portam templi: & impléti ſunt ſtupóre & éxtaſi, in eo quod contígerat illi.

℟. Exáltas me de portis mortis, ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion: exultábo in ſalutári tuo: * Infíxæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt: ℣. Dómine, convenérunt in civitate iſta advérsùs ſanctum púerum tuum Jeſum, quem unxíſti, Heródes, & Póntius Pilátus cum Géntibus. * Infíxæ ſunt. *Pſal.* 9. 15. 16. *Act.* 4. 27.

Ex Apológia ſancti Juſtíni Mártyris ad Antonínum Imperatórem, Senatúmque Románum.

Lectio ij. circa finem.

DIe Solis omnes públicè convenímus, quia is primus eſt dies, in quo Deus ténebras & matériam cùm mutáſſet, mundum effécit; & quòd eódem die Jeſus Chriſtus conſervátor noſter, à mórtuis excitátus eſt. Prídie enim Satúrni eum in cruce ſuſtulérunt, & poſtrídie Satúrni, qui Solis dies eſt, cùm Apóſtolis diſcipu-

ſiſque ſuis apparuíſſet, hæc illis trádidit, quæ vobis quoque conſideranda permíttimus : ac ſi vobis ratióne, veritatíque conſentánea videntur, ea comprobáte..... non in eos qui nullam injúriam ínferunt, nec ſcelus admíttunt, ut in hoſtes mortem ſtatúite. Prædícimus enim vos Dei judícium non eſſe declinatúros, ſi in ſcélere perſtétis : noſque clamábimus hoc unum, quod Deo viſum erit, id evéniat.

℟. Quantas oſtendiſti mihi, Dómine, tribulatiónes multas, & malas : * Et convérſus vivificáſti me : & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me. ℣. Pater, grátias ago tibi, quóniam audíſti me : ego autem ſciébam quia ſemper me audis. * Et convérſus. *Pſal.* 70. 20. *Joan.* 11. 41. 42.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio. iij. Cap. 20. 11.

IN illo témpore : María ſtabat ad monuméntum foris, plorans. Et réliqua.

Homília S. Gregorii Papæ.

In Evang. 25. *habitâ Feriâ* 5. *Paſchæ.*

MUlier, quid ploras? quem quæris? Interrogátur dolóris causâ, ut augeátur deſidérium; quátenus cùm nomináret quem quæreret, in amóre ejus ardéntiùs æſtuáret. Illa exíſtimans quia hortulánus eſſet, dicit ei : Dómine, ſi tu ſuſtuliſti eum? Quid eſt, quòd viſo eo quem hortulánum crédidit, cui necdum díxerat quem quærébat, ait : Dómine, ſi tu ſuſtulíſti eum? Quaſi enim jam dixíſſet, ex cujus deſidério plángeret, eum dicit quem non díxerat. Sed vis amóris hoc ágere ſolet in ánimo, ut quem ipſe ſemper cógitat, nullum álium ignoráre credat. Rectè & hæc múlier quem quærit non dicit; & tamen dicit : Si tu ſuſtulíſti eum? quia álteri non putat incógnitum, quem ſic ipſa contínuo plangit deſidério.

℟. María ſtabat ad monuméntum foris, plorans. Dicit ei Jeſus : Múlier, quid ploras? Quem quæris? Illa exíſtimans quia hortulánus eſſet, dicit ei : * Dómine, ſi tu ſuſtulíſti eum, dícito mihi ubi poſuíſti eum; & ego eum tollam. † Allelúia. ℣. Indica mihi, quem díligit ánima mea. * Dómine, ſi tu. Gloria... † Allelúia. *Joan.* 20. 11. 15. *Cant.* 1. 6.

Ad Bened. Ant. 5. *A.* Surgens manè Jeſus primâ Sábbati, appáruit primò Maríæ Magdaléne, Allelúia. *Marc.* 16. 9.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Paſchále ſacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulíſti : da méntibus noſtris, ut quod profeſſióne celebrámus, imitémur afféctu; Per.

CANON

Ex Concílio Toletáno.
An. 1590. Part. 9. Can. 5.

QUæ tanto animárum diſpéndio in locis quibuſdam increbuit ſerò nímiùm communicándi conſuetúdo ſanctiùs erit immutánda: adoleſcentéſque, & quos de ſuméndo myſtério ſatis diſcérnere poſſe Párochi vel Confeſſarii judicáverint, ad Communiónem ſunt recipiéndi, imo étiam compellendi.

Ad 1. Magnif *Ant. t. 5. A.* Dicit Mariæ Jeſus: Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum, allelúia. *Joan.* 20. 17.

Oratio de Laudibus.

Ad 2. Magnif. *Ant. t. 7. a.* Venit María Magdaléne, annúntians diſcípulis: Quia vidi Dóminum. Allelúia. *Joan.* 20. 18.

FERIA SEXTA.

Pſalmi ex 2. Noct. Dominicæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 3. v. 11. ad 17.

CUm teneret (claudus) Petrum & Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, ſtupéntes. Videns autem Petrus, reſpóndit ad pópulum: Viri Iſraelítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quaſi noſtrâ virtúte aut poteſtáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrórum, glorificávit Fílium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidíſtis, & negáſtis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem Sanctum & Juſtum negáſtis, & petíſtis virum homicídam donári vobis: Auctórem verò vitæ interfecíſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidíſtis, & noſtis, confirmávit nomen ejus; & fides, quæ per eum eſt, dedit íntegram ſanitátem iſtam in conſpéctu ómnium veſtrûm.

℟. In die malórum protéxit me Dóminus, in abſcóndito tabernáculi ſui: in petra exaltávit me: * Et nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos, allelúia. ℣. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. * Et nunc. *Pſal.* 26. 5. 6. *Matth.* 28. 18.

Sermo ſancti Joánnis Chryſoſtomi.

Lectio ij. Serm. 63.

MEritò quæret áliquis, quam tandem ob cauſam ſtatútum fúerit, ut hiſtóriam crucis in die crucis & paſſiónis legámus: Apoſtolórum autem Acta non ipſis illis diébus, aut illo témpore quo patráta ſunt, legámus. Cauſam diligénter atténdite. Statim poſt crucem & Reſurrectiónem mi-

ricula légimus Apoſtolórum, ut maniféſtam ac indubitátã Reſurrectiónis probatiónem habeámus. Excitátum illum à mórtuis corpóreis óculis non vidíſti; ſed óculis fídei cernis illum à mórtuis excitátum. Non vidíſti illum his óculis à mórtuis excitátum; at per illa mirácula excitátum illum à mórtuis intuébere. Ad illum enim fídei conſpéctum, ſignórum exhibítio te dedúcet. Itaque multò major & evidéntior illa fuit demonſtrátio, quòd in ejus nómine ſigna fíerent, quàm quòd excitátus à mortuis apparéret. Cùm enim Petrum audivíſſent turbæ claudo dicéntem: In nómine Jeſu Chriſti ſurge, & ámbula, tria míllia & quinque míllia virórum Chriſto credidérunt. At diſcípulus cùm ſuſcitátum vidéret, niſi étiam tángeret, incrédulus fuit: hæc cùm vel inimíci ipſi ſpectáſſent, prótinus credidérunt. Ita in hujúſmodi mirácalis, majus áliquid viſum fuit, & evidéntius pluſque ad illos alliciéndos váluit, atque flecténdos, ut Reſurrectióni fidem adhibérent.

℟. Ipſe eſt Deus vivens, & ætérnus in ſæcula: & regnum ejus non diſſipábitur, & potéſtas ejus uſque in ætérnum: * Ipſe liberátor, atque ſalvátor, fáciens ſigna, & mirabília, Allelúia. ℣. Deus ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo. * Ipſe. *Dan.* 6. 26. 27. 1. *Petr.* 1. 21.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 28. *v.* 16.

IN illo témpore; Undecim diſcípuli abiérunt in Galilæam, in montem, ubi conſtitúerat illis Jeſus. Et reliqua.

Homilia ſancti Hierónymi Presbyteri.

In Matth. Lib. 4.

POſt reſurrectiónem Jeſus in monte Galilææ conſpícitur, ibíque adorátur: licèt quidam dúbitent, & dubitátio eórum noſtram áugeat fidem. Tunc maniféſtiùs oſténditur Thomæ; & latus lánceâ vulnerátum, & manus fixas demónſtrat clavis. Et accédens Jeſus locútus eſt eis; dicens: Data eſt mihi omnis potéſtas in cœlo & in terra. Illa potéſtas ei data eſt, qui paulò antè crucifixus, qui ſepúltus in túmulo, qui mórtuus jacúerat, qui póſtea reſurréxit. In cœlo autem & in terra potéſtas data eſt: ut qui antè regnábat in cœlo, per fidem credéntium regnet in terris.

℟. Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus, * Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília ejus. † Allelúia. ℣. Eúntes in mundum

univérſum, prædicáte Evangélium omni creatúræ: * Annuntiáte. Glória. ✝ Allelúia. *Pſal.* 95. 2. 3. *Marc.* 16. 15.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *irreg.* Accédens Jeſus locútus eſt diſcípulis, dicens: Data eſt mihi omnis potéſtas in cœlo, & in terra, Allelúia. *Matth.* 28. 18.

Oratio.

DEus, qui diverſitátem géntium in confeſſióne tui nóminis adunáſti: da ut renátis fonte baptíſmatis, una ſit fides méntium, & píetas actiónum; Per Dóminum.

C A N O N

Ex Conſtitutiónibus Eccléſiæ Gallicánæ in Convéntu Melodunénſi.

An. 1579. *Tit. de Eucharist.*

AD frequéntem Communiónem, cum fídei ſinceritáte, ſpei confidéntiâ, charitátis ardóre, ac animárum puritáte pópuli excitándi ſunt. Júvenes primùm ad tanti ſacraménti ſumptióne̅ admítti voléntes probéntur; & per tempus áliquod antequam admittántur, ad fídei ſinceritátem, uſum & fructum tanti ſacraménti inſtituántur.

Ad 1. Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti, Allelúia. *Matth.* 28. 19.

Oratio de Laudibus.

Ad 2. Magnif. *Ant. t.* 3. *as* Qui credíderit & baptizátus fúerit, ſalvus erit, allelúia. *Marc.* 16. 16.

℣. Apud te eſt fons vitæ eſt.

SABBATO IN ALBIS.

Pſalmi ex iij. Noct. Dominicæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lect. j. Cap. 3. *v.* 17. *ad finem*

ET nunc, fratres, ſcio quia per ignorántiam feciſtis, ſicut & príncipes veſtri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Chriſtum ſuum, ſic implévit. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleántur peccáta veſtra: ut cùm vénerint témpora refrigérii à conſpéctu Dómini, & míſerit eum qui prædicátus eſt vobis, Jeſum Chriſtum, quem opórtet quidem cœlum ſuſcípere uſque in témpora reſtitutiónis ómnium, quæ locútus eſt Deus per os ſanctórum ſuórum à ſæculo Prophetárum. Móyſes quidem dixit: Quóniam Prophétam ſuſcitábit vobis Dóminus Deus veſter de frátribus veſtris, tamquam meipſum audiétis juxta ómnia quæcúmque locútus fúerit vobis. Erit autem, omnis ánima, quæ non audíerit Prophétam illum exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ à Sámuel, & deínceps, qui locúti ſunt, annuntiavérunt dies iſtos. Vos eſtis fílii Prophetárum, & [illegible]

ménti, quod diſpóſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. Vobis primùm Deus suſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicéntem vobis; ut convértat ſe unuſquíſque à nequítia ſua.

℟. Exaltabo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me: nec delectáſti inimícos meos ſuper me: Deus meus, clamávi ad te, * Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum, allelúia. ℣. Salus, & glória, & virtus Deo noſtro. * Dómine. *Pſal.* 29. 2. 3. 4. *Apoc.* 19. 1.

Sermo ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Lectio ij. In die Paſch. 5.

DIes iſtos, quibus poſt paſſiónem Dómini noſtri Deo cantámus Allelúia, feſtos habémus in lætítia uſque ad Pentecóſten, quando miſſus eſt de cœlo Spíritus ſanctus. Ex his diebus, ſeptem vel octo qui nunc agúntur, ſacraméntis infántium deputántur. Qui paulò ante vocabántur Competéntes, modò vocántur Infántes. Competéntes dicebántur, quóniam matérna víſcera, ut naſceréntur, peténdo pulsábant. Infántes dicúntur, quia modò nati ſunt Chriſto, qui priùs nati fúerant in ſæculo. In illis eſt vita nováta, quæ in vobis debet eſſe firmáta; ut qui jam fidéles eſtis, non eis exempla, quibus péreant, ſed quibus profíciant, præbeátis. Jam ipſos álloquor, ut grana ſint in área. Vos fratres, vos filii, vos novella germina matris Eccléſiæ, óbſecro vos, per quod accepíſtis, ut attendátis in eum qui vos vocávit, qui dilexit vos, qui pérditos quæsivit vos, qui invéntos illuminávit vos, ut non ſectémini vias perditórum, in quibus errat nomen fidélium. Elígite vobis quos imitémini, Deum timéntes, Eccleſiam Dei cum timóre intrántes, verbum Dei diligénter audiéntes, factis impléntes.

℟. Timéte Dóminum, & ſervíte ei in veritáte, & ex toto corde veſtro: * Vidíſtis enim magnífica quæ in vobis géſſerit, allelúia. ℣. Ecce facta ſunt ómnia nova: ómnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit ſibi per Chriſtum. * Vidíſtis. 1. *Reg.* 12. 24. 2. *Cor.* 5. 17. 18.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 20. 1.

IN illo témpore; Unà Sábbati, María Magdaléne venit manè, cùm adhuc ténebræ eſſent, ad monuméntum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homilia 22. *in Evang. habita Sabb. poſt Paſch.*

LEctio ſancti Evangélii, quam modò, fratres,

audíſtis, valde in ſuperfície hiſtórica eſt apérta, ſed ejus nobis ſunt myſtéria ſub brevitáte requirénda. María Magdaléne, cùm adhuc ténebræ eſſent, venit ad monuméntum. Juxta hiſtóriam notátur hora: juxta intelléctum verò myſticum, requiréntis ſignátur intelligéntia. María enim auctórem ómnium, quem carne víderat mórtuum, quærébat in monuménto: & quia hunc mínimè invénit, furátum crédidit. Adhuc ergo erant ténebræ, cùm venit ad monuméntum. Cucúrrit cítiùs, diſcipulíſque nuntiávit; ſed illi præ cæteris cucurrérunt, qui præ cæteris amavérunt; vidélicet Petrus & Joánnes.

℟. Dóminus factus eſt adjútor meus: * Convertíſti planctum meum in gáudium mihi; & circumdedíſti me lætítiâ: ut cantet tibi glória mea, & non compúngar. ✝ Allelúia. ℣. Fui mórtuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculórum. * Convertíſti. Glória. ✝ Allelúia. *Pſal.* 29. 11. 12. 13. *Apoc.* 1. 18.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *d.* Petrus introívit in monuméntum, & vidit linteámina póſita, & ſudárium, quod fúerat ſuper caput ejus, allelúia. *Joan.* 20. 6. 7.

Oratio.

Concéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui feſta Paſchália venerándo égimus, per hæc contíngere ad gaudia ætérna mereámur; Per Dóminum.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Seſſ. 13. *de Euchariſt. Cap.* 8.

In ſacramentáli ſumptióne ſemper in Eccléſia Dei mos fuit, ut Láici à Sacerdótibus Communiónem accíperent; Sacerdótes autem celebrántes, ſeípſos communicárent: qui mos tamquam ex traditióne Apoſtólica deſcéndens, jure ac méritò retinéri debet.

DOMINICA IN ALBIS DEPOSITIS.

AD I. VESPERAS.

Ex reſurrectione Chriſti juſtificatio noſtra: traditus eſt propter delicta noſtra: Et reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Rom. 4. 25.

Pſalmi de Sabbato ſub Antiph. ſola ſequente.

Ant. t. 4. *E.* Ad pópulos exaltábo ſignum meum: & aſferent filios in ulnis, & fílias ſuper húmeros portábunt, allelúia. *Iſ.* 49. 22.

Capitulum. Iſ. 49. 8. 9. 10.

Dedi te, ut díceres his, qui vincti ſunt: Exíte; & his, qui in ténebris: Revelámini... quia miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos.

℟. Numquid non tu, Dómine, percuſſíſti ſupérbum, vulneráſti dracónem? * Et nunc qui redémpti ſunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudántes, & lætítia ſempitérna ſuper

cápita eórum : fúgiet dolor & gémitus. ✝ Allelúia. ℣. Liberavit nos Deus, ſecúndùm grátiam quæ manifeſtata eſt nunc per illuminatiónem Jeſu Chriſti, qui deſtrúxit quidem mortem, illuminavit autem vitam. * Et nunc. Glória. ✝ Allelúia. *Iſ.* 51. 9. 11. 2. *Tim.* 1. 9. 10.

HYMNUS.

MOrte qui clarus, dómitâ reſúrgis,
Dives & victi ſpóliis ſepúlchri,
Chriſte, da tanti celebráre lætos
Feſta triúmphi :

Qui tuo cedit móriens ab ictu,
Ne putes, ô mors inimíca, prædam :
Victa vincéndo, própriis ruíſti
Læſa ſub armis.

Inferi tecum ruit & potéſtas :
Hanc palàm Chriſtus ſpólians triúmphat,
Tártari promptus reſcráre, victo
Príncipe, portas.

Inde, lethalis tulit à tyránno
Scripta decréti, próprio cruóre
Oblinens, delet nocitúra toti
Syngrapha genti.

Ergo, nunc legis vetus obſoléſcit
Paſcha : ſe Chriſtus dedit immolándum
Angelo poſtes vétitum ferire
Sánguine tinctos.

Mórtuis vitam redivívus afflat,
Quos & in ligno móriens redémit,
Hinc poteſtátis, ſimul hinc amóris
Pígnora ſanxit.

Summa laus Patri, Genitóque ſumma,
Qui ſuo nutu ſibi dat renáſci :
Te Deum compar, utriúſque nexus,
Glória laudet. Amen.

℣. Dicant qui redémpti ſunt à Dómino : ℟. Quóniã in ſæculũ miſericórdia ejus, allelúia. *Pſ.* 106. 1. 2.

Ad Mag. *Ant. t.* 3. *a.* Dóminus ſcidit aquas ante eos, ut fáceret ſibi nomen ſempitérnum, edúxit eos per abyſſos, allelúia. *Iſ.* 63. 12. 13.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Poſt Pſalmos conſuetos, dicta Allelúia, *dicitur ſequens*

HYMNUS.

CHriſti triúmphos æmulis
Extóllat orbis vócibus ;
Nec nocte lætum déſinat
Victóris Agni cánticum.

Te, Chriſte, pendéntem cruci
Insána ridébat cohors :
At quanta, victo fúnere,
Penſat dolóres glória !

Fruſtrà ſepúlchro milites
Cæcátus appónit furor :
Fruſtrà ſigillis óſtium
Cautéla demens áſſerit.

Promíſſus ut venit dies
Qui lúmini te rédderet:
Tu, liber inter mórtuos,
Mox ſepta nutu trãſvolas.
Te matris alvo Vírginis
Illæſus effúdit pudor:
Vivum, ſigíllis íntegris,
Te reddit illæſus lapis.
Da, Chriſte, nos tecum mori:
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Qui te ſepúlchro súſcitas,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 5. 6.

OMnes vos filii lucis eſtis, & filii diéi: non ſumus noctis, neque tenebrárum: ígitur non dormiámus ſicut & cæteri; ſed vigilémus, & sóbrii ſimus.

℣. Cuſtódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia. *Pſ.* 16. 8.

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* *t.* 5. *a.* Mane nobíſcum, Dómine, allelúia, quóniam advesperáſcit; allelúia, & inclináta eſt jam dies, allelúia. *Luc.* 24. 29.

Oratio. Viſita, quæſumus.

Et ſic dicitur Completorium uſque ad Aſcenſionem Domini, additis Precibus, ut in Pſalterio, quando dicendæ ſunt.

AD OFFICIUM NOCT.

Sanguis Chriſti, pretium noſtrum: ipſius reſurrectio, ſalus noſtra.

Invitat. Chriſtum, qui reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram, * Veníte, adorémus, allelúia. *Rom.* 4. 25.

Tres Pſalmi ex 1. *Noct.* *Dominicæ.*

Ant. *t.* 1. *D.* In ſciéntiâ ſuâ juſtificábit ipſe juſtus ſervus meus multos, allelúia. *Iſ.* 53. 11.

Ant. *t.* 2. *D.* Sicut terra profert germen ſuum; ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam, allelúia. *Iſ.* 61. 11.

Ant. *t.* 3. *a.* Dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

℣. Tu es Deus qui facis mirabília. ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, allelúia. *Pſal.* 76. 15. 16.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio. j. *Cap.* 4. *v.* 5. *ad* 13.

FActum eſt autem in craſtinum, ut congregaréntur Príncipes eórum, & Senióres, & Scribæ in Jerúſalem; & Annas princeps Sacerdotum, & Caïphas, & Joánnes, & Alexánder, & quotquot erant de génere ſacerdotali. Et ſtatuentes eos in médio, interrogabant: In qua virtúte, aut in quo nómine feciſtis hoc vos? Tunc repletus Spíritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Príncipes populi, & Senióres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefacto hóminis infírmi in quo

iſte ſalvus factus eſt, notum ſit ómnibus vobis, & omni plebi Iſrael: quia in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti Nazaréni, quem vos crucifixíſtis, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobátus eſt à vobis ædificántibus, qui factus eſt in caput ánguli; & non eſt in álio áliquo ſalus: Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fíeri.

℟. In ſervitúte noſtra non derelíquit nos Deus noſter, ſed inclinávit ſuper nos miſericórdiam ſuam, *Ut daret nobis vitam, allelúia. ℣. Secúndùm miſericórdiam ſuã magnam regenerávit nos in ſpem vivam, per reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mortuis, * Ut daret. 1. *Eſd.* 9. 9. 1. *Pet.* 1. 3.

Sermo S. Auguſtíni Epíſcopi.

Sermo 200. *aliàs* 11. *habitus die Domin. in Oct. Paſchæ.*

Lectio ij.

Ne moras faciámus, actúri multa, regenerátis in baptíſmo, qui hódie miſcéndi ſunt pópulo, brevis, ſed gravis ſermo reddéndus eſt. Vos qui baptizáti eſtis, & hódie complétis ſacraméntum Octavárum veſtrárum, bréviter accípite, & intellígite tranſlátam fuíſſe figúram circumciſiónis carnis, ad circumciſiónem cordis. Infántes appellámini, quóniam regeneráti eſtis, & novam vitam ingréſſi eſtis, & ad vitam ætérnam renáti eſtis, ſi hoc, quod in vobis renátum eſt, malè vivéndo non ſuffocétis. Reddéndi eſtis pópulis, miſcéndi eſtis plebi fidélium: cavéte ne imitémini malos fidéles, imò falſos fidéles; quaſi confiténdo fidéles; ſed malè vivéndo infidéles. Vidéte quia teſtíficor vobis coram Deo & Angelis ejus; caſtitátem ſerváte, ſive conjugálem, ſive omnímodæ continéntiæ. Quicúmque continéntiam vovíſtis, rédditequod vovíſtis; quia non exigerétur, ſi non voviſsétis. Quod pótuit licére, non licet; non quia núptiæ damnántur, ſed qui retrò réſpicit, damnátur. Cavéte à fráudibus in negótiis veſtris. Cavéte à mendáciis & perjúriis. Cavéte à verboſitáte & luxúria. Quæcúmque non vultis fíeri vobis, nolíte fácere áliis, & homínibus & Deo. Quid vos ónerem? Hæc ágite, & Deus pacis erit vobíſcum.

℟. Deponéntes omnem malítiam, *Sicut modò géniti infántes, rationábile, ſine dolo lac concupíſcite; ut in eo creſcátis in ſalútem, allelúia. ℣. Teſtes vos eſtis, quia ipſi elegéritis vobis Dóminum, ut ſerviátis ei; nunc ergo inclináte corda veſtra ad Dñum. * Sicut modò. 1. *Pet.* 2. 1. 2. *Joſ.* 24. 22. 23.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 20. 19.

IN illo témpore : Cùm ſero eſſet die illo, unâ Sabbatórum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jeſus, & ſtetit in médio, & dixit eis : Pax vobis. Et réliqua.

Homilia ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 26. hab. in Octav. Paſchæ.

LÆtíficat valdè quod ſéquitur (Beáti qui non vidérunt & credidérunt.) In qua nimírum ſenténtia nos ſpeciáliter ſignáti ſumus : ſed ſi fidem noſtram opéribus ſéquimur. Ille étenim verè credit, qui exércet operándo quod credit... Ecce Paſchália ſolémnia ágimus : ſed ita vivéndum eſt nobis, ut pervenire ad ætérna feſta mereámur. Tránſeunt cuncta quæ temporáliter feſtíva celebrántur. Curáte, qui hâc ſolemnitáte intereſtis, ne ab ætérna ſolemnitáte ſeparémini. Quid prodeſt intereſſe feſtis hóminum, ſi deéſſe contingat feſtis Angelórum ? Umbra ventúræ ſolemnitátis eſt ſolémnitas præſens. Idcírco hanc ánnuè ágimus, ut ad illam quæ non eſt ánnua, ſed contínua perducámur. Cùm hæc ſtatúto témpore géritur, ad illíus deſidérium memória noſtra refricátur. Frequentatióne ergo gáudii temporalis, ad ætérna gáudia mens incaléſcat & férveat : ut ex veritáte lætítiæ perfruátur in pátria, quod de umbra gáudii meditátur in via. Vitam ergo veſtram, fratres, moréſque compónite. Is qui mitis reſurréxit ex morte, quàm diſtríctus in judício véniat, prævidéte.

℟. Ubi eſt, mors, victória tua ? ubi eſt, mors, ſtímulus tuus ? ſtímulus mortis peccátum eſt : * Deo autem grátias qui dedit nobis victóriam per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. † Allelúia. ℣. Oblivióni tráditæ ſunt angúſtiæ prióres, & abſcónditæ ab óculis. * Deo autem.. Glória. † Allelúia. *1. Cor. 15. 55. 56. 57. Iſ. 65. 16.*

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

Chriſtus non ſibi tantùm, ſed & nobis, reſurrexit.

℣. *Sacerdos.* Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ : ℟. Et exultávimus, & delectáti ſumus, allelúia. *Pſal. 89. 14.*

Ant. 1. 1. d. QUem Deus ſuſcitávit à mórtuis, per hunc remíſſio peccatórum annuntiátur : in hoc omnis qui credit juſtificátur, allelúia. *Act. 13. 37. 38. 39.*

Ant. 1. 6. f. Cùm mórtui eſsétis in delíctis, convivificávit vos cum Chriſto Deus, donans vobis ómnia delícta, allelúia. *Coloſ. 2. 13.*

Ant.

Ant. 2. 3. *a.* Vos ſalvos facit baptíſma, per Reſurrectiónem Jeſu Chriſti, allelúia. 1. *Petr.* 3. 21.

Ant. 2. 5. *a.* Corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum: ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónem, allelúia. *Rom.* 8. 10.

Ant. 2. 7. *C.* Conſepúlti ei in baptíſmo, in quo & reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis, allelúia. *Coloſ.* 2. 12.

Capitulum. Eph. 5. 8. 9. 10.

ERátis aliquándo ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte: fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítiâ, & veritáte: probántes quid ſit beneplácitum Deo.

℣. Eduxit Dóminus pópulum ſuum in exultatióne;

℟. Et eléctos ſuos in lætítia, allelúia. *Pſ.* 104. 43.

Ad Bened. *Ant.* 2. 8. *g.* Poſt dies octo, íterum venit Jeſus, jánuis clauſis, & ſtetit in médio, & dixit: Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20. 26.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Paſchália feſta perégimus; hæc, te largiénte, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ad Hymnum Doxologia.

Qui te ſepúlchro ſúſcitas,
Jeſu tibi ſit glória:
Cum Patre & almo Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum. Amen.

Et hæc Doxologia dicitur toto Tempore Paſchali in Hymnis ejuſdem metri.

Poſt tres Pſalmos dicitur Symbolum Quicumque.

Capitulum... Regi ſæculórum, &c.

℟. *br.* Chriſte Fili Dei vivi, miſerére nobis: * Allelúia, Chriſte. allelúia. ℣. Qui ſurrexíſti à mórtuis: * All. Glória. Chriſte &c. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Rom.* 6. 4.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi tértio.

An. 1573. *Part.* 1. *Tit.* 7.

QUicúmque in Paſcha ab Diœcéſi abfúerit, is, revérſus, ſe eo témpore ſacram Communiónem ſúpſiſſe teſtátum fáciat ſcripto Sacerdótis à quo súmpſerit. Alióquin, ut Eccléſiæ præcépto páreat, confeſſus in Parochiáli Eccléſia, ſacram Euchariſtiâ ſuſcípiat. Quod niſi fécerit, prout juris eſt, pœnâ afficiatur.

AD TERTIAM.

Capitulum Rom. 6. 6. 7.

VEtus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto. Qui enim mórtuus eſt, juſtificátus eſt à peccáto.

℟. Liberávit nos Deus ſecúndùm grátiam quæ ma-

niſeſtáta eſt nunc per illuminatiónem Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti, * Qui deſtrúxit quidem mortem; illuminávit autem vitam & incorruptiónem. † Allelúia. ℣. Cantáte Deo, pſalmum dícite nómini ejus: iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum. * Qui. Glória. † Allelúia. 2. *Tim.* 1. 9. 10. *Pſal.* 67. 5.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum, allelúia. *Pſal.* 106. 8.

Per Hebdomadam ad Officium Feriale.

℟. *br.* Edúxit eos Dñus de ténebris, & umbra mortis.* Allelúia, allelúia. Edúxit. ℣. Et víncula eórum diſrúpit. * Allelúia, allelúia. Glória. Edúxit. *Pſal.* 106. 14.

℣. Contrívit Dóminus portas æreas: ℟. Et vectes férreos confrégit, allelúia. *Pſal.* 106. 16.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tit. 3. 5.

NOn ex opéribus juſtítiæ, quæ fécimus nos, ſed ſecúndum ſuam miſericórdiam, ſalvos nos fecit per lavácrũ regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs ſancti.

℟. *br.* Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam. * Allelúia, allelúia. Dómine ℣. Salváſti me à deſcendéntibus in lacum. * Allelúia, all. Glória. Dñe. *Pſal.* 29. 4.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniã ſuſcepíſti me: ℟. Nec delectáſti inimícos meos ſuper me, allelúia. *Pſal.* 29. 2.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 14. 15.

SI unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt: & pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus; ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei qui pro ipſis mórtuus eſt, & reſurréxit.

℟. *br.* Reddam, Dómine, laudatiónes tibi, * Allelúia, allelúia Reddã. ℣. Quóniã eripuíſti ánimã meam de morte. * Allelúia, allelúia. Glória. Reddam. *Pſal.* 55. 12. 13.

℣. Audítam fácite vocem laudis ejus, ℟. Qui póſuit ánimam meam ad vitam, allelúia. *Pſ.* 65. 8. 9.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus: Pſalmi de Dominica.

Capitulum. Act. 10. 40. 43.

JEſum Deus ſuſcitávit tértiâ die.... Huic omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

Hymnus. Morte qui clarus, &c. *ut in Veſp. Sabbati.*

℣. Salvávit eos propter nomen ſuum: ℟. Ut notam fáceret poténtiam ſuam, allelúia. *Pſ.* 105. 8.

Ad Magnif. *Ant.* 2. 6. *f.* Oſténdit eis Jeſus manus & latus: gaviſi ſunt ergo diſcípuli, viſo Dómino, allelúia. *Joan.* 20. 20.

Oratio de Laudibus.

IN FERIIS

HEBDOM. POST DOMIN. I. à Paſchate.

Ad Off. Noct. Inv. & Ant. ut in Dom. præcedenti. Pſ. ex 1. Noct. cujuſque Fer. ℣. ut in Dom. Lect. & Reſp. ut in quaque Feria aſſignantur.

Ad Laud. 1. Ant. ſola de Laud. ſuper Pſ. Fer. Cætera ut in Dom. præter Ant. ad Bened. *quæ erit propria.*

Poſt Orationem, in Feriis fit Commemoratio de Cruce ſub

Ant. Chirógraphum decréti quod erat contrárium nobis, Chriſtus tulit de médio, affigens illud cruci; & expólians principátus & poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in ſemetipſo, allelúia. *Coloſ.* 2. 14. 15.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus eſt: ℟. Indútus eſt fortitúdinem & præcínxit ſe, allelúia. *Pſ.* 92. 1.

Oratio.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum ſubíre voluíſti, ut inimíci à nobis expélleres poteſtátem: concéde nobis fámulis tuis, ut Reſurrectiónis grátiam conſequámur; Per eúmdem.

Et ſic fit Comm. de Cruce ad Laudes, in Officio Feriali, & toto Tempore Paſchali: non ſiunt ſuffragia conſueta.

Ad Horas breves, Antiph. de Laudibus, quartâ omiſſâ; & hæc notandum in poſterum contra veterem Rubricam, propter relationem quæ exactè obſervata eſt inter Antiphonas Laudum aſſumendas ad Horas; & earumdem Horarum Capitula & ℟. br.

Ad Veſperas: prima Antiph. de Laudibus: Pſal. de Feria: reliqua ut in ſecundis Veſperis Domin. præter Antiph. ad Magnificat, *quæ datur in unaquaque Feria.*

Commemoratio de Cruce, ad Veſperas in Officio Feriali.

Ant. Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei, allel. 2. *Cor.* 13. 4.

℣. Dicite in géntibus, ℟. Quia Dóminus regnávit, allelúia. *Pſal.* 95. 10.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ: Antiph. ut in Dominica.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 13. *ad* 19.

VIdéntes Petri conſtántiam & Joánnis, compérto quòd hómines eſſent ſine lítteris, & idiótæ, admirabántur, & cognoſcébant eos quóniam cum Jeſu fúerant: hóminem quoque vidéntes ſtantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Juſsérunt autem eos foràs extra concílium ſecédere; & conferébant ad invicem, dicéntes: Quid faciémus homínibus iſtis? quóniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, ómnibus habitántibus Jerúſalem: manifeſtum eſt,

& non póſſumus negáre. Sed ne ampliùs divulgétur in pópulum, comminémur eis, ne ultrà loquántur in nómine hoc ulli hóminum. Et vocántes eos, denuntiavérunt ne omníno loqueréntur, neque docérent in nómine Jeſu.

℟. In ſervitúte noſtra non derelíquit nos Deus noſter, ſed inclinávit ſuper nos miſericórdiam ſuam, * Ut daret nobis vitam, allelúia. ℣. Juſtificáti ſumus gratìs per grátiam Dei, per redemptiónem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. * Ut daret. 1. *Eſd.* 9. 9. *Rom.* 3. 24.

Lectio ij. v. 19. ad 24.

PEtrus verò & Joánnes reſpondéntes, dixérunt ad eos: Si juſtum eſt in conſpéctu Dei, vos potiùs audíre quàm Deum, judicáte: non enim póſſumus quæ vídimus & audívimus non loqui. At illi comminántes dimiſérunt eos, non inveniéntes quómodo puníret eos propter pópulum, quia omnes clarificábant id quod factum fúerat in eo quod accíderat. Annórum enim erat ámpliùs quadragínta homo, in quo factum fúerat ſignum iſtud ſanitátis. Dimiſſi autem venérunt ad ſuos; & annuntiavérunt eis quanta ad eos Príncipes Sacerdotum & Senióres dixiſſent.

℟. In voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, & efférte illud uſque ad extréma terræ. * Dícite: Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob, allelúia. ℣. In Chriſto habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecúndùm divítias grátiæ ejus. * Dícite. *Iſ.* 48. 20. *Eph.* 1. 7.

Lectio iij. v. 24. ad 32.

QUi cùm audiſſent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, & dixérunt: Dómine, tu es qui feciſti cœlum, & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt; qui Spíritu ſancto per os patris noſtri David, púeri tui, dixiſti: Quare fremuérunt gentes, & pópuli meditáti ſunt inánia? Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus. Convenérunt enim verè in civitáte iſta advérsùs ſanctum púerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Heródes, & Póntius Pilátus, cum Géntibus, & pópulis Iſrael, fácere quæ manus tua & consílium tuum decrevérunt fieri. Et nunc, Dómine, réſpice in minas eórum, & da ſervis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam exténdas ad ſanitátes, & ſigna, & prodígia fieri per nomen ſancti Filii tui Jeſu. Et cùm oráſſent, motus eſt locus, in quo erant congregáti; & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & loquebántur ver-

bum Dei cum fidúcia.

℟. Quem vos interemíſtis, ſuſpendéntes in ligno, * Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum. ✝ Allelúia. ℣. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam, & cum ſcelerátis reputátus eſt, * Hunc. Glória. ✝ Allelúia. *Act.* 5. 30. 31. *Iſ.* 53. 12.

Ad Benedictus *Ant. t.* 1. *a.* Thomas, unus ex duódecim, non erat cum eis quando venit Jeſus. Dixérunt ergo ei álii diſcípuli: Vídimus Dóminum, allelúia. *Joan.* 20. 24. 25.

Oratio ex Dominica ad Laudes.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

An. 1576. *Part.* 3. *Tit. monit.*

QUi Sacerdótes eſtis, Miſſæ ſacrifícium ſæpiùs fácite; ſanctè ac religiósè ad illud faciéndum paráte vos, omni pietáte in tam alti myſtérii meditatióne toto ánimo defixi.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *a.* Jeſum Deus ſuſcitávit à mórtuis: nec áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fíeri, allelúia. *Act.* 4. 10. 12.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 32. *ad finem.*

MUltitúdinis autem credéntium erat cor unū, & ánima una: nec quiſquam eórum quæ poſſidebat, áliquid ſuum eſſe dicébat; ſed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium Reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apoſtolórum. Dividebántur autem ſingulis prout cuíque opus erat. Joſeph autem, qui cognominátus eſt Bárnabas ab Apóſtolis, (quod eſt interpretátum, Fílius conſolatiónis) Levítes, Cyprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & póſuit ante pedes Apoſtolórum.

℟. Salvávit eos déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui. * Tu ipſe es Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalútes Jacob, allelúia. ℣. Dóminus meus, & Deus meus. * Tu ipſe es. *Pſal.* 43. 4. 5. *Joan.* 20. 28.

Lectio ij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 7.

VIr autem quidam nómine Anánias, cum Saphíra uxóre ſuâ, véndidit

agrum, & fraudavit de prétio agri, cónſciâ uxóre ſuâ: & ámferens partem quamdam, ad pedes Apoſtolórum póſuit. Dixit autem Petrus: Anánia, cur tentávit sátanas cor tuum, mentíri te Spirítui ſancto, & fraudáre de prétio agri? Nonne manens tibi manébat, & venúmdatum in tua erat poteſtáte? Quare poſuíſti in corde tuo hanc rem? Non es mentítus homínibus, ſed Deo. Aúdiens autem Ananías hæc verba, cécidit, & expirávit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audiérunt. Surgéntes autem júvenes amovérunt eum, & efferéntes ſepeliérunt.

℟. Per Chriſtum vobis remíſſio peccatórum annuntiátur, & ab ómnibus quibus non potuíſtis in lege Moyſi juſtificári: * In hoc omnis qui credit, juſtificátur, allelúia. ℣. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ. * In hoc omnis. *Act.* 13. 38. 39. *Iſ.* 45. 17.

Lectio iij. v. 7. ad 12.

FActum eſt autem quaſi horárum trium ſpátium; & uxor ipsíus, néſciens quod factum fúerat, introívit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, múlier, ſi tanti agrum vendidíſtis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid útique convenit vobis tentáre Spíritum Dómini? Ecce pedes eórum, qui ſepeliérunt virum tuum, ad óſtium, & efferent te. Conféſtim cécidit ante pedes ejus, & expirávit. Intrántes autem júvenes, invenérunt illam mórtuam; & extulérunt, & ſepeliérunt ad virum ſuum. Et factus eſt timor magnus in univérſa eccléſia, & in omnes qui audiérunt hæc.

℟. Deus, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam charitátem ſuam, quâ diléxit nos, * Cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos, & conreſuſcitávit in Chriſto Jeſu: † Allelúia. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. * Cùm. Glória. † Allelúia. *Eph.* 2. 4. 5. 6. *Pſal.* 97. 1.

Ad Benedictus *Ant. t.* 1. *F.* Dixérunt Thomæ álii diſcípuli: Vídimus Dóminum, allelúia. *Joan.* 20. 25.

CANON
Ex Concílio Lateranénſi quarto.

An. 1215. *Can.* 17.

SUnt qui Miſsárum celebrant ſolémnia vix quater in anno; & quod detérius eſt, interéſſe contémnunt: &, ſi quando dum hæc celebrántur intérſunt Choro, ſiléntium fugiéntes, inténdunt extériùs collocutiónibus Laïcórum.... Hæc ígitur & ſimília ſub pœna ſuſpenſiónis pénitùs inhibémus.

Ad Magnificat *Ant. t.* 3. *a.* Quicúmque baptizáti eſtis,

Chriſtum induíſtis, allelúia. *Gal.* 3. 27.

FERIA QUARTA.

Pſalmi ex I. *Noct. Feriæ.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 12. *ad* 17.

PEr manus autem Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat ſe conjúngere illis; ſed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum; ita ut in platéas ejícerent infírmos, & pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, ſaltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitátibus ſuis. Concurrébat autem & multitúdo vicinárum civitátum Jerúſalem, afferéntes ægros, & vexátos à ſpirítibus immúndis; qui curabántur omnes.

℟. Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? * Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum, allelúia. ℣. Certíſſimè ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dóminũ & Chriſtum fecit Deus, Jeſum quem vos crucifixíſtis. * Scitóte. *Pſalm.* 4. 3. 4. *Act.* 2. 36.

Lectio ij. v. 17. *ad* 24.

EXúrgens autẽ Princeps Sacerdótum, & omnes qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæórum) repléti ſunt zelo: & injecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtódia públicá. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquímini in templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audíſſent, intravérunt dilúculo in templum, & docébant. Advéniens autem Princeps Sacerdótum, & qui cum eo erant, convocavérunt concílium, & omnes Senióres filiórum Iſrael; & misérunt ad cárcerem ut adduceréntur. Cùm autem veníſſent miníſtri, & apérto cárcere non inveníſſent illos, revérſi nuntiavérunt, dicéntes: Cárcerem quidem invénimus clauſum cum omni diligéntia, & cuſtódes ſtantes ante jánuas; aperiéntes autem néminem intùs invénimus.

℟. Jeſus Chriſtus diléxit nos, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo: * Ipſi glória & impérium in ſæcula ſæculórum, allelúia. ℣. Sanctus vocábitur omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jerúſalem, ſi abluerit Dóminus ſordes filiárum Sion. * Ipſi glória. *Apoc.* 1. 5. 6. *Iſ.* 4. 3. 4.

Lectio iij. v. 24. *ad* 33.

UT autem audiérunt hos ſermónes Magiſtrátus templi, & Príncipes Sacerdótum, ambigébant de illis

quidnam fieret. Advéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri, quos poſuíſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docéntes pópulum. Tunc ábiit Magiſtrátus cum miniſtris, & addúxit illos ſine vi; timébant enim pópulum ne lapidaréntur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuérunt in concílio. Et interrogávit eos Princeps Sacerdótum, dicens: Præcipiéndo præcépimus vobis ne docerétis in nómine iſto: & ecce repléſtis Jerúſalem doctrínâ veſtrâ; & vultis indúcere ſuper nos ſánguinem hóminis iſtíus. Reſpóndens autem Petrus & Apóſtoli, dixérunt: Obedíre opórtet Deo magis quàm homínibus. Deus patrum noſtrórum ſuſcitávit Jeſum, quem vos interemíſtis, ſuſpendéntes in ligno. Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum. Et nos ſumus teſtes horum verbórum, & Spíritus ſanctus, quem dedit Deus ómnibus obediéntibus ſibi.

℟. Eſtis in illo repléti, qui eſt caput omnis principátûs, & poteſtátis: conſepúlti ei in baptíſmo, * In quo & reſurrexíſtis per fidē operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. † Allelúia. ℣. Cognóſcite hódie quæ ignórant qui non vidérunt magnália Dómini, & robúſtam manum, extentúmque bráchium. * In quo. Glória. † Allelúia. *Coloſſ.* 2. 10. 12. *Deuter.* 11. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Dixit Jeſus Thomæ: Infer dígitum tuum huc, & mitte in latus meum: & noli eſſe incrédulus, ſed fidélis, allelúia. *Joan.* 20. 27.

Hodie (convenit Synodus Diœceſana.

CANON

Ex Concílio Tulléſi ad Saponárias.

Anno 859. *Can.* 2.

SYnodáles Convéntus ſecúndùm juſſiónem canónicam frequentári procúrent Epiſcopi: quátenus ordo Eccleſiáſticus, qui quaſi obliterátus jam fúerat (quóniam Synodi frequentári non póterant) Epiſcopáli collatióne ad neceſsárium ac débitum ſtatum redúci váleat.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Verbum miſit Deus, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum. Hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die, allelúia. *Act.* 10. 36. 40.

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex 1. *Nocturno Feriæ.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 33. *ad* 38.

HÆc cùm audíſſent, diſſecabántur, & cogitábant interfícere illos. Surgens autem quidam in concílio Phariſæus, nómine Gamáliel, legis doctor, honorábilis univérſæ plebi, juſſit foràs ad breve hómines fieri.

Dixítque ad illos : Viri Iſraelítæ, atténdite vobis ſuper homínibus iſtis quid actúri ſitis. Ante hos enim dies éxtitit Théodas, dicens ſe eſſe áliquem, cui conſénſit númerus virórum círciter quadringentórum; qui occíſus eſt: & omnes, qui credébant ei, diſſipáti ſunt, & redácti ad níhilum. Poſt hunc éxtitit Judas Galilæus in diébus profeſſiónis, & avértit pópulum poſt ſe, & ipſe périit: & omnes, quotquot conſenſérunt ei, diſpérſi ſunt.

℟. In ſervitúte. *ex Feria 2. pag.* 356.

Lectio ij. v. 38. ad finem.

ET nunc ítaque dico vobis: Diſcédite ab homínibus iſtis, & sínite illos: quóniam ſi eſt ex homínibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvétur: ſi verò ex Deo eſt, non potéritis diſſólvere illud, ne fortè & Deo repugnáre inveniámini. Conſenſérunt autem illi. Et convocántes Apóſtolos, cæſis denuntiavérunt ne omnínò loqueréntur in nómine Jeſu, & dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudéntes à conſpéctu concílii, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliã pati. Omni autem die non ceſsábant, in templo & circa domos docéntes, & evangelizántes Chriſtum Jeſum.

℟. In voce. *pag.* 356.

Lectio iij. Cap. 8. v. 3. ad 9.

SAulus autem devaſtábat Eccléſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulíeres, tradébat in cuſtódiam. Igitur qui diſpérſi erant pertransíbant, evangelizántes verbum Dei. Philíppus autem deſcéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Chriſtum. Intendébant autem turbæ his quæ à Philíppo dicebántur, unanímiter audiéntes, & vidéntes ſigna quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant ſpíritus immúndos, clamántes voce magnâ, exíbant. Multi autem paralytici & claudi curáti ſunt.

℟. Quem vos. *pag.* 357.

Ad Bened. *Ant. t.* I. *A.* Dixit Thomæ Jeſus: Quia vidíſti me, Thoma, credidíſti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt, allelúia. *Joan.* 20. 29.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. de obſerv. in Miſſa.

UT irreveréntia vitétur, sínguli Epíſcopi in ſuis Diœcéſibus interdícant, ne cui vago & ignóto Sacerdóti Miſſas celebráre líceat. Néminem prætérea qui públicè & notóriè criminóſus ſit, aut ſancto altári miniſtráre, aut Sacro interéſſe permíttant.

FERIA SEXTA

IN SOLEMNITATE

S. CLAVI.

Solemne minus.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Ant. ſola t. 6. F. Quid ſunt plagæ iſtæ in médio mánuum tuárum? His plagátus ſum in domo eórum qui diligébant me, allel. *Zach.* 13. 6.

Capitulum. Zach. 12. 10.

Effúndam ſuper domum David, & ſuper habitatóres Jerúſalem ſpíritum grátiæ & precum: & aſpícient ad me, quem confixérunt.

℟. Fodérunt manus meas & pedes meos: dinumeravérunt ómnia oſſa mea. * Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me. † Allelúia. ℣. Facta ſunt hæc, ut impleretur alia Scriptúra: Vidébũt in quem tranſfixérunt. * Tu autem. Glória. † Allelúia. *Pſal.* 21. 17. 18. 20. *Joan.* 19. 36. 37.

HYMNUS

O Sacra Clavi cuſpis! ô cui cóntigit
Chriſti cruénta membra pendéntis cruce
Fixiſſe ligno! vota, quæ feſtus dies
Plebi redúxit ſupplicánti, súſcipe.
Seu forte plantas, ſeu manus paténtibus
Plagis refixas tránsfodis, quadrúplici
Per te cruórem defluéntem vúlnere,
Prétium ſalútis, óbtulit Chriſtus Patri.
Per te dolórum vis licèt crudélior
Venas hiántes, atque nervos láncinet:
Tamen beátis prodit è plagis ſalus,
Unóque fonte vita morſque prófluunt.
Ergo ſacráti tincta rore ſánguinis
Divína cuſpis, fauſta Tulléнſi gregi,
Aufer malórum, quæ timémus, ímpetus:
Confer bonórum, quam precámur, grátiam.
Sit æqua Patri, Filióque glória,
Ambórum amóri, par decus ſit Flámini,
In unitáte qui gubérnat ómnia
Per univérſa ſæculórum ſæcula. Amen.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: ℟. Expándi ad te manus meas, allelúia. *Pſal.* 87. 10.

Ad Magnif. Ant. t. 1. a. Radix Jeſſe qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, & erit ſepúlchrum ejus glorióſum, allelúia. *Iſ.* 11. 10.

Oratio ut in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Chriſtus in cruce extollitur, ut omnes trahat ad ſeipſum.

Invitat. Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Cor.* 2. 2.

In Pſal. 2. Quare fremuérunt. *pag.* 3.

Ant. t. 1. *D.* Expándi manus meas totâ die ad pópulum incrédulum, qui grádi-

tur in via non bona. *Iſ.* 65. 2.

In Pſ. 39. Expectans expectávi. *pag.* 84.

Ant. t. 5. *f.* Judicábit Dóminus cauſam ejus, & configet eos, qui confixérunt ánimam ejus. *Prov.* 22. 23.

In Pſ. 87. Dómine, Deus ſalútis. *pag.* 107.

Ant. t. 7. *D.* Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: ſi posúerit pro peccáto ánimam ſuam, vidébit ſemen longævum, allelúia. *Iſ.* 53. 10.

℣. Sagíttæ tuæ infíxæ ſunt mihi; ℟. Et confirmáſti ſuper me manum tuam, allelúia. *Pſ.* 37. 3.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Coloſsénſes.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 9. *ad* 16.

IN Chriſto inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter: & eſtis in illo repléti, qui eſt caput omnis principátûs, & poteſtátis: in quo & circumcíſi eſtis circumciſióne non manufácta in expoliatióne córporis carnis, ſed in circumciſióne Chriſti: conſepúlti ei in baptíſmo, in quo & reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. Et vos, cùm mórtui eſsétis in delíctis, & præpútio carnis veſtræ, convivificávit cum illo, donans vobis ómnia delícta: delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipſum tulit de médio, affigens illud cruci: & expólians principátûs, & poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphãs illos in ſemetípſo.

℟. Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo ſignum meum: * Et ſciet omnis caro, quia ego Dóminus ſalvans te, & Redémptor tuus fortis, Jacob, allelúia. ℣. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoſcétis quia ego ſum. * Et ſciet. *Iſ.* 49. 22. 26. *Joan.* 8. 28.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lectio ij.

De obitu Theod. junior.

QUæſívit Hélena Clavos quibus crucifixus eſt Dóminus, & invénit. De uno clavo frænos fieri præcépit; de áltero diadéma intéxuit: unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit. Miſit ítaque fílio ſuo Conſtantíno diadéma gemmis inſignítum, quas pretióſior ferro innéxas Crucis redemptiónis divínæ gemma connécteret. Miſit & frænum: utróque uſus eſt Conſtantínus, & fidem tranſmíſit ad póſteros reges. Sapiénter Hélena quæ Crucem in cápite regum levávit, ut Crux Chriſti in régibus adorétur. Non inſoléntia iſta, ſed píetas eſt, cùm defértur ſacræ redemptióni. Bonus ítaque Clavus Románi Impérii, qui totum regit orbem, ac veſtit príncipum frontem: ut ſint prædicató-

res, qui perſecutóres eſſe conſuevérunt... Ex illo gratulátur Eccléſia: erubéſcit Judæus: nec ſolùm erubéſcit, ſed étiam torquétur, quòd ipſe ſibi auctor confuſiónis eſt. Dum inſúltat Chriſto, conféſſus eſt eum Regem; dum Regem Judæórum appellávit, ſacrilégium ſuum, qui non crédidit, confitétur. Ecce quaſi, ínquiunt, crucifíximus Jeſum, ut Chriſtiáni & poſt mortem reſúrgant, & mórtui regnent. Nos crucifíximus, quem reges adórant. Ecce & Clavus in honóre eſt, & quem ad mortem impréſſimus, remédium ſalútis eſt, atque inviſíbili quâdam poteſtáte dæmones torquet. Putabámus nos viciſſe, ſed nos victos fatémur.

℟. Réſpice, Sion, civitátem ſolemnitátis noſtræ: óculi tui vidébunt Jeruſalem, tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: * Nec auferéntur Clavi ejus in ſempitérnum, allelúia. ℣. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus.* Nec. *Iſ.* 33. 20. *Apoc.* 12. 10.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 19. 13.

IN illo témpore: Pilátus addúxit forás Jeſum, & ſedit pro tribunáli, & dicit Judæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamábant: Tolle, tolle, crucifíge eum. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Papæ.

Serm. 6. *de Paſs. Domini.*

SEditióſis clamóribus Judæórum, ſedénte Piláto in loco, cui nomen eſt Gólgotha, crucifígitur Chriſtus. Per lignum erígitur lapſus in ligno, & guſtu fellis, & acéti, diluitur eſca peccáti. Méritò priùſquam traderétur, díxerat Dóminus: Cùm exaltátus fúero, ómnia traham ad meípſum, id eſt, totam cauſam humáni géneris agam, & olim pérditam in íntegrum revocábo natúram. In me omnis infírmitas abolébitur: in me omnis plaga ſanabitur. Exaltátum autem Jeſum ad ſe traxíſſe ómnia, non ſolùm noſtræ ſubſtántiæ paſſione, ſed étiam totíus mundi commutatióne monſtrátum eſt. Pendénte enim in patíbulo Creatóre, univérſa creatúra congémuit, & Crucis Clavos ómnia ſimul eleménta ſenſérunt. Nihil ab illo ſupplício líberum fuit. Hoc in communiónem ſui & terram traxit, & cœlum: hoc petras rupit, monuménta apéruit, inférna reſerávit, & denſárum horróre tenebrárum rádios ſolis abſcóndit. Debébat hoc teſtimónium ſuo mundus auctóri, ut in occáſu Conditóris ſui vellent univérſa finíri.

℟. Si affíget homo Deum, quia vos confígitis me? Et dixíſtis: In quo confígimus te? * Me vos confígitis, gens

totâ: ✝ Allelúia. ℣. Dicit Pilátus: Quid fáciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes: Crucifigátur. * Me vos. ℣. Glória. ✝ Allelúia. *Malach.* 3. 8. 9. *Matth.* 27. 22. 23.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

Per crucem, de inimicis ſuis & noſtris triumphat Chriſtus.

℣. *Sacerdos.* Notam feciſti in pópulis virtútem tuam, ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, allelúia. *Pſ.* 76. 15. 16.

Pſalmus, Dóminus regnávit: decórem: *& cæteri de Feria ſexta (excepto Cantico) quia in hac Feria appoſiti ſunt Pſalmi de Paſſione Domini prænuntiantes.*

Ant. t. 2. *d.* NOs qui ſpíritu ſervímus Deo, gloriámur in Chriſto Jeſu, allelúia. *Phil.* 3. 3.

Ant. t. 3. *E.* Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitáte; ſed vivit ex virtúte Dei, allel. 2. *Cor.* 13. 4.

Ant. t. 5. *F.* Quod advérſùs nos erat chirógraphum decréti, ipſum tulit de médio, affigens illud cruci, allelúia. *Coloſſ.* 2. 14.

Ant. t. 6. *F.* Expólians.

CANTIC. *Apoc.* 5. *v.* 5. *&c.*

ECce vicit leo de tribu Juda, * radix David.

Dignus es, Dómine, accípere librum: * & aperíre ſignácula ejus;

Quóniam occíſus es, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo * ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne:

Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdótes: * & regnábimus ſuper terram.

Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt accípere virtútem, * & divinitátem, & ſapiéntiã, & fortitúdinem.

Sedénti in throno, & Agno benedíctio, & honor, * & glória, & potéſtas.

Glória Patri, &c.

Ant. Expólians principátus, & poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in ſemetípſo, allelúia. *Coloſſ.* 2. 15.

Ant. t. 5. *a.* Propóſito ſibi gáudio ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ, atque in dextra ſedis Dei ſedet, allelúia. *Hebr.* 12. 2.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

PRædicámus Chriſtũ crucifixum, Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam; ipſis autem vocátis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam.

℣. Exaltáre, Domine, in virtúte tua, ℟. Cantábimus, & pſallémus virtútes tuas, allelúia. *Pſal.* 20. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Vidébit Jeſum Chriſtum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ, allelúia. *Apoc.* 1. 7.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui Unigénitum tuum Salvatórem noſtrum Clavis in cruce figi voluíſti: concéde propítius; ut clavo timóris tui confixi, tibi fidéliter & conſtánter adhærére valeámus; Per eúmdem.

Ad Horas Pſalmi de Feria: Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui reconcíliat nos Deo per crucem. *Eph.* 2. 16.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi tertio.

An. 397. *Can.* 29.

SAcraménta altáris nonníſi à jejúnis homínibus celebréntur: nam ſi aliquórum pomeridiáno témpore defunctórum commendátio faciénda ſit, ſolis oratiónibus fiat, ſi illi qui faciunt, jam pranſi inveniántur.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 5. 30. 31.

QUem interemíſtis, ſuſpendéntes in ligno, hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſsiónem peccatórum.

℟. Nunc cognóvi * Quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum: exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potentátibus ſalus déxteræ ejus. † Allelúia. ℣. Vidémus Jeſum propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum. * Quóniam. Glória. † Allel. *Pſal.* 19. 7. *Hebr.* 2. 9.

℣. Vivit Dóminus; & benedíctus Deus meus, ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ, allel. *Pſ.* 17. 47.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 5. 12.

DIgnus eſt Agnus, qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & ſapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem.

℟. *br.* Apud te laus mea in eccléſia magna: * Allel. allelúia. Apud te. ℣. Vota mea (Dómino) reddam in conſpéctu timéntiū eum. * Allelúia, allel. Glória. Apud te. *Pſ.* 21. 26.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te, allelúia. *Pſ.* 21. 23.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 19. 6.

AUdívi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens.

℟. *br.* Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * Allelúia, allelúia. Exaltáre. ℣. Et ſuper omnem terram glória tua. * Allelúia, allelúia. Glória. Exaltáre. *Pſalm.* 107. 6.

℣. Tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram: ℟. Nimis exaltátus es ſuper omnes deos, allelúia. *Pſ.* 96. 9.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria propter rationem ſuperiùs dictam.

In Crucifixo ſit gloria noſtra; quia per eum noſtra ſalus.

Ant. t. 1. D. Mihi abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti, allelúia. *Gal. 6. 14.*

Ant. t. 2. d. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per ſánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, allelúia. *Coloſ. 1. 19. 20.*

Ant. t. 3. E. Peccáta noſtra ipſe pértulit ſuper lignum; ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus, allelúia. *1. Pet. 2. 24.*

Ant. t. 5. F. Vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruátur corpus peccati, allelúia. *Rom. 6. 6.*

Ant. t. 6. F. Ego per legem, legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci, allelúia. *Gal. 2. 19.*

Capitulum Eph. 2. 14. 15. 16.

Ipſe eſt pax noſtra ... Legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in ſemetípſo in unum novum hóminem, fáciens pacem, & reconciliet ambos in uno córpore Deo per Crucem, interficiens inimicítias in ſemetipſo.

HYMNUS.

Crucis trophæa públicis
Aris colénda tollite:
Chriſto quod olim dédecus,
Gentis ſuæ nunc glória.

Victóris, ô vos, inclyto
Vexílla tincta ſánguine,
Certáre quàm nunc nóbile
Veſtris ſub umbris mílites!

Aptántur altis Príncipum
Clavi corónis ad decus:
Non gemma, non aurum, caput
Æquè decórant régium.

Debétur hic Clavis honos:
Hi, ſigna ſunt victóriæ,
Tactu ſacráta córporis:
Hi, ſunt amóris pígnora.

O Chriſte! Cuſpis quæ trabi
Affixa membra pérforat,
Cùm cogit, exténtas manus,
Pectus revélat íntimum.

Clavis manus, Clavis pedes,
Confóſſus hæres ſtípiti:
Sed quàm tui tenáciùs
Amóris hæres vínculis!

Qui te ſepúlchro ſúſcitas,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre & almo Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum. Amen.

℣. Exaltábor in géntibus;
℟. Et exaltábor in terra, allelúia. *Pſal. 45. 11.*

Ad Magnif. Ant. t. 1. D. Ecce vicit leo de tribu Juda, allelúia, radix David, allelúia, allelúia. *Apoc. 5. 5.*

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

SABBATO.

Officium ſit de Beata, niſi occrruat. Feſtum Dupl. aut Semid. Pſ. ex 1. Noct. Sabb.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 10. v. 1. ad. 9.

VIr autem quidam erat in Cæſaréa, nómine Cornélius, Centúrio cohórtis, quæ dícitur Italica, religióſus, ac timens Deum cũ omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper: is vidit in viſu maniféſtè quaſi horâ diéi nonâ, Angelum Dei introeúntem ad ſe, & dicéntem ſibi, Cornéli. At ille íntuens eum, timóre corréptus, dixit: Quid eſt, Dómine? Dixit autem illi: Oratiónes tuæ, & eleemóſynæ tuæ, aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accérſi Simónem quemdam, qui cognominátur Petrus: hic hoſpitátur apud Simónem quemdam coriárium, cujus eſt domus juxta mare: hic dicet tibi quid te opórteat fácere. Et cùm diſceſsiſſet Angelus, qui loquebátur illi, vocávit duos doméſticos ſuos, & mílitem metuéntem Dóminũ, ex his qui illi parébant. Quibus cùm narráſſet ómnia, miſit illos in Joppen.

Lectio ij. v. 9. ad 23.

POſterâ autem die, iter illis faciéntibus, & appropinquántibus civitáti, aſcéndit Petrus in ſuperióra, ut oráret circa horam ſextam. Et cùm eſuríret, vóluit guſtáre. Parántibus autem illis, cécidit ſuper eum mentis excéſſus: & vidit cœlum apértum, & deſcéndens vas quoddam, velut línteum magnum quátuor inítiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupédia, & ſerpéntia terræ, & volatília cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occíde, & mandúca. Ait autem Petrus: Abſit, Dómine, quia numquam manducávi omne commúne & immúndum. Et vox íterum ſecúndò ad eum: Quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. Hoc autem factum eſt per ter; & ſtatim recéptum eſt vas in cœlum. Et dum intra ſe hæſitáret Petrus, quidnam eſſet víſio, quam vidíſſet: ecce viri qui miſſi erant à Cornélio, inquiréntes domum Simónis, aſtitérunt ad jánuam. Et cùm vocáſſent, interrogábant, ſi Simon, qui cognominátur Petrus, illìc habéret hoſpítium. Petro autem cogitánte de viſióne, dixit Spíritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge ítaque, deſcénde, & vade cum eis nihil dúbitans: quia ego miſi illos. Deſcéndens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum, quem quæritis: quæ cauſa eſt propter quam veníſtis? Qui dixérunt: Cornelius Centúrio, vir juſtus, & timens Deum & teſtimónium habens ab univerſa gente Judæórum, reſpónſum accépit ab Angelo ſancto, accerſire

[i]re te in domum ſuam, & [a]udíre verba abs te.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi primo.

Ann. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 5.

Miſſæ nec ante auroram, nec poſt merídiem, niſi ex cauſa jure permíſſa celebréntur.

AD VESPERAS.

Reſurrectio Chriſti vitæ novæ exemplar juxta Apoſtolum. Rom. 6. 3.

Ant. ſola. t. 6. *f.* Conſepúlti ſumus cum Chriſto per baptíſmum in mortem: ut quómodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus, allelúia. *Rom.* 6. 4.

Capitulum. Rom. 6. 11.

Exiſtimáte vos, fratres, mórtuos quidem eſſe peccáto, vivéntes autem Deo, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

HYMNUS.

Lætis ſacra Sion te canat hymnis,
Hæc ſunt, Chriſte, tui feſta triúmphi,
Cùm cæſæ réducem mortis ab umbra,
Victorémquè ſtupens te colit orbis.
Quantâ luce micans fúlgurat, ictum
Olim multíplici vúlnere corpus!
Te tantos décuit ferre dolóres,
Quos imménſa tibi glória penſat.
Judæ progénies, ſic leo vicit;
Et ſurgéndo crucis dédecus aufert:
Quæ mortis probra, trabs, líntea, clavi,
Hæc ſunt magna ſuis ſigna trophæis.
At victo rédiens fúnere, carnis
Exutúſque novâ ſorte dolóres,
Virtútum dócumen ſe dedit orbi:
Quot dotes, tótidem juſſa ſalútis.
O vos, qui cólitis víndice cultu
Functum, mórlbus & pingite vivum:
Adámi véteris pónere ſordes
Edoctique novâ vívere vitâ.
Sit laus ſumma Patri, súmmaque Nato,
Qui vivis, dómitâ morte, reſúrgens,
Noſtris ſacra refert gáudia terris:
Sancto Spirítui glória compar. Amen.

℣. Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus, ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ, allelúia. *Pſal.* 17. 47.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Nunc ſolúti ſumus à lege mortis, ut ſerviámus in novitáte Spíritûs, allelúia. *Rom.* 7. 6.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

Si cum Chriſto reſurreximus, in lumine ejus ambulemus.

Inv. Auctórem vitæ, quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3. 15.

Pſalmi ex 2. Noct. Domin.

Ant. t. 7. *C.* Ego veni ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant, allelúia. *Joan.* 10. 10.

Ant. t. 8. *C.* Vitam ætérnam do eis; & non períbunt in ætérnum, allelúia. *Joan.* 10. 28.

Ant. t. 4. *E.* Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, ſed habébit lumen vitæ, allelúia. *Joan.* 8. 12.

℣. Apud te eſt fons vitæ: ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen, allelúia. *Pſal.* 35. 10.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio. j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 13.

ERant autem in Eccléſia quæ erat Antiochíæ, Prophétæ & Doctóres, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabátur Niger, & Lucius Cyrenénſis, & Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, & Saulus. Miniſtrántibus autem illis Dómino, & jejunántibus, dixit illis Spíritus ſanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam, in opus ad quod aſſúmpſi eos. Tunc jejunántes, & orántes, imponentéſque eis manus, dimiſérunt illos. Et ipſi quidem miſſi à Spíritu ſancto abiérunt Seleúciam; & inde navigavérunt Cyprum. Et cùm veníſſent Salamínam, prædicábant verbum Dei in Synagógis Judæórum. Habébant autem & Joánnem in miniſtério. Et cùm perambuláſſent univérſam ínſulam uſque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pſeudoprophétam, Judæum, cui nomen erat Barjéſu, qui erat cum Procónſule Sérgio Paulo viro prudénte. Hic, accerſítis Bárnabâ & Saulo, deſiderábat audíre verbum Dei. Reſiſtébat autem illis Elymas magus, (ſic enim interpretátur nomen ejus) quærens avértere Procónſulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, replétus Spíritu ſancto, íntuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallácià, fili diáboli, inimíce omnis juſtítiæ, non déſinis ſubvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus. Et conféſtim cécidit in eum calígo, & ténebræ; & circúiens, quærébat qui ei manum daret. Tunc Procónſul cùm vidíſſet factum, crédidit, admírans ſuper doctrína Dómini.

℟. Teſtes vos eſtis quia elegéritis vobis Dóminum, ut ſerviátis ei. * Nunc ergo inclináte corda veſtra ad Dóminum, allelúia. ℣. Convérſi

eſtis ad Deum, ſervíre Deo vivo, & vero, & expectáre Fílium ejus quem ſuſcitávit ex mórtuis. * Nunc. *J. ſue.* 24. 22. 23. 1. *Theſſ.* 1. 9. 10.

Sermo ſanct Leónis Papæ.

Lectio ij. de reſ. 1. *Cap.* 6.

AGnóſcat pópulus Dei novam ſe eſſe in Chriſto creatúram, & à quo ſuſcépta ſit, quemve ſuſcéperit vigilánter intélligat. Quæ nova facta ſunt, non rédeant ad inſtábilem vetuſtátem; & non omíttat opus ſuum, qui manum miſit ad arátrum, ſed ad hoc atténdat quod ſerit; non ad id reſpíciat quod relíquit. Nemo in id récidat unde ſurréxit; ſed etiámſi pro infirmitate córporis, in alíquibus adhuc languóribus jacet, ſanári inſtánter desíderet, ac levári. Hæc eſt enim ſalútis via, & cœpta in Chriſto reſurrectiónis imitátio.... Hæc meditátio, dilectiſſimi, non pro ſola ſolemnitáte Paſcháli, ſed pro totíus vitæ ſanctificatióne retinénda eſt, & ad hoc præſens exercitátio debet inténdi, ut ſemper ab ómnibus offenſiónibus in íntegrum reſurgéntes, ad illam incorruptíbilem glorificándæ carnis reſurrectiónem perveníre mereámur in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

℟. Deus pacis qui edúxit de mórtuis Paſtórem magnum óvium, in ſánguine teſtaménti ætérni Dominum Jeſum, * Aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, allelúia. ℣. Memínerit teſtaménti ſui, & det vobis cor ómnibus, ut faciátis ejus voluntátem corde magno, & ánimo voléntì. * Aptet vos. *Hebr.* 13. 20. 21. 2. *Mach.* 1. 2. 3.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 10. *v.* 11.

IN illo témpore; Dixit Jeſus quibúſdam ex Pharíſæis: Ego ſum Paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

In Evang. 14. *habit. Dom.* 2. *poſt Paſcha.*

FEcit Dóminus quod mónuit; oſténdit quod juſſit. Bonus Paſtor pro óvibus ſuis ánimam ſuam póſuit, ut in ſacraménto noſtro corpus ſuum & ſánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis ſuæ aliménto ſatiaret. Oſténſa nobis eſt de contémptu mortis via quam ſequámur; appóſita eſt forma cui imprimámur. Primum nobis eſt, exterióra noſtra miſericórditer óvibus ejus impéndere: poſtrémum verò, ſi necéſſe ſit, étiam mortem noſtram pro eíſdem óvibus miniſtráre. A primo autem hoc mínimo perveními tur ad poſtrémum majus. Sed cùm incomparabíliter longè ſit mélior ánima quâ vívimus, terrénâ ſubſtántiâ quam extériùs poſſidémus; qui non dat pro óvibus ſubſt-

tántiam ſuam, quando pro his datúrus eſt ánimam ſuam? ℟. Audíte verbum Dómini, gentes, & annuntiáte in ínſulis quæ procul ſunt, & dícite: * Qui diſpérſit Iſrael, congregábit eum; & cuſtódiet eum ſicut paſtor gregem ſuum. † Allelúia. ℣. Ego ſum Paſtor bonus: & cognóſco oves meas, & ánimam meam pono pro óvibus meis. * Qui. Glória. † Allelúia. *Jer.* 31. 10. *Joan.* 10. 14. 15.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

Qui cum Chriſto ſurrexiſtis, exuite veterem hominem; novum induite.

℣. *Sacerdotibus.* Abſtulit ſicut oves pópulum ſuum: ℟. Et dedúxit eos in ſpe, allelúia. *Pſal.* 77. 52. 53.

Ant. t. 3. *A.* SI qua in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt: ecce facta ſunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

Ant. t. 7. *D.* Exhibéte vos tamquam ex mórtuis vivéntes, & membra veſtra arma juſtítiæ Deo, allelúia. *Rom.* 6. 13.

Ant. t. 6. *f.* Vivit Chriſtus Deo: ita & vos exiſtimáte mórtuos eſſe peccáto, vivéntes autem Deo in Chriſto, allelúia. *Rom.* 6. 10. 11.

Ant. t. 4. *E.* In Chriſto Jeſu neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium; ſed nova creatúra, allelúia. *Gal.* 6. 15.

Ant. t. 5. *a.* Indúite novum hóminem, qui ſecúndum Deum creátus eſt in juſtítia & ſanctitáte veritátis, allelúia. *Epheſ.* 4. 24.

Capitulum. 1. *Cor.* 5. 7.

EXpurgáte vetus ferméntum, ut ſitis nova conſpérſio, ſicut eſtis ázymi. Etenim Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepiſti me: ℟. Nec delectáſti inimícos meos ſuper me, allelúia. *Pſ.* 29. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *a.* Alias oves hábeo quæ non ſunt ex hoc ovíli: & illas opórtet me addúcere, allelúia. *Joan.* 10. 16.

Oratio.

DEus, qui errántibus, ut in viam poſſint redíre juſtítiæ, veritátis tuæ lumen oſténdis: da cunctis, qui Chriſtianâ profeſſióne censéntur, & illa reſpúere quæ huic inimíca ſunt nómini, & ea quæ ſunt apta ſectári; Per Dóminum.

Ad Horas breves, Antiph. ex Laudibus.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ.*

EPíſcopi cáveant ne Sacerdótes áliis quàm débitis horis célebrent, neve ritus álios, aut álias ceremónias, & preces in Miſſárum celebratióne adhíbeant, præter eas quæ ab Eccléſia approbátæ, ac frequénti, &

laudábili uſu recéptæ fúerint. Móneant étiam pópulum, ut frequénter ad ſuas Paróchias ſaltem diébus Domínicis, & majóribus Feſtis, accédant.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Petr.* 2. 25.

ERátis ſicut oves errántes, ſed convérſi eſtis nunc ad Paſtórem & Epíſcopum animárum veſtrárum.

℟. *br.* Ipſe eſt Dóminus Deus noſter, * Allelúia, allelúia. Ipſe eſt. ℣. Nos pópulus páſcuæ ejus, & oves manûs ejus. * Allelúia, allel. Glória. Ipſe eſt. *Pſal.* 94. 7.

℣. Nos oves páſcuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in ſæculum, allel. *Pſal.* 78. 13.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 15.

PRo ómnibus mórtuus eſt Chriſtus; ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mórtuus eſt, & reſurréxit.

℟. *br.* Benedícite, gentes, Deum noſtrum. * Allelúia, allel. Benedícite. ℣. Qui póſuit ánimam meam ad vitã. * Allelúia, allel. Glória. Benedícite. *Pſal.* 65. 8. 9.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, allelúia. *Pſal.* 102. 2. 4.

AD NONAM.

Capitulum. Galat. 3. 26. 27.

OMnes fílii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicúmque enim in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induíſtis.

℟. *br.* Vivet ánima mea, & laudábit te, * Allelúia, allel. Vivet. ℣. Et judícia tua adjuvábunt me. * Allelúia, allelúia. Glória. Vivet. *Pſal.* 118. 175.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ: ℟. Dicam Deo: Suſcéptor meus es, allelúia. *Pſal.* 41. 9. 10.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Rom. 7. 4.

VOs mortificáti eſtis legi per corpus Chriſti; ut ſitis altérius, qui ex mórtuis reſurréxit, ut fructificémus Deo.

Hymnus, Lætis ſacra Sion &c. *ut in Veſp. Sabbati.*

℣. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: ℟. Quia ipſam vólui, allelúia. *Pſal.* 118. 35.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 6. *f.* Oves vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus paſtor, allelúia. *Joan.* 10. 16.

IN FERIIS

INFRA DOMINICAM II. poſt Paſcha.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Antiph. & ℣. *ut in Dominicâ; reliqua ut in Proprio.*

Ad Laudes, prima Ant. ſola de Laudibus Dominicæ; cætera ut in Dominicâ, præter Antiph. ad Benedictus.

*Ad breves Horas. Antiph. de Laudibus Dominicæ; quartâ omiſſâ, & cætera ut in Domi-

ucâ, præter Pſalmos.

Ad Veſperas. Ant. prima de Laudibus; cætera ut in Domin. præter Pſalmos & Antiph. ad Magnificat.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi ex 2. Nocturno Feriæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 15. v. 5. ad 12.

SUrrexérunt quidam de hæreſi Phariſæórum, qui credidérunt, dicéntes: Quia opórtet circumcídi eos, præcípere quoque ſerváre legem Moyſi. Convenerúntque Apóſtoli, & Senióres, vidére de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſítio fíeret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quóniam ab antiquís diebus Deus in nobis elégit, per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere. Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum ſuper cervíces diſcipulórum, quod neque patres noſtri, neque nos portáre potúimus? Sed per grátiam Dómini Jeſu Chriſti crédimus ſalvári, quemádmodum & illi.

℟. Paſcha noſtrum immolátus eſt Chriſtus. * Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ; ſed in ázymis ſinceritátis, & veritátis, allelúia. ℣. Abominátio eſt Dómino lábia mendácia: qui autem fidéliter agunt, placent ei. * Itaque. 1. *Cor.* 5. 7. 8. *Prov.* 12. 22.

Lectio ij. v. 13. ad 21.

ET poſtquam tacuérunt, reſpóndit Jacóbus, dicens: Viri fratres, audíte me: Simon narrávit quemádmodum primùm Deus viſitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini ſuo. Et huic concórdant verba Prophetárum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc revértar, & reædificábo tabernáculũ David, quod décidit: & díruta ejus reædificábo, & érigam illud; ut requírant cæteri hóminum Dóminum, & omnes gentes, ſuper quas invocátum eſt nomen meum, dicit Dominus fáciens hæc. Notum à ſæculo eſt Dómino opus ſuum. Propter quod ego júdico, non inquietári eos qui ex Géntibus convertúntur ad Deum; ſed ſcríbere ad eos, ut abſtíneant ſe à contaminatiónibus ſimulacrórum, & fornicatióne, & ſuffocátis, & sánguine.

℟. Quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt, * Hanc Deus adimplévit filiis noſtris, reſúſcitans Jeſum, allelúia. ℣. Dóminus Deus noſter adimplévit miſericórdiã ſuam quam promíſit dómui Iſrael. * Hanc. *Act.* 13. 32. 33. *Judith.* 13. 18.

Lectio iij. v. 22. ad 30.

TUnc plácuit Apóſtolis, & Senióribus cum omni Eccléſia, elígere viros ex eis, & míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnaba, Judam, qui cognominabatur Bárſabas, & Silam, viros primos in frátribus; ſcribéntes per manus eórum: Apóſtoli, & Senióres fratres, his, qui ſunt Antiochíæ, & Syriæ, & Ciliciæ, frátribus ex Géntibus, ſalútem. Quóniam audívimus quia quidam ex nobis exeúntes, turbavérunt vos verbis, everténtes ánimas veſtras, quibus non mandávimus: plácuit nobis colléctis in unum, elígere viros, & míttere ad vos, cum chariſſimis noſtris Bárnaba & Paulo, homínibus qui tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis réferent eádem. Viſum eſt enim Spirítui ſancto, & nobis, nihil ultrà impónere vobis óneris quàm hæc neceſſária: ut abſtineátis vos ab immolátis ſimulacrórum, & ſánguine, & ſuffocáto, & fornicatióne; à quibus cuſtodiéntes vos, bene agétis.

℟. Si Chriſtus in vobis eſt: * Corpus quidem mórtuum eſt propter peccátum: ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónem. † Allelúia. ℣. Avértens ſe ab ómnibus iniquitátibus ſuis vitâ vivet, & non moriétur. * Corpus. Glória. † Allelúia. *Rom.* 8. 10. *Ezech.* 18. 28.

Ad Benedictus *Ant. t.* 1. *a.* Paſtor próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas, allelúia. *Joan.* 10. 3.

CANON

Ex Concílio Auguſtáno.

An. 1518. *Can.* 18.

UT nímia feſtinátio in Miſſæ lectióne, aut celebratióne religióſas aures oculóſve offéndit, ita incóndita prolíxitas faſtídium pótiùs génerat, quàm devotiónem. Quaprópter Sacerdótibus devótam mediocritátem, & ut toto ſanctiſſimæ actiónis témpore devótum quid ex córporis geſtu, ipſoque vultu elúceat, commendámus.

Ad Magníficat *Ant. t.* 3. *a.* Sicut regnávit peccátum in mortem; ita & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, per Jeſum, allelúia. *Rom.* 5. 21.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex 2. Noct. Feriæ.

De Áctibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 17. *v* 16. *ad* 22.

PAulus cùm Athénis (Silam & Timótheum) expectáret, incitabátur Spíritus ejus in ipſo, videns idololatríæ déditam civitátem. Diſputábat ígitur in Synagóga cum Judæis, & coléntibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui áderant. Quidam autem Epicúrei, &

Stoïci Philóſophi diſſerébant cum eo, & quidam dicébant: Quid vult ſeminivérbius hic dícere? Alii verò: Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor eſſe: quia Jeſum, & reſurrectiónem annuntiábat eis. Et apprehénſum eum ad Areópagum duxérunt, dicéntes: Póſſumus ſcire quæ eſt hæc nova, quæ à te dícitur, doctrína? Nova enim quædam infers áuribus noſtris; Vólumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe. (Athenienſes autem omnes, & ádvenæ hóſpites, ad nihil áliud vacábant, niſi aut dícere, aut audíre áliquid novi.)

℟. Timéte Dóminum, & ſervíte ei in veritáte, & ex toto corde veſtro: * Vidíſtis enim magnífica quæ in vobis géſſerit, allelúia. ℣. Ecce facta ſunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliávit ſibi per Chriſtum. * Vidíſtis enim. 1. *Reg.* 12. 24. 2. *Cor.* 5. 17. 18.

Lectio ij. v. 22. ad 29.

STans autem Paulus in médio Areópagi, ait: Viri Athenienſes, per ómnia quaſi ſuperſtitioſióres vos vídeo. Prætériens enim, & videns ſimulácra veſtra, invéni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & ómnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipſe det ómnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia; fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre ſuper univérſam fáciem terræ, definiens ſtatúta témpora, & términos habitatiónis eórum, quærere Deum, ſi fortè attréctent eum, aut invéniant; quamvis non longè ſit ab unoquóque noſtrûm. In ipſo enim vívimus, & movémur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrórum Poetárum dixérunt: Ipſíus enim & genus ſumus.

℟. Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus: ágite diem lætítiæ, & confitémini illi: * Ego autem, & ánima mea in eo lætábimur, allelúia. ℣. Chriſtus Jeſus factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio. * Ego autem. *Tob.* 13. 10. 9. 1. *Cor.* 1. 30.

Lectio iij. v. 29. ad finem.

GEnus ergo cùm ſimus Dei, non debémus æſtimáre, auro, aut argento, aut lápidi, ſculptúræ artis & cogitatiónis hóminis, Divínum eſſe ſímile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ deſpíciens Deus, nunc annúntiat homínibus, ut omnes ubíque pœniténtiam agant; eò quòd ſtátuit diem, in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte, in viro in quo ſtátuit, fidem præbens ómni-

bis, súſcitans eum à mórtuis. Cùm audíſſent autem reſurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam verò dixérunt: Audiémus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagíta, & múlier, nómine Dámaris, & álii cum eis.

℟. Vobis Deus súſcitans Fílium ſuum, miſit eum benedicéntem vobis: * Ut convértat ſe unuſquíſque à nequítia ſua. † Allelúia. ℣. Redemptiónem miſit pópulo ſuo: mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum. * Ut convértat. Glória. † Allelúia. *Act.* 3. 26. *Pſal.* 110. 9.

Ad Benedictus. *Ant. t.* 8. *g.*
Cùm próprias oves paſtor emíſerit, ante eas vadit; & oves illum ſequúntur, quia ſciunt vocem ejus, allelúia. *Joan.* 10. 4.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi ſexto.

An. 1582. *Num.* 15. *de Miſſa.*

Cléricus qui in Miſſæ Sacrificio miníſtrat, dum eam functiónem obit, ne preces horárias, neve áliud quidquam de libro alióve Officio récitet. Sed toto íntimo pietátis ſtúdio ad myſtérium inténtus ſit, quod tunc piè religioſèque éxequi debet.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *d.*
Voluntáriè génuit nos verbo veritátis; ut ſimus inítium áliquod creatúræ ejus, allelúia. *Jacob.* 1. 18.

FERIA QUARTA.

Pſalmi ex 2. *Noct. Feriæ.*

De Actibus Apoſtolórum,

Lectio j. Cap. 19. *v.* 13. *ad* 18.

Tentavérunt quidam & de circumeúntibus Judæis exorcíſtis, invocáre ſuper eos, qui habébant ſpíritus malos, nomen Dómini Jeſu, dicéntes: Adjúro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ príncipis ſacerdótum ſeptem filii, qui hoc faciébant. Reſpóndens autem ſpíritus nequam dixit eis: Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſíliens in eos homo, in quo erat dæmónium péſſimum, & dominátus ambórum, inváluit contra eos, ita ùt nudi & vulneráti effúgerent de domo illa. Hoc autem notum factum eſt ómnibus Judæis, atque Gentílibus, qui habitábant Epheſi: & cécidit timor ſuper omnes illos, & magnificabátur nomen Dómini Jeſu.

℟. Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus; * Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi, allelúia. ℣. Aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei. * Pópulus. *Pſal.* 32. 12. 1. *Petri.* 2. 10.

Lectio ij. Cap. 20. *v.* 16. *ad* 24.

Propoſúerat enim Paulus tranſnavigáre Epheſum,

ne qua mora illi fieret in Aſia. Feſtinábat enim, ſi poſsíbile ſibi eſſet, ut diem Pentecóſtes fáceret Jeroſólymis. A Miléto autem mittens Epheſum, vocávit majóres natu Eccléſiæ. Qui cùm veníſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis, à prima die, quâ ingréſſus ſum in Aſiam, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex inſídiis Judæórum: quómodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos; teſtíficans Judæis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Et nunc ecce alligátus ego ſpíritu, vado in Jerúſalem; quæ in eâ ventúra ſint mihi, ignórans; niſi quòd Spíritus ſanctus per omnes civitátes mihi proteſtátur, dicens: Quóniam víncula, & tribulatiónes Jeroſólymis me manent.

℟. Pars Dómini, pópulus ejus: ſicut áquila próvocans ad volándum pullos ſuos, & ſuper eos vólitans, * Expándit alas ſuas, & aſsúmpſit eum, atque portávit in húmeris ſuis, allelúia. ℣. Dedit ſemetípſum, ut mundáret ſibi pópulum acceptábilem. * Expándit. *Deuter.* 32. 9. 11. *Tit.* 2. 14.

Lectio iij. v. 24. *ad* 32.

Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me, dúmmodo consúmmem curſum meum, & miniſtérium verbi, quod accépi à Dómino Jeſu, teſtificári Evangélium grátiæ Dei. Et nunc ecce ego ſcio, quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéſtor vos hodiérnâ die, quia mundus ſum à sánguine ómnium: non enim ſubterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consíliũ Dei vobis. Atténdite vobis, & univérſo gregi, in quo vos Spíritus ſanctus póſuit Epíſcopos, régere Eccléſiam Dei, quam acquisívit sánguine ſuo. Ego ſcio quóniam intrábunt poſt diſceſſiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi; & ex vobis ipſis exúrgent viri loquéntes pervérſa, ut abdúcant diſcípulos poſt ſe. Propter quod vigiláte, memóriâ retinéntes, quóniã per triénnium nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrûm.

℟. Voſmetipſos in dilectióne Dei ſerváte, * Expectántes miſericórdiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti in vitam ætérnam. † Allelúia. ℣. Servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te ſperávimus. * Expectántes. Glória. † Allelúia. *Judæ* 21. *Iſ.* 26. 3.

Ad Bened. *Ant. t. 6. f.* Ego ſum óſtium. Per me ſi quis introíerit, ſalvábitur: & ingrediétur, & egrediétur, & páſcua invéniet. *Joan. 10. 9.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. de obſerv. in Miſſa.

EPíſcopi ſínguli in ſuis Diœcéſibus non patiantur ſanctum ſacrifícium à Sæculáribus, aut Reguláribus quibuſcúmque péragi, ſi non conſtet eos qui intérſint, decénter compóſito córporis hábitu, mente étiam, ac devóto cordis affectu, non ſolùm córpore, adéſſe.

Ad Magnif. *Ant. t. 5. a.* Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem eléctum; & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificámini, allelúia. *1. Petr. 2. 4. 5.*

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex 2. Noct. Feriæ.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 21. v. 17. ad 25.

CUm veniſsémus Jeroſólymam, libénter excepérunt nos fratres. Sequénti autem die introíbat Paulus nobíſcum ad Jacóbum, omnéſque colléctì ſunt ſenióres. Quos cùm ſalutáſſet, narrábat per ſíngula, quæ Deus feciſſet in Géntibus per miniſtérium ipsíus. At illi cùm audíſſent, magnificábãt Deũ, dixerúntque ei: Vides, frater, quot míllia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatóres ſunt legis. Audiérunt autem de te, quia diſceſſiónem dóceas à Móyſe eórum, qui per Gentes ſunt, Judæórum: dicens non debére eos circumcídere fílios ſuos, neque ſecúndùm conſuetúdinem íngredi. Quid ergo eſt? útique opórtet convenire multitúdinem: áudient enim te ſuperveníſſe. Hoc ergo fac quod tibi dícimus: Sunt nobis viri quátuor, votum habéntes ſuper ſe. His aſsúmptis, ſanctífica te cum illis: & impénde in illis ut radant cápita: & ſcient omnes quia quæ de te audiérunt, falſa ſunt, ſed ámbulas & ipſe cuſtódiens legem.

℟. Paſcha noſtrum, *ut in Feria ſecunda, pag. 374.*

Lectio ij. v. 27. ad 33.

DUm autem ſeptem dies conſummaréntur, hi qui de Aſia erant Judæi, cùm vidíſſent eum in tẽplo, concitavérunt omnem pópulum, & injecérunt ei manus, clamántes: Viri Iſraelítæ, adjuváte: hic eſt homo, qui advérsùs pópulum, & legem, & locum hunc, omnes ubíque docens, ínſuper & Gentíles indúxit in templum, & violávit ſanctum locum iſtum. Víderant enim Tróphimum Ephéſium in civitáte cum ipſo, quem æſtimavérunt quóniam in templum introduxíſſet Paulus. Commóta-

que eſt cívitas tota, & facta eſt concúrſio pópuli. Et apprehendéntes Paulum, trahébant eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt jánuæ. Quæréntibus autem eum occídere, nuntiátum eſt Tribúno cohórtis: Quia tota confúnditur Jeruſalem. Qui ſtatim aſsúmptis milítibus, & centuriónibus, decúrrit ad illos. Qui cùm vidíſſent Tribúnum, & mílites, ceſſavérunt percútere Paulum.

℟. Quæ ad patres, *pag.* 374.

Lectio iij. Cap. 23. *v.* 31. *ad finem.*

Milites ergo ſecúndùm præcéptum ſibi, aſſuméntes Paulum, duxérunt per noctem in Antipátridem. Et pósterâ die dimíſſis equítibus ut cum eo irent, revérſi ſunt ad caſtra. Qui cùm veníſſent Cæſaréam, & tradidíſſent epíſtolam Præſidi, ſtatuérunt ante illum & Paulum. Cùm legíſſet autem, & interrogáſſet de qua província eſſet: & cognóſcens quia de Cilícia, Aúdiam te, inquit, cùm accuſatóres tui vénerint. Juſsítque in prætório Herodis cuſtodíri eum.

℟. Si Chriſtus in vobis, *pag.* 375.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Oves meæ vocem meam áudiunt: & ego cognóſco eas, & ſequúntur me, allelúia. *Joan.* 10. 27.

C A N O N
Ex Concílio Trecénſi.
An. 1459. *Lib.* 14.

In número Collectárum & Præfatiónum in Miſſa dicendárum, & modo ſe habéndi ad altáre, & tálibus hujúſmodi, cóngruit ut ſuæ Eccléſiæ Cathedráli Présbyter ſe confórmet.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *D.* Jeſum Deus ſuſcitávit à mórtuis: nec áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri, allelúia. *Act.* 4. 10. 12.

FERIA SEXTA.

Pſalmi ex 2. *Nocturno Feriæ.*

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 24. *v.* 1. *ad* 10.

Deſcéndit Princeps Sacerdótum, Ananías, cum Senióribus quibúſdam, & Tertúllo quodam oratóre, qui adiérunt Præſidem advérsùs Paulum. Et citáto Paulo, cœpit accusáre Tertúllus, dicens: Cùm in multa pace agámus per te, & multa corrigántur per tuam providéntiam; ſemper & ubíque ſuſcípimus, óptime Felix, cum omni gratiárum actióne. Ne diútiùs autem te prótraham, oro, bréviter áudias nos pro tua cleméntia. Invénimus hunc hóminem peſtíferum, & concitántem ſeditiónes ómnibus Judæis in univérſo orbe, & auctórē ſeditiónis ſectæ Nazarenórum: qui étiam templum violáre conátus eſt:

quem & apprehénſum volúimus ſecúndùm legem noſtram judicare. Supervéniens autem Tribúnus Lyſias, cum vi magna erípuit eum de mánibus noſtris, jubens accuſatóres ejus ad te veníre: à quo póteris ipſe júdicans, de ómnibus iſtis cognóſcere, de quibus nos accusámus eum. Adjecérunt autem & Judæi, dicéntes hæc ita ſe habére.

℟. Timéte ex Feria 3. pag. 376.

Lectio ij. v. 10. *ad* 19.

RESpóndit autem Paulus, (annuénte ſibi Præſide dícere:) Ex multis annis te eſſe Júdicem genti huic ſciens, bono ánimo pro me ſatisfáciam. Potes enim cognóſcere, quia non plus sũt mihi dies, quàm duódecim, ex quo aſcéndi adoráre in Jerúſalem: & neque in templo invenérunt me cum áliquo diſputántem, aut concúrſum faciéntẽ turbæ, neque in ſynagógis, neque in civitáte: neque probare poſſunt tibi de quibus nunc me accúſant. Confíteor autem hoc tibi, quòd ſecúndùm ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic desérvio Patri & Deo meo, credens ómnibus, quæ in Lege & Prophétis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expéctant, reſurrectiónem futúram juſtórum, & iniquórum. In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendículo conſciéntiam habere ad Deum, & ad hómines ſemper. Poſt annos autem plures, eleemóſynas factúrus in gentem meam veni, & oblatiónes, & vota; in quibus invenérunt me purificátum in templo; non cum turba, neque cum tumúltu.

℟. Benedícite, *pag.* 376.

Lectio iij. v. 22. *ad finem.*

DIſtulit autem illos Felix, certíſſimè ſciens de via hac, dicens: Cùm Tribúnus Lyſias deſcénderit, áudiam vos. Juſſítque Centurióni cuſtodíre eum, & habére réquiem, nec quemquam de ſuis prohibére miniſtráre ei. Poſt áliquot autem dies véniens Felix cum Drusilla uxóre ſua, quæ erat Judæa, vocávit Paulum, & audívit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Jeſum. Diſputánte autem illo de juſtítia, & caſtitáte, & de judício futúro, tremefáctus Felix reſpóndit: Quod nunc áttinet, vade; témpore autem opportúno accérſam te. Simul & ſperans, quòd pecúnia ei darétur à Paulo; propter quod & frequénter accérſens eum, loquebátur cum eo. Biénnio autem expléto, accépit ſucceſſórem Felix Pórtium Feſtum. Volens autem grátiam præſtáre Judæis Felix, relíquit Paulum vinctum.

℟. Vobis, *pag.* 377.

Ad Benedíctus *Ant.* ℣. 3. *A.* Ego vitam ætérnam do eis: & non períbunt in ætérnum, allelúia. *Joan.* 10. 28.

CANON
Ex Concílio Milevitáno ſecúndo.
An. 416. Can. 12.

PReces, vel Orationes, ſeu Miſſæ quæ probátæ fúerint, ſive Præfatiónes, ſive Commendatiónes, ſive mánuum Impoſitiónes ab ómnibus celebréntur; nec áliæ dicántur in Ecclésia: ne fortè áliquid contra fidem, vel per ignorántiam, vel per minus ſtúdium ſit compóſitum.

SABBATO.

Fit Officium de Beata, niſi occurrat Feſtum Duplex aut Semiduplex.

Pſalmi ex 2. Noct. Sabb.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 28. v. 16. ad 21.

CUm veniſsémus Romã, permíſſum eſt Paulo manére ſibimet cum cuſtodiénte ſe mílite. Poſt tértium autem diem convocávit primos Judæórum. Cùmque conveniſſent, dicébat eis: Ego, viri fratres, nihil advérsus plebem fáciens, aut morem patérnum, vinctus ab Jeroſolymis tráditus ſum in manus Romanorum: qui cùm interrogatiónem de me habuíſſent, voluérunt me dimíttere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me. Contradicéntibus autem Judæis, coáctus ſum appelláre Cæſarem, non quaſi gentem meam habens áliquid accuſáre. Propter hanc ígitur cauſam rogávi vos vidére, & álloqui; propter ſpem enim Iſrael caténâ hâc circúmdatus ſum.

Lectio ij. v. 23. ad finem.

CUm conſtituíſſent autẽ illi diem, venérunt ad eum in hoſpítium plúrimi, quibus exponébat teſtíficans regnum Dei, ſuadénſque eis de Jeſu ex lege Móyſi, & Prophétis, à mane uſque ad véſperam. Et quidam credébant his quæ dicebántur; quidam verò non credébant. Cùmque ínvicem non eſſent conſentiéntes, diſcedébant: dicénte Paulo unum verbũ: Quia bene Spíritus ſanctus locútus eſt per Iſaíam Prophétam ad patres noſtros, dicens: Vade ad pópulum iſtum, & dic ad eos: Aure audiétis, & non intelligétis: & vidéntes videbitis, & non perſpiciétis. Incraſsatum eſt enim cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt; & óculos ſuos compreſsérũt; ne fortè vídeant óculis, & áuribus áudiant, & corde intélligant, & convertántur, & ſanem eos. Notum ergo ſit vobis, quóniam Géntibus miſſum eſt hoc ſalutáre Dei, & ipſi áudient. Et cum hæc dixiſſet, exiérunt ab eo Judæi, multam habéntes inter ſe quæſtiónem. Manſit autem biennio toto in ſuo condúcto; & ſuſcipiébat omnes, qui ingrediebántur ad eum, prædicans regnum Dei,

& docens quæ ſunt de Dómino Jeſu Chriſto, cum omni fidúcia, ſine prohibitióne.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. de Reform. Cap. 18.

CUret Epíſcopus ut Clérici Miſſæ ſacrifício ſíngulis diébus intérſint, ac ſaltem ſíngulis mẽſibus confiteántur peccáta; & juxta Confeſſóris judíciũ ſumant corpus Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

AD VESPERAS.

Reſurrectio Chriſti perſeverantiæ documentum. Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, &c. Rom. 6. 9.

Ant. ſola t. 3. A. Præcipitábit mortem in ſempitérnum: & oppróbrium pópuli ſui áuferet de univérſa terra, allelúia. *Iſ. 25. 8.*

Capitulum. Iſ. 60. 20. 21.

NOn óccidet ultrà ſol tuus, Jerúſalem, & luna tua non minuétur: quia erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam: pópulus autem tuus omnes juſti, in perpétuũ hæreditábunt terram.

HYMNUS.

Eróum táceat glória fútilis:
Quid vicére viri cædibus ínclyti?
Cui quondam lícuit súrgere mórtuis?
Morti jura quis ímperet?
Hæc ſunt, Chriſte, tuæ débita glóriæ:
Devicíſſe necem non datur álteri:
Umbris mors álios cárceret ínvida;
Tu vis; & patet óſtium.
Ut quid thura Deo, pérfida gens, negas?
Miro nunc óperi cédite ſúbditi:
Solâ quem penes eſt ſpontè resúrgere,
Vitæ ſe Dóminum probat.
Non ultrà récidet víctima fúneris.
Hic lethíne cadet vúlnere ſáucius,
Per quem fractus hebet mortis acúleus,
Cui mors flectit, & ínferi?
Fortes in Dómino, fígite ſpem, pii;
Nec quæ, morte Dei víndice, mórtua
Culpis mens, íterum lábere, críminis
Umquam cónſcia pérfidi.
Chriſti gratúito múnere rédditâ
Vitâ quiſque ſibi vívere próvidens:
Invíctus máneat; nec fidei datam
Auſit fállere déxteram.
Scribántur tábulis iſta fidélibus;
Seris ut Tríadis nota nepótibus
Sit laus; nec ſénium pródita póſteris
Norit glória ſæculis.
Amen.

℣. Sedébit Dóminus rex in ætérnum; ℟. Dóminus

virtútem pópulo ſuo dabit, allelúia *Pſal.* 28. 10. 11.

Ad Magnif. *Ant. t.* ℣. *a.* Montes & colles cantábunt laudem: & erit Dóminus nominátus in ſignum ætérnum quod non auferétur; allelúia. *Iſ.* 55. 12. 13.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA III. POST PASCHA.

AD OFFICIUM NOCT.

Qui mortui eſtis peccato, ne ultra vivatis in illo.

Invitat. Chriſtum qui vivens eſt in ſæcula ſæculórum; * Veníte, adorémus, allelúia. *Apoc.* 1. 18.

Pſalmi ex 3. *Nocturno Dominica.*

Ant. t. 2. *D.* Vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto, allelúia. *Rom.* 6. 6.

Ant. t. 4. E. Qui mórtui ſumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? allelúia. *Rom.* 6. 2.

Ant. t. 5. *a.* Per Chriſtum fidéles eſtis in Deo, qui ſuſcitávit eum à mórtuis, allelúia. 1. *Petr.* 1. 21.

℣. Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ, allelúia. *Pſal.* 17. 47.

Incipit liber Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap 1. *v.* 1. *ad* 9.

APocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm fácere ſervis ſuis, quæ opórtet fieri citò: & ſignificávit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joánni, qui teſtimónium perhíbuit verbo Dei, & teſtimónium Jeſu Chriſti, quæcúmque vidit. Beátus qui legit & audit verba prophetíæ hujus: & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim propè eſt. Joánnes ſeptem Eccléſiis quæ ſunt in Aſia, Grátia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt; & à ſeptem ſpirítibus, qui in conſpéctu throni ejus ſunt: & à Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogénitus mortuórum, & princeps regum terræ; qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo: ipſi glória, & impérium in ſæcula ſæculórum: Amen. Ecce venit cum núbibus; & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt: & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego ſum Alpha & Oméga, princípium & finis, dicit Dóminus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui ventúrus eſt Omnípotens.

℟. Ego ſum primus & noviſſimus: & vivus, & fui mórtuus; * Et ecce ſum vivens in ſæcula ſæculórum, & hábeo claves mortis, & inferni, allelúia. ℣. Ego dormívi, & ſoporátus ſum, & exurréxi quia Dóminus

ſuſcépit

Suſcépit me. * Et ecce ſum. *Apoc.* 1. 17. 18. *Pſal.* 3. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio ij. in die ſancto Paſchæ.

RESurrectiónis miráculum cui póterit comparári ? Légimus quidem nonnullórum præceſsíſſe reſurrectiónes, aut magis certè ſuſcitatiónes, ſed iſtíus præámbulas, quibus & dúplici privilégio nóſcitur præeminére. Nam cæteri quidem reſurrexérunt, íterum moritúri : Chriſtus reſúrgens ex mórtuis, jam non móritur : mors illi ultrà non dominábitur. Illi mórtui dénuò opus habent reſuſcitári : Chriſtus quòd mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel : quòd autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitáte. Méritò proínde reſurgéntium primítiæ Chriſtus, qui ita ſurréxerit, ut cádere non adjíciat, qui ſolus áttigit immortalitátem. Eſt áliud in quo reſurrectiónis hujus innotéſcit glória ſinguláris. Quis enim in cæteris ómnibus ſuſcitávit ſemetípſum ? Ineffábile iſtud eſt, ut à morte ſe éxcitet ipſe qui dormit..... Quid autem commendétur nobis sédulâ cogitatione pensémus : síquidem quòd mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel : quia quòd jam vivit, vivit non carni, ſed Deo. Communicávimus paſſiónibus Chriſti : complantáti ei dénuò ſumus per baptíſmum quemdam lacrymárum. Si ergo mórtui ſumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo ? Si negligéntias plánximus, quid cauſæ eſt ut recidámus nunc in eáſdem ? Lavi pedes meos ; quómodo íterum inquinábo eos ? Exui me túnicam meam ; quómodo índuam eam ? Sic amatóres ſæculi ínhiant dies reſurrectiónis, heu ! ut libériùs indúlgeant voluptáti. Proh dolor ! peccándi tempus, términus recidéndi, facta eſt Reſurréctio Salvatóris.

℟. Vobis annuntiámus eam quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt : quóniam hanc Deus adimplévit : * Suſcitávit Jeſum à mórtuis, ampliùs jam non reverſúrum in corruptiónem, allelúia. ℣. Poteſtas ejus, poteſtas ætérna, quæ non auferétur ; & regnum ejus, quod non corrumpétur. * Suſcitávit. *Act.* 13. 32. 33. 34. *Dan.* 7. 14.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 16. *v.* 16.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Módicum, & jam non vidébitis me ; & íterum módicum, & vidébitis me ; quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 101. *in Joan.*

MOdicum eſt hoc totum ſpátium, quo præſens

pervolát ſæculum. Ideò namque áddidit : Quia vado ad Patrem. Eúndo quippe ad Patrem, factúrus erat ut eum non vidérent : ac per hoc non ideò dictum eſt, Quia fúerat moritúrus, & donec reſúrgeret, ab eórum aſpéctibus receſſúrus ; ſed, Quòd eſſet itúrus ad Patrem. Illis ergo ait : Módicum, & jam non vidébitis me, qui eum tunc corporáliter vidébant, quia itúrus erat ad Patrem, & eum deínceps mortálem viſúri non erant, qualem, cùm iſta loquerétur, vidébant. Quòd verò áddidit : Et ít[illegible] módicum, & vidébit[illegible] ; univérſæ promíſit Eccléſiæ, ſicut univérſæ promíſit : Ecce ego vobíſcum ſum uſque ad conſummatiónẽ ſæculi. Non tardat Dóminus promíſſum : módicum, & vidébimus eum, ubi jam nihil rogémus, nihil interrogémus ; quia nihil deſiderándum remanébit, nihil quæréndum latébit. Hoc modicum longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur : cùm finítum fúerit, tunc ſentiémus quàm modicum fúerit.

℟. Beátus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectióne prima : * In his ſecúnda mors non habet poteſtátem : ſed regnábunt cum Chriſto : † Allelúia. ℣. Vivent mortui tui, Sion, interfecti mei resúrgent : expergiſcímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere. * In his. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 20. 6. *Iſ.* 26. 19. Te Deum.

AD LAUDES.

Servi facti juſtitiæ, in illa perſeverate.

℣. *Sacerdos.* Non diſcédimus à te, vivificábis nos : ℟. Et nomen tuum invocábimus, allelúia. *Pſal.* 79. 19.

Ant. t. 1. d. CHriſtus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur, Allelúia. *Rom.* 6. 9.

Ant. t. 3. a. Quòd mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel : quòd autem vivit, vivit Deo ; allelúia. *Rom.* 6. 10.

Ant. t. 4. *E.* Si complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus ; ſimul & reſurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6. 5.

Ant. t. 5. a. Si mórtui ſumus cum Chriſto : ſimul étiã vivémus cum Chriſto, allelúia. *Rom.* 6. 8.

Ant. t. 8. *C.* Liberáti à peccáto, ſervi facti eſtis juſtítiæ, allelúia. *Rom.* 6. 18.

Capitulum. Rom. 6. 11. 12.

EXiſtimáte vos mórtuos eſſe peccáto, vivéntes autem Deo in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Non ergo regnet peccátum in veſtro mortáli córpore, ut obediátis concupiſcéntiis ejus.

℣. Dómine, eduxíſti ab inférno animam meam ; ℟. Salváſti me à deſcendéntibus in lacum, allelúia. *Pſal.* 29. 4.

Ad Bened. *Ant. t. 7. D.* Mundus gaudébit, vos autem contriſtabímini: ſed triſtítia veſtra vertétur in gáudium, allelúia. *Joan. 16. 20.*

Oratio.

DEus, qui in Fílii tui humilitáte jacéntem mundum erexíſti: fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; ut quos perpétuæ mortis eripuíſti cáſibus, gáudiis fácias pérfrui ſempitérnis; Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas breves, Antiph. de Laudibus.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſ. 22. de Sacrif. Miſſæ.

PAſtóres & ſínguli curam animárũ geréntes, inter Miſſárũ celebratiónẽ, vel per ſe, vel per álios, ex iis quæ in Miſſa legúntur áliquid expónant: atque inter cætera ſanctíſſimi hujus ſacrifícii myſtérium áliquod declárent, diébus præſértim Dóminicis ac Feſtis.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 5. 21.

SIcut regnávit peccátum in mortem: ita & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. *br.* Mihi adhærére Deo bonum eſt; * Allelúia, allelúia. Mihi. ℣. Pónere in Deo ſpem meam. * Allelúia, allelúia. Glória. Mihi. *Pſal. 72. 28.*

℣. Utinam dirigántur viæ meæ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas, allelúia. *Pſal. 118. 5.*

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 6. 13.

NEque exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto; ſed exhibéte vos Deo tamquam ex mórtuis vivéntes; & membra veſtra arma juſtítiæ Deo.

℟. *br.* Benedícite, gentes, Deũ noſtrũ, * Allelúia, allelúia. Benedícite. ℣. Qui póſuit ánimam meam ad vitam: * Allelúia, allelúia. Glória. Benedícite. *Pſal. 65. 8 9.*

℣. In me ſunt, Deus, vota tua: ℟. Quóniam eripuíſti ánimam meam de morte, allelúia. *Pſal. 55. 12. 13.*

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 7. 4.

FRatres, vos mortificáti eſtis legi per corpus Chriſti, ut ſitis altérius, qui ex mórtuis reſurréxit, ut fructificémus Deo.

℟. *br.* Jurávi, & ſtátui, * Allelúia, allelúia. Jurávi. ℣. Cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ. * Allelúia, allelúia. Glória. Jurávi. *Pſ. 118. 106.*

℣. In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; ℟. Quia in ipſis vivificáſti me, allelúia. *Pſal. 118. 93.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Rom. 14. 8. 9.

SIve vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus: in hoc enim Chriſtus mórtuus eſt & reſurréxit: ut & mor-

tuórum & vivórum dominétur.

Hymnus. Heróum táceat &c. *ut in Sabbato.*

℣. Erípuit ánimam meam de morte, ℟. Pedes meos à lapſu, allelúia. *Pſal.* 114. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Iterum vidébo vos, & gaudébit cor veſtrum; & gáudium veſtrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan.* 16. 22.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

IN FERIIS

INFRA DOMIN. III. poſt Paſcha.

Ad Officium Noctur. omnia ut in Domin. præter ea quæ aſſignantur propria in qualibet Feria.

Ad Laudes, prima Antiph. de Laudibus: reliqua ut in Domin. præter Antiph. ad Benedictus.

Ad Horas br. omnia ut in Dominica præter Pſalmos.

Ad Veſperas, prima Antiph. de Laudibus: reliqua ut in 2. Veſperis Domin. præter Antiph. ad Magnif. *& Pſalmos.*

FERIA SECUNDA.

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ.*

De Libro Apocalypſis beáti Joánnis Apoſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 9. *ad* 17.

EGo Joánnes frater veſter, & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntiâ in Chriſto Jeſu, fui in ínſula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimónium Domini Jeſu. Fui in ſpíritu in domínica die, & audívi poſt me vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis: Quod vides, ſcribe in libro: & mitte ſeptem Eccléſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadélphiæ, & Laodíciæ. Et convérſus ſum, ut vidérem vocem quæ loquebátur mecum; & convérſus vidi ſeptem candelábra áurea; & in médio ſeptem candelabrórum aureórum símilem Fílio hóminis, veſtítum pódere, & præcínctum ad mamíllas zonâ áureâ; caput autem ejus & capílli erant cándidi tamquam lana alba, & tamquam nix, & óculi ejus tamquam flamma ignis, & pedes ejus símiles auricbálco, ſicut in camíno ardénti, & vox illíus tamquam vox aquárum multárum: & habébat in déxtera ſua ſtellas ſeptem; & de ore ejus gládius utrâque parte acútus exíbat: & fácies ejus ſicut ſol lucet in virtúte ſua.

℟. Aſpícite quæ fecit nobíſcum Dóminus: cum timóre & tremóre confitémini illi: * Regem ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris, allelúia. ℣. Deſtrúxit mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem. * Regem. *Tob.* 13. 6. 2. *Tim.* 1. 10.

Lectio ij. v. 17. *ad finem.*

ET cùm vidíſſem eum, cécidi ad pedes ejus tamquam mórtuus. Et pó-

ſuit déxteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timére, Ego ſum primus, & noviſſimus; & vivus, & fui mórtuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculórum, & hábeo claves mortis, & inférni. Scribe ergo quæ vidíſti, & quæ ſunt, & quæ opórtet fieri poſt hæc. Sacraméntum ſeptem ſtellárum, quas vidíſti in déxtera mea, & ſeptem candelábra áurea, ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiárum; & candelábra ſeptem, ſeptem Eccléſiæ ſunt.

℟. Benedícimus te, Dómine Deus Iſrael. * Fecíſti enim nobíſcum miſericórdiam tuam; & excluſíſti à nobis inimícum perſequéntem nos, allelúia. ℣. Redemíſti nos in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo. * Fecíſti. *Tob.* 8. 17. 18. *Apoc.* 5. 9.

Lectio iij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

ANgelo Epheſi Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in déxtera ſua, qui ámbulat in médio ſeptem candelabrórum aureórum; Scio ópera tua, & labórem, & patiéntiam tuam, & quia non potes ſuſtinére malos; & tentáſti eos, qui ſe dicunt Apóſtolos eſſe, & non ſunt: & inveníſti eos mendáces, & patiéntiam habes, & ſuſtinuíſti propter nomen meum, & non defecíſti. Sed hábeo advérsùm te, quòd charitátem tuam primam reliquíſti. Memor eſto itaque unde excíderis, & age pœniténtiam; & prima ópera fac. Sin autem, vénio tibi, & movébo candelábrum tuũ de loco ſuo, niſi pœniténtiam égeris. Sed hoc habes, quia odíſti facta Nicolaïtárum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod eſt in paradíſo Dei mei.

℟. Grátia, & pax à Jeſu Chriſto qui eſt primogénitus mortuórum, princeps regũ terræ, qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis noſtris: * Ipſi glória, & impérium in ſæcula ſæculórum. †Allel. ℣. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam, * Ipſi glória. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 1. 4. 5. 6. *Iſ.* 53. 12.

Ad Bened. *Ant.* 8. 4. *E.* Adhuc módicum; & mundus me jam non videt: vos autem vidétis me: quia ego vivo, & vos vivétis, allelúia. *Joan.* 14. 19.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. *decret. de Miſſa.*

CUm multa irrepſiſſe videántur, quæ à Miſſæ ſacrifícii dignitáte aliéna ſunt; decérnit ſancta Synodus, ut Ordinárii locórum ea ómnia prohibére, atque è médio tóllere sédulò curent, ac teneántur, quæ vel avarítia, idolórum ſérvitus, vel irreveréntia, quæ ab im-

pietáte vix ſejúncta eſſe poteſt, vel ſuperſtítio, veræ pietátis falſa imitátrix, indúxit.

Ad Magnif. *Ant.* t. 7. a. Créſcite in grátia, & in cognitióne Dómini noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti, allelúia. 2. *Petr.* 3. 18.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ.*

De libro Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 8. *ad* 12.

ANgelo Smyrnæ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit primus, & noviſſimus; qui fuit mórtuus, & vivit: Scio tribulatiónem tuam, & paupertátem tuam; ſed dives es, & blaſphemáris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt; ſed ſunt ſynagóga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ paſſúrus es. Ecce miſſúrus eſt diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini; & habébitis tribulatiónem diébus decem. Eſto fidélis uſque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis: Qui vícerit, non lædétur à morte ſecúnda.

℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David: * Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam, allelúia. ℣. Ipſe eſt Deus vivens in ſæcula; ipſe liberátor, atque ſalvátor. * Dignus eſt. *Apoc.* 5. 5. 12. *Dan.* 6. 26. 27.

Lectio ij. v. 12. *ad* 18.

ET Angelo Pérgami Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet rompházam utráque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi ſedes eſt sátanæ; & tenes nomen meum, & non negáſti fidem meam: Et in diébus illis Antipas teſtis meus fidélis, qui occíſus eſt apud vos; ubi sátanas hábitat. Sed hábeo advérſùs te pauca: quia habes illic tenéntes doctrínam Bálaam, qui docébat Balac míttere ſcándalum coram fíliis Iſrael, édere, & fornicari: ita habes & tu tenéntes doctrínam Nicolaïtárum. Símiliter pœniténtiam age: ſi quóminus véniam tibi citò, & pugnábo cum illis in gládio oris mei. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis; Vincénti dabo manna abſcónditum, & dabo illi cálculum cándidum; & in cálculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui áccipit.

℟. In cápite ejus diadémata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe. * Et habet in veſtiménto, & in fémore ſuo ſcriptum; Rex regum, & Dóminus dominántium, allelúia. ℣. Magnificéntia tua, Deus, in diadémate cápitis illíus ſculpta erat. * Et habet. *Apoc.* 19. 12. 16. *Sap.* 18. 24.

Lectio iij. v. 18. *ad* 24.

ET Angelo Thyatíræ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit

Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus ſímiles aurichálco: Novi ópera tua, & fidem, & charitátem tuam, & miniſtérium, & patiéntiam tuam, & ópera tua noviſſima plura prióribus. Sed hábeo advérsùs te pauca: quia permíttis mulíerem Jézabel, quæ ſe dicit prophéten, docére, & ſedúcere ſervos meos, fornicári, & manducáre de idolothytis. Et dedi illi tempus ut pœniténtiam ágeret, & non vult pœnitére à fornicatióne ſua. Ecce mittam eam in lectum; & qui mœchántur cum ea, in tribulatióne máxima erunt, niſi pœniténtiam ab opéribus ſuis égerint. Et filios ejus interfíciam in morte; & ſcient omnes Eccléſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo unicuíque veſtrûm ſecúndùm ópera ſua.

℞. Vidi cantántes cánticum Agni, dicéntes: * Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculórum. ✝ Allelúia. ℣. Quis ſímilis tuî in fórtibus, Dómine? quis ſímilis tuî? magníficus in ſanctitáte, fáciens mirabília. * Magna. Glória. ✝ Allelúia. *Apoc.* 15. 2. 3. *Exod.* 15. 11.

Ad Benedict. *Ant. t.* 8. *D.* Qui habet mandáta mea, & ſervat ea, ille eſt qui díligit me, allelúia. *Joan.* 14. 21.

C A N O N

Ex Concilio Tridentíno.

Seſſ. 22. *Cap.* 5.

CUm natúra hóminum ea ſit, ut non fácilè queat ſine adminículis exterióribus ad rerum divinárum meditatiónem ſuſtólli; proptereà pia mater Eccléſia, ritus quoſdam, (ut ſcílicet quædam ſubmíſſâ voce, ália verò elatióre, in Miſſa pronuntiaréntur) inſtítuit. Cæremónias item adhíbuit, ut Myſticas benedictiónes, lúmina, thyamiámata, veſtes, aliaque id genus multa, ex Apoſtólica diſciplína & traditióne.

Ad Magníf. *Ant. t.* 1. *D.* Vidéte voſmetípſos, ne perdátis quæ operati eſtis; ſed ut mercédem plenam accipiátis, allelúia. 2. *Joan.* 8.

FERIA QUARTA.

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ.*

De libro Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

ET Angelo Eccléſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit qui habet ſeptem Spíritus Dei, & ſeptem ſtellas; Scio ópera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mórtuus es. Eſto vigilans, & confírma cætera, quæ moritúra erant; non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quáliter accéperis, & audíeris, & ſerva; & pœniténtiam age. Si ergo non vigiláveris, véniam ad te tamquam fur,

& néſcies quâ horâ véniam ad te. Sed habes pauca nómina in Sardis, qui non inquinavérunt veſtiménta ſua: & ambulábunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui vícerit, ſic veſtiétur veſtiméntis albis; & non delébo nomen ejus de libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

℟. Audívi vocem dicéntium: Allelúia. Gaudeámus, & exultémus: * Quia venérunt núptiæ Agni, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus regnávit: lætétur Sion, & exultavérunt fíliæ Judæ. * Quia. *Apoc.* 19. 6. 7. *Pſal.* 96. 1. 8.

Lectio ij. v. 7. ad 14.

ET Angelo Philadélphiæ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui áperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit: Scio ópera tua. Ecce dedi coram te óſtium apértum, quod nemo poteſt cláudere; quia módicam habes virtútem, & ſervâſti verbum meum, & non negâſti nomen meum. Ecce dabo de ſynagóga sátanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiúntur: ecce fáciam illos ut véniant, & adórent ante pedes tuos; & ſcient quia ego diléxi te. Quóniam ſervâſti verbum patiéntiæ meæ, & ego ſervábo te ab hora tentatiónis, quæ ventúra eſt in orbem univérſum tentáre habitántes in terra. Ecce vénio citò: tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei; & foràs non egrediétur ámpliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcéndit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

℟. Ego ſum inítium, & finis. Ego ſitiénti dabo de fonte aquæ vivæ, gratis. * Qui vícerit, ero illi Deus, & ille erit mihi fílius, allelúia. ℣. Uſque ad mortem certa pro juſtítia. * Qui. *Apoc.* 21. 6. 7. *Eccli.* 4. 33.

Lectio iij. v. 14. ad finem.

ET Angelo Laodíciæ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit, Amen, teſtis fidélis, & verus, qui eſt princípium creatúræ Dei: Scio ópera tua, quia neque frígidus es, neque cálidus. Utinam frígidus eſſes, aut cálidus! ſed quia tépidus es, & nec frígidus, nec cálidus, incípiam te evómere ex ore meo. Quia dicis: Quòd dives ſum, & locupletátus, & nullíus égeo; & neſcis quia tu es miſer, & miſerábilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suádeo tibi émere à me aurum ignítum, probátum, ut lócuple-

ſias, & veſtiméntis albis indúaris, & non appáreat confúſio nuditátis tuæ, & collyrio inúnge óculos tuos ut vídeas. Ego quos amo, árguo, & caſtigo. Æmuláre ergo, & pœniténtiam age. Ecce ſto ad óſtium, & pulſo: ſi quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipſe mecum. Qui vícerit, dabo ei ſedére mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

℟. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos in ſánguine tuo, * Ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne; & feciſti nos Deo noſtro regnum: † Allelúia. ℣. Déxtera tua magnificáta eſt in fortitúdine. Dux fuiſti in miſericórdia tua pópulo quem redemiſti. * Ex omni. Glória. † Allelúia. *Apoc.* 5. 9. 10. *Exod.* 15. 6. 13.

Ad Benedict. *Ant. t.* 4. *e.* Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit, allelúia. *Matth.* 10. 22.

CANON

Ex Concílio Toletáno séptimo.

An. 646. *Can.* 2.

CEnsémus convenire ut, cùm à Sacerdóte Miſſárum témpore, ſancta myſtéria conſecrántur, ſi ægritúdinis accidat cujúſlibet evéntus, quo cœptum néqueat conſecrationis expléri miniſtérium, ſit líberum Epíſcopo, vel Presbytero álteri conſecratiónem éxequi officii cœpti.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, módicùm paſſos ipſe perfíciet, allelúia. 1. *Petr.* 5. 10.

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ.*

De libro Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 7.

POſt hæc vidi: & ecce óſtium apértum in cœlo; & vox prima, quam audívi, tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens: Aſcénde huc, & oſténdam tibi quæ opórtet fíeri poſt hæc. Et ſtatim fui in ſpíritu: & ecce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedébat, ſímilis erat aſpéctui lápidis jáſpidis & sárdinis: & iris erat in circúitu ſedis, ſímilis viſióni ſmarágdinæ. Et in circúitu ſedis ſedília vigínti quátuor; & ſuper thronos vigínti quátuor ſenióres ſedéntes, circumamícti veſtiméntis albis, & in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & toni-

trua : & ſeptem lámpades ardéntes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei. Et in conſpéctu ſedis tamquam mare vitreum, símile cryſtállo : & in médio ſedis, & in circúitu ſedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò.

℟. Aſpícite, *ex Feria ſecund. pag.* 388.

Lectio ij. v. 7. ad finem.

ET ánimal primum símile leóni, & ſecúndum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas ſenas : & in circúitu, & intùs plena ſunt óculis : & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt. Et cùm darent illa animália glóriam, & honórem, & benedictiónem ſedénti ſuper thronum, vivénti in ſæcula ſæculórum, procidébant vigínti quátuor ſeniores ante ſedéntem in throno, & adorábant vivéntem in ſæcula ſæculórum, & mittébant coronas ſuas ante thronum, dicéntes ; Dignus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriam, & honórem, & virtútem : quia tu creáſti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta ſunt.

℟. Benedícimus, *pag.* 389.

Lectio iij. Cap. 5. v. 1. ad 9.

ET vidi in déxtera ſedéntis ſupra thronum, librum ſcriptum intùs & forìs, ſignátum ſigíllis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ : Quis eſt dignus aperíre librum, & sólvere ſignácula ejus ? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus invéntus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi : Ne fléveris ; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere ſeptem ſignácula ejus. Et vidi ; & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſeniórum, Agnum ſtantem tamquam occíſum, habéntem cornua ſeptem, & óculos ſeptem ; qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera ſedéntis in throno librum. Et cùm aperuíſſet librum, quátuor animália, & vigínti quátuor ſeniores cecidérunt coram Agno, habéntes ſinguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes Sanctórum.

℟. Grátia & pax, *pag.* 389.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *irr.* In mundo preſsúram habébitis : ſed confídite, ego vici mundum, allel. *Joan.* 16. 33.

CANON
Ex Decrétis Concilii Provincialis Treviréńſis.
Cui interfuit D. D. Tuſſanus Epiſcopus Tullenſis. Anno 1549. Decret. de Miſſæ Officio ritè peragendo.

HOrtámur, ut ſacroſánctam illam actiónem, in qua ſacrificium prétii noſtri, corpus ſcílicet, & ſanguis Chriſti veráciter offértur, ſummâ religióne, ac devotióne Sacerdótes péragant, ac quóties datur, ſédulò frequéntent & célebrent, eo modo & his cæremóniis, ſeu rítibus obſervátis quos háctenus Románа & Occidentális ſervávit & hódie ſervat Eccléſia.

Ad Magnif. *Ant. e.* 1. *F.* Infírmi ſumus in Chriſto; ſed vivémus cum eo ex virtúte Dei, all. 2. *Corinth.* 13. 4.

FERIA SEXTA.

Pſalmi ex 3. *Nocturno Feriæ.*

De libro Apocalypſis beáti Joánnis Apoſtoli.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 6. *ad* 11.

ET vidi álterum Angelum volántem per médium cœli, habéntem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret ſedéntibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & pópulum: dicens magnâ voce: Timéte Dóminum, & date illi honórem, quia venit hora judícii ejus: & adoráte eum, qui fecit cœlum, & terram, mare, & fontes aquárum. Et álius Angelus ſecútus eſt, dicens: Cécidit, cécidit Bábylon illa magna; quæ à vino iræ fornicatiónis ſuæ potávit omnes gentes. Et tértius Angelus ſecútus eſt illos, dicens voce magnâ: Si quis adoráverit béſtiam, & imáginem ejus, & accéperit charactérem in fronte ſua, aut in manu ſua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in cálice iræ ipsíus, & cruciábitur igne & ſúlphure in conſpéctu Angelórum ſanctórum, & ante conſpéctum Agni.

℟. Ecce vicit, *ex Feriâ* 3. *pag.* 390.

Lectio ij. Cap. 18. *v.* 1. *ad.* 7.

ET poſt hæc vidi áliũ Angelum deſcendéntem de cœlo, habéntem poteſtátem magnam: & terra illumináta eſt à glória ejus. Et exclamávit in fortitúdine, dicens: Cécidit, cécidit Bábylon magna; & facta eſt habitatio dæmoniórum, & cuſtódia omnis ſpíritûs immúndi, & cuſtódia omnis vólucris immúndæ & odíbilis; quia de vino iræ fornicatiónis ejus bibérunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtúte deliciárum ejus divites facti ſunt. Et audívi áliam vocem de cælo, dicéntem: Exite de illa, pópulus meus, ut ne partícipes ſitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. Quóniam pervenérunt peccáta ejus uſque ad cœlum, & re-

cordámus eſt Dóminus iniquitátum ejus. Réddite illi ſicut & ipſa réddidit vobis; & duplicáte duplícia ſecúndū ópera ejus: in póculo, quo míſcuit, miſcéte illi duplum.

℟. In cápite ejus, *pag.* 390.

Lectio iij. Cap. 19. *v.* 1. *ad* 9.

POſt hæc audívi quaſi vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium: Allelúia: Salus, & glória, & virtus Deo noſtro eſt; quia vera & juſta judícia ſunt ejus, qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in proſtitutióne ſua, & vindicávit sánguinem ſervórum ſuórum de mánibus ejus. Et íterum dixérunt: Allelúia. Et fumus ejus aſcéndit in ſæcula ſæculórum. Et cecidérunt ſenióres viginti quátuor, & quátuor animália, & adoravérunt Deum ſedéntem ſuper thronum, dicéntes: Amen: Allelúia. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus, & qui timétis eum, pusílli, & magni. Et audívi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, & ſicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúia; quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit ſe. Et datum eſt illi, ut cooperíat ſe byſſino ſplendénti & cándido. Byſſinum enim, juſtificatiónes ſunt Sanctórum.

℟. Vidi, *pag.* 391.

Ad Bened. Ant. t. 2. *D.* Pater ſancte, ſerva eos in nómine tuo, quos dediſti mihi, allelúia. *Joan.* 17. 11.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Trevirenſi.

Cui interfuit D. D. Tuſſanus Epiſcopus Tullenſis.

Anno 1549. *Decret. de Miſſ. Off. ritè peragendo.*

IN Miſſa pública & ſumma, Præfátio & Orátio Domínica non debent privátim dici aut abrúmpi: ita & Symbolum, Epíſtola & Evangélium, íntegrè, diſtinctè, & clarè cantári debent. Neque feréndum eſt, ut Chorus verba Sacerdótis, vel Subdiáconi, mox in ipſo Lectiónis veſtíbulo interrúmpens, auſpicétur Graduále, Tractum, vel Allelúia: quaſi ſcilicet hoc ſatis ſit, ſi aſtántes ſciant, cujus ſit Léctio, aut Epíſtola.

SABBATO.

Officium fit de Beata, niſi occurrat Feſtum Dupl. vel Semid.

Pſalmi ex 3. *Nocturno Sabb.*

De Libro Apocalypſis beáti Joannis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 22. *v.* 1. *ad* 8.

ET oſténdit mihi flúvium aquæ vitæ, ſpléndidum tamquam cryſtállum, pro-

ſedéntem de ſede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utrâque parte flúminis lignum vitæ, ásferens fructus duódecim, per menſes ſíngulos reddens fructum ſuum, & fólia ligni ad ſanitátem Géntium. Et omne maledíctum non erit ámpliùs; ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus: & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit; & non egébunt lúmine lucérnæ, neque lúmine ſolis; quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in ſæcula ſæculórum. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et Dóminus Deus ſpiríttuum prophetárũ miſit Angelum ſuum oſténdere ſervis ſuis quæ opórtet fíeri citò. Et ecce vénio velóciter. Beátus, qui cuſtódit verba prophetíæ libri hujus.

Lectio ij. v. 13. ad finem.

EGo ſum Alpha & Oméga, primus & noviſſimus, princípium & finis. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni; ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis ſerviéntes, & omnis qui amat & facit mendácium. Ego Jeſus miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccléſiis. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſplendida & matutína: & ſpiritus & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, véniat; & qui vult, accípiat aquam vitæ gratìs. Contéſtor enim omni audiénti verba prophetíæ libri hujus: Si quis appoſúerit ad hæc, appónet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminúerit de verbis libri prophetíæ hujus, áuferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitáte ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Dicit qui teſtimónium pérhibet iſtórum: Etiam vénio citò: Amen. Veni, Dómine Jeſu. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ómnibus vobis. Amen.

CANON
Ex Concílio Aurelianénſi primo.

An. 511. *Can.* 15.

CUm ad celebrándas Miſſas in Dei nómine convenítur, pópulus non antè diſcédat, quàm Miſſæ ſolémnitas compleátur; & ubi Epíſcopus non fúerit, benedictiónẽ accípiat Sacerdótis.

AD VESPERAS.

Reſurrectio Chriſti noſtræ reſurrectionis pignus: qui ſuſcitavit Jeſum, nos cum Jeſu ſuſcitabit. 2. Cor. 4. 14.

Ant. ſola. t. 3. A. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum, allelúia. *Job.* 19. 25.

Capitulum. Ezech. 37. 3. 4. 5.

DOminus dixit ad me: Fili hóminis, putáſne vivent oſſa iſta? Et dixi: Dómine Deus, tu noſti. Et dixit ad me: Vaticináre de óſſibus iſtis: & dices eis: Oſſa árida, audíte verbum Dñi. Hæc dicit Dóminus Deus óſſibus his: Ecce ego intromíttam in vos ſpíritum, & vivétis.

HYMNUS.

EXúrge; terris pérſonet últimis
Effúſa lætis laus tua cántibus:
Hic, Chriſte, nobis eſt triúmphus
Cùm dómito redivívis orco.
Exángue Chriſto, quæ míſeris ſalus?
Quæ ſpes ſepúltis? ô Deus! an tua
Miránda muti prædicábunt
Sub gélido cíneres ſepúlchro?
At quando ſurgens Chriſtus ab ínferis
Mortis triúmphat, príncipe fórtior:
Inclámat umbris: ac ovánti
Sicca jubens movet oſſa voce.
Sint noſtra morti débita córpora;
Viliſque tantùm nos máneat cinis;
Hoc, quo refulgent membra Chriſti
Induet id caro noſtra lumen.
Vivit Redémptor, victor ab hóſtibus:
Hinc ſpes eàdem carne reſúrgere:
His vive votis: hæc & alto
Corde fides máneat repóſta.
Laus ſumma Patri, ſummáque Fílio,
Qui ſancta terris gáudia réddidit
Surgéndo; ſacri fons amóris
Par quoque ſit tibi laus in ævum. Amen.

℣. Benedícat omnis caro nómini ſancto ejus, ℟. In ſæculũ ſæculi, allelúia. *Pſal.* 144. 21.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Rurſum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum, allelúia. *Job.* 19. 26.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA IV.

AD OFFIC. NOCT.

Chriſtus, primitiæ dormientium, primogenitus ex mortuis, reſurrexit: hinc ſpes noſtræ reſurrectionis.

Invitat. Chriſtum qui reſurréxit à mórtuis primítias dormiéntium, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Cor.* 15. 20.

Pſalmi ex I. *Nocturno.*

Ant. t. 3. *A.* Qui ſuſcitávit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitábit, allelúia 2. *Cor.* 4. 14.

Ant. t. 7. *a.* Si mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus

quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto, all. *Rom.* 6. 8.

Ant. 2. 8. *C.* Ipſe eſt caput córporis Eccléſiæ, primogénitus ex mórtuis: ut ſit in omnibus ipſe primátum tenens, allelúia. *Coloſ.* 1. 18.

℣. Lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea: ℟. Et caro mea requiéſcet in ſpe, allelúia. *Pſal.* 15. 9.

Incipit Epíſtola canónica beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio. j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

JAcóbus, Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duódecim tríbubus, quæ ſunt in diſperſióne, ſalútem. Omne gáudium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; ſciéntes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet; ut ſitis perfécti & íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus afflúenter, & non impróperat; & dábitur ei. Póſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, símilis eſt flúctui maris, qui à vento movétur & circumfértur. Non ergo æſtimet homo ille quòd accípiat áliquid à Dómino.

℟. Vivent mórtui tui, Sion, interfécti mei resúrgent: * Expergiſcímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere, allelúia. ℣. Chriſtus reſurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium, quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum. * Expergiſcímini. *Iſ.* 26. 19. 1. *Cor.* 15. 20. 21.

Ex Libro ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De fide Reſurrectionis. Lib. 2. *Num.* 90. 91.

Lectio ij.

QUóniam Deus mori non póterat, mori non póterat ſapiéntia: resúrgere autem non póterat quod mórtuum non erat: aſſúmitur caro quæ mori poſſet: ut dum móritur, quod ſolet, quod mórtuum fúerat, hoc resúrgeret. Neque enim póterat eſſe, niſi per hóminem reſurréctio; quóniam, Sicut per hóminem mors, ita & per hóminem reſurréctio mortuórum. Ergo reſurréxit homo, quoniam homo mórtuus eſt: reſuſcitátus homo, ſed reſuſcitans Deus. Tunc ſecúndùm carnem homo, nunc per ómnia Deus, nunc enim ſecúndùm carnem jam non nóvimus Chriſtum, ſed carnis grátiam tenémus, ut ipſum primítias quieſcéntium, ipſum primogénitum ex mórtuis novérimus. Primítiæ útique ejúſdem ſunt géneris atque natúræ, cujus & réliqui fructus, quorum pro lætióre provéntu primitíva Deo múnera deferúntur, ſacrum munus pro ómnibus, & quaſi reparátæ quædam libámina

naturæ. Primítiæ ergo quieſcéntium Chriſtus: Sed utrùm ſuórum quieſcéntium, qui quaſi mortis exórtes dulci quodam ſopóre teneántur, an ómnium mortuórum? Sed ſicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Chriſto omnes vivificabúntur. Itaque ſicut primítiæ mortis in Adam, ita étiam primítiæ reſurrectiónis in Chriſto.

℟. Ad Dóminum aſpíciam: expectábo Deum Salvatórem meum. * Ne lætéris, inimíca mea, ſuper me, quia cécidi: consúrgam cùm sédero in ténebris: Dóminus lux mea eſt, allelúia. ℣. Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ. * Ne lætéris. *Mich.* 7. 7. 8. *Philip.* 3. 20. 21.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 16. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vado ad eum qui miſit me; & nemo ex vobis intérrogat me, Quò vadis? Et réliqua.

Homília ſáncti Joánnis Chrysóſtomi.

Homilia 78. *in Joan.*

VIdéte quómodo Chriſtus conſolátur illos. Non ad grátiam loquor, inquit, ſed etiámſi admodum contriſtémini, quod éxpedit audiéndum eſt. Vos ut adſim optátis, uſus áliud póſtulat. Curatóris autem eſt non párcere amícis, ſi quando rem ſibi útilem amovéri velint. (Si ergo non abíero, Páraclétus non véniet: Si autem abíero, mittam illum ad vos:) & quæ inde utílitas? Cùm vénerit ille, árguet mundum; id eſt, quæ jam facta ſunt, erant ad ſiléntium ipſis imponéndum ſatis: cùm autem hæc per illum facta fúerint, perfectiórque doctrína & majóra mirácula, multò magis damnabúntur tot tántaque vidéntes in nómine meo fieri, quod clariórem reddit reſurrectiónis demonſtratiónem. Nunc enim dícere poſſunt, fabri Fílium eſſe cujus nos patrem, & matrem nóvimus; cùm víderint autem ſolútam mortem, pulſam malítiam, claudicántem natúram rectè incedéntem, fugátos dæmones, imménſam Spíritûs largitiónem, & hæc nóminis mei invocatióne fieri; quid dicent? Teſtimónium perhíbuit de me Pater, perhibébit & Spíritus.

℟. Laudáte & ſuperexaltáte Deum in ſæcula; * Quia éruit nos de inférno, & ſalvos fecit de manu mortis. † Allelúia. ℣. Si crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt, & reſurréxit: ita & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. * Quia. Glória. † Allelúia. *Dan.* 3. 88. 1. *Theſſ.* 4. 13.

Te Deum *dicitur.*

AD

AD LAUDES.

Per illius virtutem reſurgemus, qui reſurgendo deſtruxit mortis imperium.

℣. *Sacerdot.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ, allelúia. *Pſ.* 17. 47.

Ant. t. 5. *a.* SAlvátor noſter Jeſus Chriſtus deſtrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam, & incorruptiónem, allelúia. 2. *Tim.* 1. 10.

Ant. t. 6. *f.* Si complantáti ſumus ſimilitúdini mortis ejus; ſimul & reſurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6. 5.

Ant. t. 8. *c.* Sicut in Adam omnes moriúntur: ita & in Chriſto omnes vivificabúntur, allelúia. 1. *Cor.* 15. 22.

Ant. t. 1. *irr.* Deus & Dóminum ſuſcitávit; & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6. 14.

Ant. t. 3. *a.* Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Absórpta eſt mors in victória, allelúia. 1. *Cor.* 15. 54.

Capitulum. Rom. 8. 22. 23.

SCimus quòd omnis creatúra ingemíſcit & parturit uſque adhuc; non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias ſpíritûs habéntes; & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiorum Dei expectántes, redemptiónem corporis noſtri.

℣. Ad véſperum demorábitur fletus, ℟. Et ad matutínum lætítia, allel. *Pſ.* 29. 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Hæc vobis ab inítio non dixi, quia vobíſcum eram: & nunc vado ad eum qui miſit me, allelúia. *Joan.* 16. 5.

Oratio.

DEus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis: da pópulis tuis id amáre quod præcipis; id deſideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes, ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gáudia; Per Dóminum noſtrum.

Ad Horas br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 5. *de Reform. Cap.* 2.

QUia Chriſtiánæ reipúblicæ neceſsária eſt prædicátio Evangélii, & hoc eſt præcípuum Epiſcopórũ munus: ſtátuit ſancta Synodus omnes Epíſcopos & álios Eccleſiárum Prælátos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impedíti non fúerint, ad prædicándum ſanctum Jeſu Chriſti Evangélium.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 8. 11.

SI Spíritus ejus qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis; qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra.

℟. *br.* Non móriar, ſed vivam. * Allelúia, allelúia. Non móriar. ℣. Et narrábo ópera Dómini. * Allelúia, allelúia. Glória. Non móriar. *Pſal.* 117. 17.

℣. Placébo Dómino, ℟. In regióne vivórum, allel. *Pſal.* 114. 9.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 12. 13. 14.

SI Chriſtus prædicátur quòd reſurréxit à mórtuis, quómodo quidam dicunt, quóniam reſurréctio mortuórum non eſt? Si autem reſurréctio mortuórum non eſt, neque Chriſtus reſurréxit. Si autem Chriſtus non reſurréxit, inánis eſt ergo prædicátio noſtra.

℟. *br.* Credo vidére bona Dómini; * Allelúia, allel. Credo. ℣. In terra vivéntium. * Allelúia, allel. Glória. Credo vidére. *Pſal.* 26. 13.

℣. Eripuíſti ánimam meam de morte: ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine viventium, allelúia. *Pſ.* 55. 13.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 52. 53.

IN moménto, in ictu óculi, in noviſſima tuba; (canet enim tuba) & mórtui reſúrgent incorrúpti: & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem: & mortále hoc indúere immortalitátem.

℟. *br.* Cor meum & caro mea * Allelúia, allelúia. Cor meum. ℣. Exultavérunt in Deum vivum. Allelúia, allel. Glória. Cor meum. *Pſal.* 83. 3.

℣. Exáudi oratiónem meã, ℟. Ad te omnis caro véniet, allelúia. *Pſal.* 64. 3.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 13. 14.

HAbéntes eúmdem Spíritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Crédidi, propter quod locútus ſum, & nos crédimus, propter quòd & lóquimur: ſciéntes, quóniam qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, & nos cum Jeſu ſuſcitábit.

Hymnus. Exúrge terris, &c. *ut in Veſperis Sabbati.*

℣. Reflóruit caro mea: ℟. Et ex voluntáte mea confitébor ei, allelúia. *Pſ.* 27. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Triſtítia implévit cor veſtrum; ſed veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam, allelúia. *Joan.* 16. 6. 7.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

IN FERIIS

INFRA DOMINICAM IV. poſt Paſcha.

Ad Officium Nocturnum Invitat. Ant. ℣. *ut in Domin. iv. reliqua ut in Proprio.*

Ad Laudes, prima Antiph. de Laudibus: reliqua ut in Domin. præter Antiph. ad Benedictus, *& Pſalmos.*

Ad Horas breves, omnia ut in Dominica, præter Pſalmos.

Ad Veſperas. Antiph. prima ex Laudibus: reliqua ut in Veſperis Domin. præter Antiph. Ad Magnificat, *& Pſalmos.*

FERIA SECUNDA.

Pſalmi ex 1. Noct. Feriæ.

De Epiſtola beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 8. *ad* 16.

VIr duplex ánimo, incónſtans eſt in ómnibus viis ſuis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne ſua; dives autem in humilitáte ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exórtus eſt enim ſol cum ardóre, & arefécit fœnum; & flos ejus décidit, & decor vultûs ejus depériit; ita & dives in itinéribus ſuis marcéſſet. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem: quoniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromíſit Deus diligéntibus ſe. Nemo cùm tentátur, dicat, quóniam à Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum eſt: ipſe autem néminem tentat. Unuſquíſque verò tentátur à concupiſcéntia ſua abſtráctus, & illéctus. Deínde concupiſcéntia cùm concéperit, parit peccátum: peccátum verò, cùm conſummátum fúerit, génerat mortem.

℟. Cantáte Dómino, & pſállite ei, narráte ómnia mirabília ejus; laudámini in nómine ſancto ejus: * Lætétur cor quæréntium Dóminum, allelúia. ℣. Ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo: & mórtui qui in Chriſto ſunt, reſúrgent primi. * Lætétur. *Pſal.* 104. 2. 3. 1. *Theſ.* 4. 15.

Lectio ij. v. 17. *ad* 22.

OMne datum óptimum, & omne donum perféctum, deſúrſum eſt; deſcéndens à Patre lúminum, apud quem non eſt tranſmutátio, nec viciſſitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis; ut ſimus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum; tardus autem ad loquéndum, & tardus ad iram: ira enim viri juſtítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam, & abundántiam malítiæ, in manſuetúdine ſuſcípite ínſitum verbum, quod poteſt ſalváre ánimas veſtras.

℟. Lætábitur virgo in choro, júvenes, & ſenes ſimul: * Et convértam luctum eórum in gáudiū, & conſolábor eos, & lætificábo à dolóre ſuo, al. ℣. Pater, quos dedíſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut vídeant claritátem meam. * Et convertā. *Jer.* 31. 13. *Joan* 17. 24.

Lectio iij v. 22. *ad finem.*

EStóte autem factóres verbi, & non auditóres tantùm, falléntes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparábitur viro conſideránti vultum nativitátis ſuæ in ſpéculo; conſiderávit enim

ſe, & ábiit, & ſtatim oblítus eſt qualis fúerit. Qui autem perſpéxerit in legem perféctam libertátis, & permánſerit in ea; non auditor obliviósus factus, ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religióſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſedúcens cor ſuum, hujus vana eſt relígio. Relígio munda, & immaculáta apud Deum & Patrem, hæc eſt; Viſitáre pupíllos, & víduas in tribulatióne eórum, & immaculatum ſe cuſtodíre ab hoc ſæculo.

℟. Ego ſum reſurréctio, & vita: qui credit in me, etiamſi mórtuus fúerit, vivet: * Et omnis, qui credit in me, non moriétur in ætérnum. † Allelúia. ℣. In me grátia omnis viæ & veritátis, in me omnis ſpes vitæ & virtútis. * Et omnis. Glória. Allelúia. *Joan.* 11. 25. 26. *Eccli.* 24. 25.

Ad Benedictus *Ant. t.* 2. *d.* Si non abíero, Paraclétus non véniet ad vos: ſi autem abíero, mittam eum ad vos, allelúia. *Joan.* 16. 7.

CANON

Ex Concílio Arelaténſi ſexto. *An.* 813. *Can.* 10.

PRovídimus pro ædificatióne ómnium Eccleſiárum, & pro utilitáte totíus pópuli, ut non ſolùm in civitátibus, ſed étiam in ómnibus Paróchiis, Presbíteri ad pópulum verbum fáciant, & ut bene vívere ſtúdeant, & pópulo ſibi commiſſo prædicáre non négligant.

Ad Magníficat *Ant. t.* 1. *D.* Surge, qui dormis, & exúrge à mórtuis, & illuminábit te Chriſtus, allel. *Eph.* 5. 14.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 5.

FRatres mei, nolíte in perſonárum acceptióne habére fidem Dómini noſtri Jeſu Chriſti glóriæ. Etenim ſi introíerit in convéntum veſtrum vir áureum ánnulum habens in veſte cándida; introíerit autem & pauper in sórdido hábitu, & intendátis in eum qui indútus eſt veſte præclárâ, & dixéritis ei: Tu ſede hìc bene; páuperi autem dicátis: Tu ſta illìc; aut ſede ſub ſcabéllo pedum meórum: nonne judicátis apud voſmetípſos, & facti eſtis júdices cogitatiónum iniquárum?

℟. Desérvio Patri, & Deo meo, credens ómnibus, quæ in lege & prophétis ſcripta ſunt: ſpem habens in Deum, reſurrectiónem futúram juſtórum, & iniquórum. * In hoc & ipſe ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum, & hómines, allelúia. ℣. In carne mea vidébo Deum: repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. * In hoc. *Act.* 24. 14. 15. 16. *Job.* 19. 26. 27.

Lectio ij. v. 5. ad 14.

AUdíte, fratres mei dilectíſſimi, nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni quod repromíſit Deus diligéntibus ſe? Vos autem exhonoráſtis páuperem. Nonne dívites per poténtiam ópprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judícia? Nonne ipſi blaſphémant bonum nomen, quod invocátum eſt ſuper vos? Si tamen legem perfícitis regālē ſecúndùm Scriptúras: Díliges próximum tuum ſicut teípſum: bene fácitis: ſi autem perſónas accípitis, peccátum operámini, redargúti à lege quaſi tranſgreſſóres. Quicúmque autem totam legem ſerváverit, offéndat autem in uno, factus eſt ómniū reus. Qui enim dixit: Non mœcháberis, dixit &, Non occídes. Quòd ſi non mœcháberis, occídes autem, factus es tranſgréſſor legis. Sic loquímini, & ſic fácite, ſicut per legem libertátis incipiéntes judicári. Judícium enim ſine miſericórdia illi, qui non fecit miſericórdiam; ſuperexáltat autem miſericórdia judícium.

℟. Omnes qui in monuméntis ſunt, áudient vocem Fílii Dei: * Et procédent qui bona fecérunt in reſurrectiónem vitæ, allelúia. ℣. Suſcitábit nos, & vivémus in conſpéctu ejus. * Et procédent.
Joan. 5. 28. 29. Oſee 6. 3.

Lectio iij. v. 14. ad finem.

QUid próderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides ſalváre eum? Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini, & ſaturámini; non déderitis autem eis, quæ neceſſária ſunt córpori, quid próderit? Sic & fides, ſi non hábeat ópera, mórtua eſt in ſemetípſa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego ópera hábeo: oſténde mihi fidem tuam ſine opéribus: & ego oſténdam tibi ex opéribus fidem meam. Tu credis quóniā unus eſt Deus; bene facis: & dæmones credunt, & contremíſcunt. Vis autem ſcire, ô homo inánis, quóniam fides ſine opéribus mórtua eſt? Abraham pater noſter nonne ex opéribus juſtificátus eſt, ófferens Iſaac filium ſuum ſuper altáre? Vides quóniam fides cooperabátur opéribus illius; & ex opéribus fides conſummáta eſt? Et ſuppléta eſt Scriptúra, dicens: Crédidit Abraham Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam, & amícus Dei appellátus eſt. Vidétis quóniam ex opéribus juſtificátur homo, & non ex fide tantùm? Simíliter & Rahab merétrix, nonne ex opéribus juſtificáta eſt, ſuſcípiens núntios, & áliâ viâ ejíciens?

Sicut enim corpus ſine ſpíritu mórtuum eſt, ita & fides ſine opéribus mortua eſt.

℟. Omnia detriméntum feci, ut Chriſtum lucrifaciã, ad cognoſcéndum illum, & virtútẽ reſurrectiónis ejus: * Si quómodo occúrram ad reſurrectiónem, quæ eſt ex mórtuis † Allel. ℣. Dómine, miſerere mei, & reſuſcita me: in hoc cognóvi quóniam voluiſti me. * Si quómodo. Gloria. † Allel. *Philipp.* 3. 8. 10. 11. *Pſalm.* 40. 11. 12.

Ad Bened. *Ant.* t. 3. *A.* Cùm vénerit Paraclétus, árguet mundum de peccáto, & de juſtítia, & de judicio, allel. *Joan.* 16. 8.

C A N O N

Ex Concilio Vaſſionénſi tértio.

An. 529. *Can.* 2.

SI Présbyter, áliquâ infirmitáte prohibénte, per ſeipſum non potúerit prædicáre, ſanctorum Patrum Homiliæ à Diacónibus recitÉntur.

Ad Magnif. *Ant.* t. 7. *a.* Deus nos conreſuſcitávit in Chriſto, ut oſténdere abundántes divítias grátiæ ſuæ, in bonitáte ſuper nos, alleluia. *Eph.* 2. 6. 7.

FERIA QUARTA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 6.

NOlite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſciéntes quóniam majus judícium ſúmitis. In multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus eſt vir. Poteſt étiam fræno circumdúcere totum corpus. Si autem equis fræna in ora míttimus ad conſentiéndum nobis, & omne corpus illórum circumférimus: ecce & naves, cùm magnæ ſint, & à ventis válidis minéntur, circumferúntur à módico gubernáculo ubi ímpetus dirigéntis volúerit: ita & lingua módicum quidẽ membrum eſt, & magna exáltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſylvam incéndit!

℟. Dómine, exáltas me de portis mortis, ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion. * Exultábo in ſalutári tuo, alleluia. ℣. Quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórũ. * Exultábo. *Pſ.* 9. 15. 16. 1. *Cor.* 15. 21.

Lectio ij. v. 6. *ad* 13.

ET lingua ignis eſt, univérſitas iniquitátis. Lingua conſtitúitur in membris noſtris, quæ máculat totum corpus, & inflámmat rotam nativitátis noſtræ, inflammáta à gehénna. Omnis enim natúra beſtiárum, & vólucrum, & ſerpéntium, & cæterórum domántur, & dómita ſunt à natúra humána; linguam autem nullus hóminum domáre poteſt: inquiétum malum, plena venéno

mortífero. In ipſa benedícimus Deum & Patrem; & in ipſa maledícimus hómines, qui ad ſimilitúdinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procédit benedíctio, & maledíctio. Non opórtet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eódem forámine emánat dulcem, & amáram aquam? Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas fácere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt fácere aquam.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium sæculórum: laudatiónem Dómini loquétur os meum. * Benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in sæculum ſæculi, allelúia. ℣. In Chriſto omnes vivificabúntur: unuſquíſque autem in ſuo órdine, primítiæ Chriſtus: deínde ii qui ſunt Chriſti. * Benedícat. *Pſal.* 144. 13. 21. 1. *Cor.* 15. 22. 23.

Lectio iij. v. 13. ad finem.

QUis sápiens, & diſciplinátus inter vos? Oſtendat ex bona converſatióne operatiónem ſuam in manſuetúdine ſapiéntiæ. Quod ſi zelum amárum habétis, & contentiónes ſint in córdibus veſtris, nolíte gloriári, & mendaces eſſe advérsus veritátem. Non eſt enim iſta ſapiéntia desúrſum deſcendens; ſed terréna, animális, diabólica. Ubi enim zelus & conténtio, ibi inconſtántia, & omne opus pravum. Quæ autem desúrſum eſt ſapiéntia, primùm quidem pudíca eſt, deinde pacífica, modéſta, ſuadíbilis, bonis conséntiens, plena miſericórdiâ, & frúctibus bonis, non júdicans, ſine ſimulatióne. Fructus autem juſtítiæ, in pace ſeminátur, faciéntibus pacem.

℟. Benedíctus Dóminus die quotídie, Deus ſalutárium noſtrórum. * Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi, & Dómini Dómini éxitus mortis. † Allelúia. ℣. Salvatórem expectámus Dóminũ Jeſum qui reformábit corpus humilitátis noſtræ configurátum córpori claritátis ſuæ. * Deus noſter. Glória. † Allelúia. *Pſal.* 67. 20. 21. *Philip.* 3. 20. 21.

Ad. Bened. *Ant. t. 4. E.* Cùm vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem, allelúia. *Joan.* 16. 13.

C A N O N

Ex Concílio Colonienſi. *An.* 1539. *Part.* 2. *Cap.* 22.

FEſtis quibúſque diébus ambas Lectiónes, quæ Epíſtola & Evangélium Miſſæ ejus diéi appellántur, ad verbum enarrábunt (Párochi;) deínde regrediéntur ad utriúſque brevem dilucidatiónem; denuntiábunt quoque quid Eccléſia eo die Deum potiſſimùm oret ac precétur; quod in Precatiónibus ſeu Colléctis continétur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Cùm Chriſtus apparúerit, vita veſtra; tunc & vos apparébitis cum ipſo in glória, allelúia. *Col.* 3. 4.

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex I. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 5.

Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcéntiis veſtris, quæ mílitant in membris veſtris? Concupíſcitis, & non habétis: occíditis, & zelátis; & non potéſtis adipíſci: litigátis, & belligerátis, & non habétis, propter quod non poſtulátis. Pétitis, & non accípitis; eò quòd malè petátis; ut in concupiſcéntiis veſtris inſumátis. Adúlteri, neſcítis quia amicítia hujus mundi, inimíca eſt Dei? Quicúmque ergo volúerit amícus eſſe ſæculi hujus, inimícus Dei conſtitúitur.

℟. Cantáte, *ex Feria ſecunda; pag.* 403.

Lectio ij. v. 5. *ad* 11.

An putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupíſcit ſpíritus, qui hábitat in vobis? Majórem autem dat grátiam. Propter quod dicit: Deus ſupérbis reſíſtit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo eſtóte Deo; reſíſtite autem diábolo, & fúgiet à vobis. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres: & purificáte corda, dúplices ánimo. Míſeri eſtóte, & lugéte, & ploráte. Riſus veſter in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. Humiliámini in conſpéctu Dómini, & exaltábit vos.

℟. Lætábitur, *pag.* 403.

Lectio iij. v. 11. *ad finem.*

Nolíte detráhere alterútrum, fratres. Qui détrahit fratri, aut qui júdicat fratrem ſuum, détrahit legi, & júdicat legē. Si autē júdicas legem, non es factor legis, ſed judex. Unus eſt legiſlátor, & judex, qui poteſt pérdere & liberáre. Tu autem quis es, qui júdicas próximum? Ecce nunc qui dícitis: Hódie, aut cráſtino íbimus in illam civitátem, & faciémus ibi quidem annum, & mercábimur, & lucrum faciémus; qui ignorátis quid erit in cráſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad módicum parens, & deínceps exterminábitur. Pro eo ut dicátis: Si Dóminus volúerit; &, Si vixérimus, faciémus hoc, aut illud. Nunc autem exultátis in ſupérbiis veſtris. Omnis exultátio talis, malígna eſt. Sciénti igitur bonū fácere, & non faciénti, peccátū eſt illi.

℟. Ego ſum reſurréctio, *pag.* 404.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* In reſurrectióne neque nubent, neque nubéntur; ſed

erunt ſicut Angeli Dei, allelúia. *Matth.* 22. 30.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Can.* 23.

PRima prudéntiæ virtus eſt, eam quam docére opórteat, æſtimáre perſónam; rúdibus pópulis, ſeu carnálibus, plana atque commúnia, non ſumma atque árdua prædicánda ſunt; ne immenſitáte doctrínæ opprimántur, potiùſquam inſtruántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *A.* Crédimus ſecúndùm operatiónem poténtiæ virtútis Dei, quam operátus eſt in Chriſto, ſúſcitans illum à mórtuis, allelúia. *Eph.* 1. 19. 20.

FERIA SEXTA.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 7.

AGite nunc, dívites: ploráte, ululántes in misériis veſtris, quæ advénient vobis. Divítiæ veſtræ putrefáctæ ſunt; & veſtiménta veſtra à tíneis comeſta ſunt. Aurum & argéntum veſtrum æruginávit; & ærúgo eórum in teſtimónium vobis erit, & manducábit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizáſtis vobis iram in noviſſimis diébus. Ecce merces operariórum qui meſſuérunt regiónes veſtras, quæ fraudáta eſt a vobis, clamat; & clamor eórum in aures Dómini Sábaoth introívit. Epuláti eſtis ſuper terram, & in luxúriis enutríſtis corda veſtra, in die occiſiónis. Addixíſtis, & occidíſtis juſtum, & non réſtitit vobis.

℟. Desérvio, *ex Feria* 3. *pag.* 404.

Lectio ij. v. 7. *ad* 10.

PAtientes ígitur eſtóte, fratres, uſque ad advéntũ Dómini. Ecce agrícola expéctat pretióſum fructum terræ, patiénter ferens donec accípiat temporáneum, & ſerótinum. Patiéntes igitur eſtóte & vos, & confirmáte corda veſtra; quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum, ut non judicémini. Ecce judex ante jánuam aſſíſtit.

℟. Omnes qui, *pag.* 405.

Lectio. iij. v. 10. *ad* 13.

EXémplum accípite, fratres, éxitûs mali, labóris, & patiéntiæ, Prophétas: qui locúti ſunt in nómine Dómini. Ecce beatificámus eos, qui ſuſtinuérunt. Sufferéntiam Job audíſtis, & finem Dómini vidíſtis, quóniam miséricors Dóminus eſt, & miſerátor. Ante ómnia autem, fratres mei, nolíte juráre, neque per cœlum, neque per terram, neque áliud quodcúmque juraméntum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non; ut non ſub judício decidátis.

℟. Omnia, *pag.* 401.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Stábiles eſtóte in ópere Dómini, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino, allelúia. 1. *Cor.* 15. 58.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 26.

Audies, ait Deus per Prophétam, ſermónem ex ore meo, & annuntiábis eis ex me, ut hoc dicat Sacérdos, quod ex divína lectióne didícerit, quod illi Deus inſpiráverit, non quod præſumptióne humáni ſenſûs invénerit: Annuntiábis, inquit, ex me, ex me: & non ex te: mea verba loquéris eis; non eſt quòd ex eis tamquam tuis inferis.

SABBATO.

Officium fit de Beata, niſi occurrat Feſtum Dupl. vel Semid.

Pſalmi ex 1. *Noct. Sabb.*

De Epíſtola cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 13. *ad* 17.

Triſtátur aliquis veſtrũ? oret: Æquo ánimo eſt? pſallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat Presbyteros Eccléſiæ, & orent ſuper eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini: & orátio fídei ſalvábit infírmum, & alleviábit eum Dóminus; & ſi in peccátis ſit, rémittentur ei. Confitémini ergo alterútrum peccáta veſtra, & oráte pro ínvicem ut ſalvémini; multum enim valet deprecátio juſti aſsídua.

Lectio ij. v. 17. *ad finem.*

Elías homo erat símilis nobis, paſſíbilis: & oratióne orávit ut non plúeret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orávit; & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum ſuum. Fratres mei, ſi quis ex vobis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ ſuæ, ſalvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi. *Anno* 1536. *Can.* 23.

Concionatóres, Sanctórum hiſtóriis ne nimis diu immorentur: quin pótior pars Evangélio detur & Epiſtolæ explicándis. Quòd ſi fabulóſa vidébitur hiſtória, ne attingant quidem; ſi veriſímilis, léviter: eaque decérpant quæ imitánda videántur. Miràcula quoque ne impudéntiùs jacténtur, niſi quæ Scriptúris pródita, aut à non lévibus Scriptóribus ſumma cum hiſtóriæ fide trádita ſunt.

AD VESPERAS.

Ex reſurrectione Chriſti futurorum bonorum deſiderium. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite. Coll. 3. 1.

Ant. ſola. t. 1. *irr.* Expécta

me, dicit Dominus, in die reſurrectiónis meæ, allelúia. *Soph.* 3. 8.

Pſalmi de Feria.

Capitulum. 1. *Petr.* 1. 21.

DEus ſuſcitavit Chriſtum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo.

HYMNUS.

Cœlites, juſſis Dómini miniſtri,
Quæque per vaſtos ubicúmque fines
Vívitis; Chriſti méritas triúmpho
Pángite laudes.

Gentis humánæ Deus & Redémptor,
Chriſte, quàm victo rédiens ab orco
Spléndidum terras ſtupefécit omnes
Lúmine corpus!

His ſuis fauſtas melióris ævi
Dótibus ſortes rádians adúmbrat;
Sic & à vanis vocat ad beatæ
Gáudia vitæ.

Illa lux felix, cumuláta cunctis
Lux bonis; dùm ſe ſine nube menti
Diva Majeſtas dabit intuéndam
Lúmine puro!

Cedet & lætis fúgiens viciſſim
Luctus; exácto modus & labóri
Par voluptátis súbiens amárum
Léniet ævum.

Ergo cum Chriſto revocáta quæque
Morte mens ſurgit, volat ad ſupérna:
Neve terrenis inhians inánem
Aucupet umbram.

Summa laus Patri, Genitóque ſumma,
Qui ſuo nutu ſibi dat renáſci:
Te Deum, compar utriúſque nexûs,
Glória laudet. Amen.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei; ℟. Tu es qui reſtítues hæreditátem meam mihi, allel. *Pſal.* 15. 5.

Ad Magníf. *Ant. t.* 1. *D.* Si commortui ſumus, & convivémus: ſi ſuſtinébimus, & conregnabimus, allelúia. 2. *Tim.* 2. 11. 12.

Oratio ut infra ad Laudes.

DOMINICA QUINTA.

AD OFFIC. NOCT.

Per Chriſti reſurrectionem, ad regnum Dei vocamur hæredes.

Invit. Chriſtum qui per reſurrectiónem deglútiit mortem, ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur, * Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Petr.* 3. 22.

Pſalmi ex 2. *Nocturno Dominicæ.*

Ant. t. 3. *a.* Nos primítias Spíritûs habéntes, gémimus adoptiónem filiórum Dei expectántes, allel. *Rom.* 8. 23.

Ant. t. 4. *E.* Erípuit nos Deus de poteſtáte tenebrá-

rum, & tránſtulit in regnum filii dilectiónis ſuæ, allelúia. *Coloſſ.* 1. 13.

Ant. t, 7. D. Salvátor noſter Jeſus Chriſtus deſtrúxit mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem, all. 2. *Tim.* 1. 10.

℣. Notas mihi feciſti vias vitæ: ℟. Adimplebis me lætítiâ cum vultu tuo, allelúia. *Pſalm.* 15. 11.

Incipit Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v* 1. *ad* 10.

PEtrus Apóſtolus Jeſu Chriſti, electis ádvenis diſperſiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Aſiæ & Bithyniæ, ſecúndùm præſciéntiam Dei Patris, in ſanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & aſperſiónem ſánguinis Jeſu Chriſti; grátia vobis, & pax multiplicétur. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecúndùm miſericórdiã ſuam magnam regenerávit nos in ſpem vivam, per reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarceſsíbilem, conſervátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei cuſtodímini per fidem in ſalútem, parátam revelári in témpore noviſſimô. In quo exultábitis, módicùm nunc ſi opórtet contriſtári in váriis tentatiónibus; ut probátio veſtræ fídei multò pretióſior áuro (quod per ignẽ probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jeſu Chriſti; quem cùm non vidéritis, diligitis: in quem nunc quoque non vidéntes créditis; credéntes autem exultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificátâ; reportántes finem fidei veſtræ, ſalútem animárum.

℟. Dómine, qui ſperant in te, * In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis; & gloriabúntur in te, allel. ℣. Renáti, non ex ſémine corruptíbili per verbũ Dei. * In ætérnum. *Pſ.* 5. 12. 1. *Pet.* 1. 23.

Sermo ſancti Gregórii Papæ.

Lectio ij. Lib. 2. *Homil.* 22.

Sabb. poſt Paſcha.

EX ſolemnitáte (Paſcháli) exémplum nobis reſurrectiónis datum eſt, ſpes cœléſtis pátriæ apérta, & facta ſupérni regni jam præſumptíbilis glória. Per hanc elécti, qui quamvis in tranquillitátis ſinu, tamen apud inférni clauſtra tenebántur, ad Paradíſi amœna redúcti ſunt. Quod ante paſſiónem dixit, in reſurrectióne ſua Dóminus adimplévit: Si exaltátus fúero, inquit, à terra, ómnia traham ad me; ómnia enim traxit, qui de eléctis ſuis apud ínferos nullum relíquit. Omnia abſtulit útique elécta. Neque enim infidéles quoſque, & pro ſuis crimínibus ætérnis ſupplíciis dédítos, ad véniam

Dóminus reſurgéndo reparávit, ſed illos ex inférni clauſtris rápuit, quos ſuos in fide & áctibus recognóvit. Quæ eſt ergo iſta ſolémnitas quæ inférni clauſtra deſtrúxit; & jánuas nobis regni cœleſtis apéruit?

℟. Benedíctus Deus, & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui * Secúndùm miſericórdiam ſuam magnam regenerávit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem in cœlis, allelúia. ℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, & redémit nos. * Secúndùm. 1. *Petr.* 1. 3. 4. *Pſal.* 135. 23. 24.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 16. *v.* 23.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis; Amen, amen dico vobis: Si quid petiéritis Patrem in nómine meo dabit vobis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Tract. 102. *in Joan. Num.* 1. 2.

JAm dictum eſt propter eos qui nonnúlla petunt à Patre in Chriſti nómine, nec accípiunt, non peti in nomine Salvatóris quidquid pétitur contra ratiónem ſalutis. Qui hoc ſentit de Chriſto quod non eſt de único Dei Fílio ſentiendum, non petit in ejus nómine, etiámſi non táceat líttteris ac ſyllabis Chriſtum. Qui verò, quod eſt de illo ſentiéndum, ſentit, ipſe in ejus nómine petit; & áccipit quod petit, ſi non contra ſalútem ſuam ſempitérnam petit. Accipit autem quando debet accípere. Quædam enim non negántur, ſed, ut cóngruo dentur tempore, differúntur. Uſque modò, inquit, non petíſtis quidquam in nómine meo: pétite & accipiétis, ut gáudium veſtrum ſit plenum. Hoc quod dicit gaudium plenum, profectò non carnále, ſed ſpiritále gáudium eſt; & quando tantum erit, ut áliquid ei jam non ſit addéndum, procul dúbiò tunc erit plenum. Quidquid ergo pétitur quod pertíneat ad hoc gáudium conſequéndum, hoc eſt in nómine Chriſti peténdum, ſi divínam intellígimus grátiam, ſi verè beatâ póſcimus vitam. Quidquid autem áliud pétitur, nihil pétitur; non quia nulla omnino res eſt, ſed quia in tantæ rei comparatióne, quidquid áliud concupíſcitur, nihil eſt.

℟. Uſque modò non petíſtis quidquam in nomine meo: * Pétite, & accipiétis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. † Allelúia. ℣. Voluntatem timéntium ſe fáciet Dóminus, deprecatiónem eórum exáudiet. * Pétite. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16. 24. *Pſ.* 144. 19. Te Deum.

AD LAUDES.

Vobis, qui ſurrexiſtis, ne terrena ſapiant, ſed ſola cœleſtia.

℣. *Sacerdot.* Audítam fácite vocem láudis ejus, ℟. Qui póſuit ánimam meam ad vitam, allel. *Pſal.* 65. 8. 9.

Ant. 1. *irr.* SI conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, allelúia. *Coloſſ.* 3. 1.

Ant. t. 3. *A.* Quæ ſurſum ſunt ſápite, non quæ ſuper terram: mórtui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcóndita cum Chriſto, allel. *Coloſſ.* 3. 2. 3.

Ant. t. 5. *a.* Per Jeſum Chriſtum habémus accéſſum in grátiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriámur in ſpe glóriæ filiórum Dei, allel. *Rom.* 5. 2.

Ant. t. 6. *f.* Communicántes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes, allel. 1. *Petr.* 4. 13.

Ant. t. 8. *c.* Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, módicùm paſſos ipſe perfíciet, allel. 1. *Petr.* 5. 10.

Capitulum 2. *Cor.* 4. 17. 18.

QUod in præsénti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur; non contemplántibus nobis quæ vidéntur, ſed quæ non vidéntur.

℣. Delectáre in Dómino; ℟. Et dabit tibi petitiónes cordis tui, allel. *Pſal.* 36. 4.

Ad Benedictus Ant. t. 4. *e.* Amen, amen dico vobis, ſi quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis, allel. *Joan.* 16. 23.

Oratio.

DEus, à quo bona cuncta procédunt: largíre ſupplícibus tuis, ut cogitémus, te inſpiránte, quæ recta ſunt, & te gubernánte, éadem faciámus; Per Dóminum.

Ad Horas Antiph. de Laudibus.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 24.

NOn una eadémque cunctis exhortátio cóngruit; quia nec cunctos par morum quálitas adſtríngit; ſæpe namque aliis officiunt, quæ áliis proſunt, pro qualitáte ígitur audiéntium formári debet ſermo Doctórum; ut & ad ſua ſíngulis cóngruat, & tamen à commúnis ædificatiónis arte numquam recédat.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eph. 1. 17. 18.

DEus Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapiéntiæ; ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditatis ejus in Sanctis.

℟. *br.* In ſancto appárui tibi; * Allelúia, allel. In

ſancto. ℣. Ut viderem virtútem tuam, & glóriam tuam. * Allelúia. Glória. In ſancto. *Pſ.* 62. 3.

℣. Mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas, ℟. Lábia mea laudabunt te, allel. *Pſ.* 62. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. Roman. 8. 16. 17.

SPíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Chriſti.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Allelúia, allel Quid. ℣. Et à te quid vólui ſuper terram? * Allelúia. Glória. Quid. *Pſ.* 72. 25.

℣. Deus cordis mei, ℟. Et pars mea Deus in ætérnum, allel. *Pſ.* 72. 26.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Petr.* 1. 5. 6.

IN virtúte Dei cuſtodímini per fidem in ſalútem, parátam revelári in témpore noviſſimo; in quo exultábitis, módicùm nunc ſi opórtet contriſtári in váriis tentatiónibus.

℟. *br.* Nunc quæ eſt expectátio mea? * Allelúia, allel. Nunc. ℣. Nonne Dóminus? * Allelúia, allel. Glória. Nunc. *Pſal.* 38. 8.

℣. Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti;

℟. Annis, quibus vídimus mala, allelúia. *Pſalm.* 89. 15.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Coloſſ. 1. 12. 13.

GRátias Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum filii dilectiónis ſuæ.

Hymnus. Cœlitum, juſſis Dómini, *ut in Sabbato.*

℣. Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas, ℟. Propter retributiónem, allel. *Pſal.* 118. 112.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Quærite primùm regnum Dei, & juſtítiam ejus; & hæc ómnia adjiciéntur vobis, allel. *Matth.* 6. 33.

Oratio ut in Laudibus.

IN FERIIS
INFRA DOMINICAM V. poſt Paſcha.

Omnia ut in Domin. v. præter ea quæ aſſignantur Propria in qualibet Feria: dicitur tantùm una Antiph. ad Laudes & Veſperas, & Pſalmi de Feria.

FERIA II.
IN ROGATIONIBUS.

Hoc triduo ſi occurrat Feſtum Duplex vel Semid. fit de eo cum comm. de Fer. ad Laud. tantùm.

Ad Offic. Noct. pro 3. *Lect. leg. Evang. Fer. de Simplici fit tantùm commemoratio.*

Pſalmi ex 2. *Noct. Feria.*

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 13. *ad* 23.

PRopter quod ſuccíncti lumbos mentis veſtræ, sóbrii perféctè ſperáte in eam, quæ offértur vobis,

grátiam, in revelatiónem Jeſu Chriſti: quaſi filii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ veſtræ deſidériis: ſed ſecúndùm eum, qui vocávit vos, Sanctum; & ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis: quóniam ſcriptum eſt: Sancti éritis, quoniam ego Sanctus ſum. Et ſi Patrem invocatis eum, qui ſine acceptióne perſonárum júdicat ſecúndùm uniuscujúſque opus, in timóre incolátûs veſtri témpore conversámini. Sciéntes quòd non corruptibílibus auro vel argénto redémpti eſtis de vana veſtra converſatióne patérnæ traditiónis: ſed pretióſo ſánguine quaſi agni immaculáti Chriſti, & incontamináti: præcógniti quidem ante mundi conſtitutiónem, manifeſtáti autem noviſſimis tempóribus propter vos, qui per ipſum fidéles eſtis in Deo, qui ſuſcitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo. Animas veſtras caſtificántes in obediéntia charitátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite attentiùs.

℟. In ſervitúte noſtra non derelíquit nos Deus noſter, ſed inclinávit ſuper nos miſericórdiam ſuam, * Ut daret nobis vitam; allel. ℣. Regenerávit nos in ſpem vivam, per reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis. * Ut daret. 1. *Eſdr.* 9. 9. 1. *Petr.* 1. 3.

Sermo ſancti Cæsárii Arelaténſis Epiſcopi.

Lectio ij. Homil. 37. de Litania 1.

ECce, fratres dilectíſſimi, dies ſancti & ſpirituáles advéniunt. In iſtis tribus diébus, quos reguláriter in toto mundo célebrat Ecclésia, nullus ſe à ſancto convéntu ſubdúcat; quia per totum annum nobis peccatórum vúlnera ſubrépunt. In iſtis tribus diébus fidéliter ad Ecclésiam currámus, & contríto corde, humiliáto córpore, Dei miſericórdiam deprecémur; ut ómnium peccatórum noſtrórum vúlnera, iſto triduáno compunctiónis medicaménto, ad ſanitatem príſtinam revocémus. Conviviola nobis étiam Quadrageſimáli órdine præparémus, & magis legéndo, & pſalléndo, vel orando, animábus noſtris ſpirituáles épulas quàm corporáles delícias requirámus. Audíte ergo me, fratres, rogantem: audíte patérnâ pietáte admonéntem; ut vobis Deus, & in hoc ſæculo ſanitatem córporũ, ubertátem frúctuum, & peccatórum indulgéntiam tríbuat, & in futúro ad ætérna præmia felíciter pervenire concédat.

℟. Veſperè, & manè, & merídie * Narrabo & annuntiábo: & exáudiet Dóminus vocem meam; allel. ℣.

℣. Orábo ſpíritu, orabo & mente; pſallam ſpíritu, pſallam & mente. * Narrabo. *Pſal.* 54. 18. 1. *Cor.* 14. 15.

Léctio ſancti Evángelii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore; Ait Jeſus ad diſcípulos ſuos: Quis veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Serm. in Litan. min. Luc. 11. *circa med.*

PEtitis & non accípitis, eò quòd malè petátis, ut in concupiſcéntiis veſtris eátis. Non prohibéntur cives pátriæ cœléſtis in terra peregrinántes, pro pace témporum, pro ſalúte córporum, pro ubertáte frugum, pro ſerenitáte aurárum, pro cæteris hujus vitæ neceſsáriis Dóminum pétere; ſi tamen hæc non nímiè petántur; & ſi ob id ſolúmmodò petántur, ut abundánte viático in præſénti, libériùs ad futúra dona tendátur. Sed quia ſunt nonnúlli, qui temporálem quiétem & proſperitátem à ſuo Creatóre requírunt, non quidem ut eídem Creatóri devotióribus ánimis obédiant, ſed ut abundántiùs comeſſatiónibus, & ebrietátibus vacent, & ſecúriùs ac licéntiùs concupiſcétiis ſuis, & carnis ſuæ sérviant illécebris,méritò tales malè pétere dicúntur. Verùm quia omnes hujúſmodi petitóres, eò quòd malè petant, accípere non meréntur; ſtudeámus, dilectíſſimi, & bene pétere, & digni ad obtinénda quæ pétimus, exíſtere. Quod ita fit, ſi & ea quæ Deus juſſit orándo quærimus; & quales ipſe nos fíeri dócuit, tales ad orándum procédimus, & inténti in précibus, donec impetrémus, insíſtimus.

℟. Spíritus ádjuvat infirmitátem noſtram: nam quid orémus, ſicut opórtet, neſcímus; ſed * Ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus; † Allel. ℣. In die illa, dicit Dóminus, effúndam Spíritum grátiæ, & precum. * Ipſe. Glória. † Allel. *Rom.* 8. 26. *Zach.* 12. 4. 10.

Ad Bened. *Ant.* 1. 2. *D.* Omnis qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsánti aperiétur, allelúia. *Luc.* 11. 10.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut pópulus tuus miſericórdiam quam depóſcit, percípiat; & indulgéntiam quam humíliter rogat, conſequátur: Per Dóminum.

Et dicitur ad Horas uſque ad Veſperas.

CANON

Ex Concílio Aureliarénſi primo.

An. 511. *Can.* 27. *&* 28.

ROgatiónes, id eſt, Litanias ante Aſcenſiónem Dómini ab omnibus Eccléſiis plácuit celebrári; quo tríduo omnes abſtíneant, & Quadrageſimálibus cibis utántur. Clerici qui ad hoc opus ſánctum adéſſe contémpſerint, ſecúndùm arbítrium Epíſcopi, Eccléſiæ ſuſcípiant diſciplínam.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *d.* Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem dabit illi? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare fíliis veſtris, quantò magis Pater veſter de cœlo, dabit ſpíritum bonum peténtibus ſe? allelúia. *Luc.* 11. 11. 13.

Oratio ex Domin. v.

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Pſalmi ex 2. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 9.

DEponéntes ígitur omnem malítiam, & omnem dolum, & ſimulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes, ſicut modò geniti infantes, rationábile ſine dolo lac concupíſcite; ut in eo creſcátis in ſalútem; ſi tamen guſtáſtis quóniam dulcis eſt Dóminus. Ad quem accedéntes, lápidem vivum, ab homínibus quidē reprobátum, à Deo autem elēctum, & honorificàtum; & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificàmini, domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offérre ſpirituáles hóſtias, acceptábiles Deo per Jeſum Chriſtum. Propter quod cóntinet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angulárem, eléctum pretióſum; & qui credíderit in eum, non confundétur. Vobis igitur honor credéntibus; non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus eſt in caput ánguli: & lapis offenſionis & petra ſcandali, his qui offéndunt verbo, nec credunt in quo & póſiti ſunt.

℟. Tu es, Dómine, qui reſtítues hæreditátem meam mihi: funes cecidérunt mihi in præcláris: * Etenim hæréditas mea præclára eſt mihi, all. ℣. In hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupiéntes. * Etenim. *Pſ.* 15. 5. 6. 2. *Cor.* 5. 2.

Ex Epíſtola ſancti Sidónii Arvernénſis Epíſcopi.

Lectio ij.

Lib. 7. *Epiſt.* 1. *ad ſanctum Mammertem Viennenſem Epiſcopum.*

INvectárum, te auctóre, Rogatiónum palpámur auxílio, quibus inchoándis inſtituendíſque pópulus Arvérnus, etſi non efféctu pari, affectu certè non impari,

cœpit initiári. Non enim latet noſtram ſciſcitatiónem, quòd primis tempóribus harúmce Supplicatiónum inſtitutárum, cívitas tibi crédita, per hujus cémodi prodigiórum terriculaménta vacuabátur; nam modò ſcenæ mænium publicórum crebris terræ mótibus concutiebántur; nunc ignes ſæpe flammáti cadúcas cúlminum criſtas ſuperjécto favillárũ monte tumulábant; cùm tu ad nova celer véterum Ninivitárum exémpla decurríſti. Nam cùm vice quâdam cívitas conflagráre cœpíſſet, fides tua in illo ardóre plus cáluit: índicis jejúnia, interdícis flagítia, expónis ómnibus nec pœnam longínquam eſſe, nec véniam: mones minácem terræ mótuum conflictatiónem fídei ſtabilitáte firmándam: devotióne placátus inſpéctor péctorum Deus, fecit eſſe obſecratiónem veſtram vobis ſalúti, cæteris imitatióni, utríſque præsídio. Quæ ómnia ſciens pópulus iſte Viennénſibus tuis & accidíſſe priùs & non acceſsìſſe poſtériùs, veſtígia tam ſacræ informatiónis ampléctitur, ſédulò petens, ut conſciéntiæ tuæ beatitúdo mittat oratiónum ſuárum ſuffrágia, quibus exémpla tranſmiſit.

℟. Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus, & confitémini illi; * Ego autem & ánima mea in eo lætábimur; allel. ℣. Salvátor noſter Jeſus Chriſtus deſtrúxit mortem, illuminávit autem vitam incorruptiónẽ. * Ego. *Tob.* 13. 10. 9. 2. *Tim.* 1. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 11.

IN illo témpore; Factum eſt cùm eſſet Jeſus in quodam loco orans, ut ceſsávit, dixit unus ex diſcípulis ejus ad eum: Dómine, doce nos oráre. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Epiſt. 130. *quæ eſt ad Probam.*

HOc quod in Domínica oratióne pójitum eſt, tam latè patet ut homo Chriſtiánus in quálibet tribulatióne conſtitútus, in hoc gémitus edat, in hoc lácrymas fundat, hinc exordiátur, in hoc immorétur, ad hoc términet oratiónem. Nam quælibet ália verba dicámus, nihil áliud dícimus quàm quod in iſta Domínica oratióne pójitum eſt, ſi rectè & congruénter orámus. Quiſquis autem id dicit quod ad iſtam Evangélicam precem pertinére non poſſit, etiámſi non illícitè orat, carnáliter orat: quod néſcio quómodo non dicátur illícitè, quando quidem Spíritu renátos non niſi ſpirituáliter decet oráre. Unde líberum eſt áliis atque áliis verbis, éadem tamen in orándo dícere; ſed non debet eſſe líberum ália dícere. Qui dicit in oratióne, verbi

grátiâ: Dómine, multíplica divítias meas: aut, Da mihi tantas quantas illi, vel illi dedíſti; aut, Honóres meos auge; & hæc dicit eórum habens concupiſcéntiam, non id atténdens, ut ex his ſecúndùm Deum proſit homínibus; puto eum non inveníre in oratióne Domínica, quo poſſit hæc vota coaptare. Quamóbrem púdeat ſaltē pétere, quæ non pudet cúpere.

℟. Réſpice, Dómine, de ſanctuário tuo, & de excélſo cœlórum habitáculo: * Et bénedic pópulo tuo Iſrael, & terræ quā dedíſti nobis. † Allel. ℣. Adjuva nos, Dómine, misértus noſtrî. * Et bénedic. Glória. † Allel. *Deut.* 26. 15. *Marc.* 9. 21.

Ad Benedíctus *Ant. t.* 3. *a.* Omnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & evénient vobis, allel. *Marc.* 11. 24.

Oratio.

AVérte, quæſumus, Dómine, iram tuam propitiátus à nobis; ut conſolatiónes præséntis vitæ percipiámus & futúræ; Per Dóminum noſtrum.

Dicitur hæc Orat. ad Hor. br.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi. *An.* 1536. *Part.* 9. *Cap.* 7.

LItanías, id eſt, Supplicatiónes ſeu Rogatiónes..... ante Dómini Aſcenſiónem Pátribus plácuit celebrari; quibus omnes interéſſe jubéntur, ut quemádmodum omnes peccavérunt; ſic & omnes pro vénia súpplicent, omnéſque ad Deum corda cum mánibus élevent.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *a.* Quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam; ut glorificétur Pater in Fílio, allel. *Joan.* 14. 13.

FERIA QUARTA IN ROGATIONIBUS.

Pſalmi ex 2. *Nocturno Feriæ.*

De Epíſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 17. *ad fin.*

OMnes honoráte: fraternitátē dilígite: Deum timéte: Regem honorificáte. Servi, súbditi eſtóte in omni timóre dóminis, non tantùm bonis & modéſtis, ſed étiam dyſcolis. Hæc eſt enim grátia, ſi propter Dei conſciéntiam súſtinet quis triſtítias, pátiens injúſtè. Quæ enim eſt glória, ſi peccántes, & colaphizáti ſuffértis? Sed ſi bene faciéntes patiénter ſuſtinétis; hæc eſt grátia apud Deum: in hoc enim vocáti eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relínquens exémplum ut ſequámini veſtígia ejus, qui peccátum non fecit, nec invéntus eſt dolus in ore ejus: qui cùm maledicerétur, non maledicébat: cùm paterétur, non comminabátur: tradébat autem judicánti ſe injúſtè: qui peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum: ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus; cujus

livóre ſanáti eſtis. Erátis enim ſicut oves errántes, ſed convérſi eſtis nunc ad paſtórem & epíſcopum animárum veſtrárum.

℟. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui * Secúndùm miſericórdiam ſuam magnam regenerávit nos in ſpem vivam per reſurrectiónē Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, allel. ℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtrî, & redémit nos. * Secúndùm. 1. *Pet*. 1. 3. 4. *Pſ*. 135. 23. 24.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica ſancti Gregórii Turonénſis Epíſcopi.

Lectio ij. Lib. 2. Hiſt. Franc. Cap. 34.

BEátus Avítus refert in quadam Homília quam de Rogatiónibus ſcripſit, has ipſas Rogatiónes, quas ante Aſcenſiónis Domínicæ triúmphum celebrámus, à Mamérto ipsíus Viennénſis urbis Epíſcopo, cui & hoc témpore præerat, inſtitútas fuíſſe, dum urbs illa multis terrerétur prodígiis. Nam & terræ motu, frequénter quatiebátur: ſed & cervórum atque lupórum féritas portas ingréſſa, per totam, ut ſcripſit, urbē, nihil métuens oberrábat. Cùmque hæc per anni círculum gereréntur, adveniéntibus Paſchális ſolemnitátis diébus, expéctat miſericórdiam Dei plebs tota devótè. Sed in ipſa glorióſæ noctis vigília, ſúbitò palátium regale divíno igne ſuccénditur, pavóre ómnibus pertérritis. Sanctus Sacérdos proſtrátus ante altáre, cum gemítibus & lácrymis Dómini miſericórdiam imprecátur. Penetrávit excélſa poli orátio Pontíficis, reſtinxítque domûs incéndium flumen profluéntium lacrymárum. Cùmque hæc ageréntur, appropinquánte Aſcenſióne majeſtátis Domínicæ, indíxit pópulo jejúnium, inſtítuit orándi modū. Ceſſántibus quoque exínde terróribus per cunctas Províncias diſpérsâ facti famâ, cunctos Sacerdótes imitári commónuit quòd Sacérdos fecit ex fide: quæ uſque nunc in Chriſti nómine per omnes Eccléſias in compunctióne cordis & contritióne ſpíritûs celebrátur.

℟. Scimus quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, * Quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam ætérnam in cœlis, allel. ℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, & gloriámini omnes recti corde. * Quòd. 2. *Cor*. 5. 1. *Pſ*. 31. 11.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 17. *v.* 1.

IN illo témpore; Sublevátis Jeſus óculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 104. *in Joan.*

POterat Dóminus noſter unigénitus & coætérnus Patri, in forma ſervi, & ex forma ſervi, ſi hoc opus eſſet, oráre ſiléntio: ſed ita ſe Patri exhibére vóluit precatórem, ut meminíſſet noſtrum ſe eſſe doctórem. Proínde eam, quam fecit oratiónem pro nobis, notam fecit & nobis; quóniam tanti Magíſtri, non ſolùm ad ipſos ſermocinátio, ſed étiam pro ipſis ad Patrē orátio, diſcipulórum eſt ædificátio. Et ſi illórum qui hæc dicta áderant auditúri, profécto & noſtra qui fuerámus conſcrípta lectúri.... Clarificátum à Patre Fílium nonnúlli accípiunt, in hoc quod ei non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit eum: ſed ſi paſſióne clarificátus dícitur, quantò magis reſurrectióne? Nam in paſſióne magis ejus humílitas quàm cláritas commendátur; Apóſtolo teſte, qui dicit: Humiliávit ſemetípſum, factus obédiens uſque ad mortē; deínde ſéquitur & de ejus clarificatióne jam dicit: Propter quod & Deus illum exaltávit, & donávit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen; ut in nómine Jeſu omne genu flectátur cœléſtium, terréſtrium, & infernórum, & omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt D[...] Patris: hæc eſt glorificáti[...] Dómini quæ ab ejus reſu[...] rectióne ſumpſit exórdiun[...]

℟. Pater, ego te clarificá[...] ſuper terram: opus conſum[...] mávi quod dedíſti mihi [...] fáciam: * Et nunc claríſic[...] me apud temetípſum clar[...] táte quam hábui, priúſqua[...] mundus eſſet, apud te, † A[...] lelúia. ℣. Oſténde hódie qu[...] tu es Deus Iſrael, & jux[...] præcéptum tuū feci ómnia. Et nunc. Glória. † Allelú[...] *Joan.* 17. 4. 5. 3. *Reg.* 18. 3[...]

Ad Benedictus *Ant. t.* 8. Jam non ſum in mundo, [...] ego ad te vénio, Pater ſan[...] te, allel. *Joan.* 17. 11.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, om[...] nípotens Deus, ut no[...] træ mentis inténtio, qu[...] ventúræ ſolemnitátis glori[...] ſus auctor ingréſſus eſt, ſen[...] per inténdat; & quò fide pe[...] git, converſatióne pervénia[...] Per eúmdem Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Hora[...]

CANON

Ex Concílio Auguſtáno.

An. 1548. *Can.* 23.

POpulum ſédulò mone[...] Párochi, ne cæremónia[...] religioſíſſimè inſtitútas in [...] búſum vertant, ſed ipſis [...] pietátem exercéndam utá[...] tur; atque ut proceſſión[...] ſint graves, ordinátæ, hone[...] tæ, & chriſtiánâ religión[...] dignæ.



IN ASCENSIONE DOMINI.

AD I. VESPERAS.

Glorioſus Chriſti ad cœlum aſcendentis triumphus.

Pſalmi de Feria.

Ant. 1. *5. F.* NOn eſt Deus álius; ut Deus aſcénſor cœli: magnificéntiâ ejus diſcúrrunt nubes: habitáculum ejus ſurſum. Allelúia. *Deut.* 33. 26. 27.

Capitulum. Iſ. 52. 13.

ECce intélliget ſervus meus; exaltábitur, & elevábitur, & ſublímis erit valdè.

℟. Aſcéndet pandens iter ante eos: * Dívident & tranſibunt portam, & ingrediéntur per eam: & tranſibit Rex eórum coram eis, & Dóminus in cápite eórum; † Allelúia. ℣. Nunc clarificátus eſt Fílius hóminis: Deus clarificábit eum in ſemetípſo: & cōtínuò clarificábit eum. * Dívident. Glória. † Allelúia. *Mic.* 2. 13. *Joan.* 13. 31. 32.

HYMNUS.

EXcélſa, cœli, pándite,
principes;
Excélſa ruptis pándite límina
Clauſtris: perénnes vos olympi
Eia fores reſeráte, portæ.

Quæ feſta cœli ſcándere regias
Veſtríſque Chriſtum sédibus hóſpitem!
Rex eſt potens, & fortis ille
Glória cui comes & poteſtas.

Qui ſcandis inter ágmina ſpléndidus,
Regnum triúmphis ſúſcipe débitum.
Sint aſtra ſedes; hinc & orbem
Pone tuis pédibus ſcabéllum.

Quid vos ſtupéntes ſuſpícitis polo
Terris eúntem, diſcípuli, Deum?
Ut nunc Redémptor ſcandit aſtra,
Sic véniet metuéndus ultor.

Heu! Chriſte, regnans, flétibus éxulum
Inténde celſo próvidus è throno:
Diléćte, vultus queis amátos
Súbſtrahis, úbere paſce manna.

Hinc inde ſparſis multa perículis
Triſtes manébunt prælia, mílites :
Auctor ſalútis, poſt triúmphos
Eſto Pater, quibus es coróna.
Laus ſumma Patri, qui Génitum polo
Pacis perénnis súſcipit óbſidem.
Sit, qui triúmphat, ſumma Nato,
Par tibi laus, utriúſque nexus. Amen.

℣. Paráta ſedes tua ex tunc : ℟. A ſæculo tu es, allelúia. *Pſ.* 92. 2.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Qui ædíficat in cœlo Aſcenſionem ſuam, Dóminus nomen ejus, allel. *Amos.* 9. 6.

Oratio ut infrá ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

MOtu levi per áëra,
Cùm ſcandis ad dextram Patris,
O Chriſte ! quæ lætántium
Te proſequúntur ágmina ?
Hi ſunt, tuâ quos ínferi
Vi ducis umbris erútos ;
Quibus triúmpho nóbili
Sedes ad aſtra próvides.
Lætántur ; & nos ánxii
Per multa quos perícula
Vis præliári mílites,
Manus ad alta tóllimus.
Promíſſa funde múnera,
Quibus resúrgens cháritas
Ardéſcat, & nos in tuo
Firmet fidéles fœdere.
Nec ceſſet ardor, débitus
Dum membra ſomnus óccupat,
Fac corda ſedes præviis
Votis ſupérnas tránſvolent.
Qui victor in cœlum redis,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérná ſæcula. Amen.

Hæc Doxologia dicitur in omnibus Hymnis ad Horas breves.

Capitulum. Apoc. 21. 23. 24.

LUcérna civitátis eſt Agnus ; & ambulábunt gentes in lúmine ejus.

℣. Cuſtódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi : ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia. *Pſ.* 16. 8.

Ad Nunc dimíttis *Ant. t.* 5. *a.* Omnis lingua confiteátur, allelúia ; quia Dóminus Jeſus in glória eſt Dei Patris, allelúia. *Philipp.* 2. 11.

AD OFFICIUM NOCT.

Elevamini, portæ æternales ; & introibit Rex gloriæ.

Invitator. Allelúia. Jeſum eúntem in cœlum, * Veníte adorémus, allelúia. *Act.* 1. 10.

In Pſalm. 8. Dómine, Dóminus noſter, *pag.* 25.

Ant. t. 1. *irr.* Eleváta eſt magnificéntia tua ſuper cœlos, Deus, allelúia. *v.* 2.

In Pſalm. 23. Dómini eſt terra & plenitúdo ejus, *pag.* 31.

Ant. t. 5. *a.* Quis eſt iſte Rex glóriæ ? Dóminus fortis & potens ; Dóminus potens in prælio, allelúia. *v.* 8.

In Pſalm. 46. Omnes gentes, pláudite mánibus, *pag.* 32.

Ant. 1. 6. *f.* Regnábit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam, allelúia. *v.* 9.

℣. Psállite Deo qui aſcéndit ſuper cœlum cœli, ℟. Ad oriéntem, allelúia. *Pſal.* 67. 33. 34.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 8. *ad* 15.

DIxit Jeſus Apóſtolis: Accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in vos, & éritis mihi teſtes in Jerúſalem & in omni Judæa, & Samaría, & uſque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixíſſet, vidéntibus illis elevátus eſt; & nubes ſuſcépit eum ab óculis eórum. Cùmque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri aſtitérunt juxta illos in véſtibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpiciéntes in cœlum? Hic Jeſus, qui aſsúmptus eſt à vobis in cœlum, ſic véniet, quemádmodum vidíſtis eum eúntem in cœlum. Tunc revérſi ſunt Jeroſólymam, à monte qui vocátur Olivéti, qui eſt juxta Jerúſalem, ſábbati habens iter. Et cùm introíſſent in cœnáculum, aſcēdérunt ubi manébant Petrus & Joánnes, Jacóbus & Andréas, Philíppus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacóbus Alphæi, & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi. Hi omnes erant perſeverántes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & María matre Jeſu, & frátribus ejus.

℟. Attóllite portas, príncipes, veſtras, & * Elevámini, portæ æternáles, & introíbit Rex glóriæ. Quis eſt iſte Rex glóriæ? Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ, allelúia. ℣. Quóniam Dóminus dominórum eſt, & Rex regum, & qui cum illo ſunt, vocáti, elécti & fidéles. * Elevámini. *Pſal.* 23. 9. 10. *Apoc.* 17. 14.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio ij. Serm. 2. *de Aſcenſione Domini.*

SIcut in ſolemnitáte Paſcháli, Reſurréctio Dómini fuit nobis cauſa lætándi; ita Aſcēſio ejus in cœlos præſéntium nobis eſt matéria gaudiórum, recoléntibus illum diem & ritè venerántibus, quo explétis ómnibus quæ Evangélicæ prædicatióni, & novi teſtaménti myſtériis congruébant, Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, quadragéſimo poſt reſurrectiónem die coram diſcípulis elevátus in cœlum, corporális præſéntiæ modū fecit, manſúrus in Patris déxtera, donec témpora multiplicándis Eccléſiæ filiis divínitùs præſtitúta peragántur, & ad judicándos vivos & mórtuos in eádem carne, in qua aſcéndit, advéniat. Exaltémus itaque, dilectíſſimi, gáudio ſpirituáli, & dignâ apud Deum

gratiárum actióne lætántes, líberos cordis óculos ad illã altitúdinem, in qua Chriſtus eſt, erigámus. Surſum vocátos ánimos deſidéria terréna non déprimant; ad ætérna præeléctos, peritúra non óccupent; viam veritátis ingréſſos, falláces illécebræ non retárdent: & ita à fidélibus hæc temporália decúrrantur, ut peregrinári ſe in hac mundi valle cognóſcant, in qua etiámſi quædam cómmoda blandiántur, non ampleckténda néquiter, ſed tranſeúnda ſunt fórtiter.

℟. In ſole póſuit tabernáculum ſuum; & ipſe, tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo, * Exultávit ut gigas ad curréndam viam: à ſummo cœlo egréſſio ejus, & occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus, allelúia. ℣. Factum eſt, dum benedíceret Jeſus diſcípulis, recéſſit ab eis, & ferebátur in cœlum. * Exultávit. *Pſal.* 18. 6. 7. *Luc.* 24. 51.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 16. *v.* 14.

IN illo témpore; Recumbéntibus úndecim appáruit Jeſus; & exprobrávit incredulitátem eórum & durítiam cordis; quia iis qui víderant eum reſurrexíſſe, non crediderúnt. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 29. *in Evang. hab. in Aſcenſ. Dom.*

ET Dóminus quidem Jeſus, poſtquam locútus eſt eis, aſsúmptus eſt in cœlum. In véteri teſtaménto cognóvimus quòd Elías raptus ſit in cœlum; ſed áliud eſt cœlum áereum, áliud æthéreum: in cœlum aéreum Elías ſublevátus eſt, ut in ſecrétam quamdam terræ regiónem repéntè ducerétur, ubi in magna jam carnis & ſpíritûs quiéte víveret, quoúſque ad finem mundi rédeat, & mortis débitum ſolvat... Redémptor autem noſter eam reſurgéndo conſúmpſit, & reſurrectiónis ſuæ glóriam aſcendéndo declarávit, non curru, non Angelis ſublevátus, quia is qui fécerat ómnia, nimírum ſuper ómnia ſuâ virtúte ferebatur... Sicut autem Joſeph à frátribus ſuis vénditus, venditiónem Redemptóris noſtri figurávit, ſic Enoch tranſlátus, atque ad cœlum aéreum Elías ſublevátus, Aſcenſiónem Domínicam deſignávit. Aſcenſiónis ergo ſuæ Dóminus prænúntios & teſtes hábuit, unum ante legem, álium ſub lege; ut quandóque veníret ipſe, qui veráciter cœlos penetráre potuíſſet.

℟. Ecce cum núbibus cœli quaſi Fílius hóminis veniébat, & uſque ad antíquum diérum pervénit, & in conſpéctu ejus obtuléfunt eum. *

Et dedit ei poteſtátem, & honórem, & regnum: ✝ Allelúia. ℣. Dóminus Jeſus aſſúmptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. * Et dedit ei. Glória. ✝ Allelúia. *Dan.* 7. 13. 14. *Marc.* 16. 19.

Te Deum.

AD LAUDES.

Omnibus ſibi ſubjectis, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.

Invitat. Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam: ℟. Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur, allelúia. *Pſ.* 102. 19.

Pſalmi de Dominica.

Ant. t. 2. *d.* VIri Galilæi, quid ſtatis aſpiciéntes in cœlum? hic Jeſus aſſúmptus eſt à vobis in cœlum, allelúia. *Act.* 1. 11.

Ant. t. 7. *D.* Proféctus eſt in cœlum, ſubjéctis ſibi Angelis & Poteſtátibus, & Virtútibus, allelúia. 1. *Petr.* 3. 22.

Ant. t. 3. *E.* Sedet ad déxteram majeſtátis in excélſis, tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit, allelúia. *Hebr.* 1. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Deus dedit ei.

CANTICUM DANIELIS. 3. 52. *& dicitur per Octavam.*

BEnedíctus es, Dómine patrum noſtrórum: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ ſanctum: * & laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſæculis.

Benedíctus es in templo ſancto glóriæ tuæ: * & ſuperlaudábilis, & ſupergloríóſus in ſæcula.

Benedíctus es in throno regni tui: * & ſuperlaudábilis, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Benedíctus es, qui intuéris abyſſos, & ſedes ſuper Chérubim; * & laudábilis, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Benedíctus es in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus in ſæcula.

Non dicitur Glória Patri.

Ant. Deus dedit ei glóriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo, allelúia. 1. *Pet.* 1. 21.

Ant. t. 6. *f.* His qui in cárcere erant, ſpirítibus véniens prædicávit, qui eſt in déxtera Dei, deglútiens mortem, ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur. 1. *Pet.* 3. 19. 22.

Capitulum. Hebr. 12. 1. 2.

PEr patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen: aſpiciéntes in auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gáudio, ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ, atque in déxtera ſedis Dei ſedet.

℣. Conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum: ℟. Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, allelúia. *Pſ.* 8. 7. 8.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *d.* Aſcéndo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum

meum, & Deum veſtrum, allel. *Joan.* 20. 17.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui hodiérnâ die, Unigénitum tuum Redemptórem noſtrum ad cœlos aſcendíſſe crédimus, ipſi quoque mente in cœléſtibus habitémus: Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas breves Doxologia, Qui victor *ut ad Compl.*

Antiph. de Laudibus: Pſalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ad ℞. *br.* Qui aſcendíſti ſuper omnes cœlos. *Eph.* 4. 10.

CANON

Ex Conſtitutiónibus Apoſtolórum. *Lib.* 5. *Cap.* 18.

NUmerátis quadragínta diébus à primo Domínico die, celebráte diem Aſſumptiónis Dómini, quo die aſcéndit ad Deum, eumdémque Patrem ſuum à quo miſſus fúerat; ad cujus dénteram virtútis ſedet; quique in conſummatióne ſæculi véniet cum poteſtáte & glória multa, ad judicándum vivos & mórtuos.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eph. 1. 20. 21.

DEus Chriſtum conſtítuit ad déxteram ſuam in cœléſtibus, ſupra omnem principátum, & poteſtátem, & omne nomen, quod nominátur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed étiam in futúro.

℞. Exúrge, glória mea; confitébor tibi in pópulis, Dómine: quóniam magnificata eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua; & uſque ad nubes véritas tua. * Exaltáre ſuper cœlos, Deus, & ſuper omnem terram glória tua. † Allel. ℣. Vídimus Jeſum propter paſſiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum.* Exaltáre. Glória. † Allelúia. *Pſal.* 56. 9. 10. 11. 12. *Hebr.* 2. 9.

℣. Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, ℞. Et ſuper cœlos glória ejus, allel. *Pſal.* 112. 4.

Per Octav. ℞. *br.* Iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum, * Allelúia, allel. Iter fácite. ℣. Dóminus nomen illi. * Allelúia, allel. Glória. Iter fácite. *Pſal.* 67. 5.

℣. Aſcéndit ſuper Chérubim, & volavit; ℞. Volávit ſuper pennas ventórum, allelúia. *Pſal.* 17. 11.

AD SEXTAM.

Capitulum. Hebr. 1. 3.

CHriſtus cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ Dei, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórũ fáciens, ſedet ad déxteram majeſtátis in excélſis.

℞. *br.* Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, * Allelúia, allel. Vidérunt. ℣. Ingréſſus Regis mei, qui eſt in ſancto. * Allelúia, allel. Glória. Vidérunt. *Pſ.* 67. 25.

℣. Aſcéndit Deus in júbilo, ℞. Et Dóminus in voce

tubæ, allel. *Pſal.* 46. 6.

ADNONAM.

Capitulum. Eph. 4. 9. 10.

QUod aſcéndit, quid eſt, niſi quia & deſcéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcéndit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. *In die Aſcenſionis.* Allelúia. * Aſcéndens Chriſtus in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Allel. ℣. Qui redémpti ſunt à Dómino, vénient in Sion laudántes, & lætítia ſempitérna ſuper cápita eórum. * Aſcéndens. Glória. (*reſum.*) Allelúia. Aſcéndens. *Et dicitur uſque ad* ℣. *Eph.* 4. 8. *Iſ.* 51. 11.

℣ Currus Dei decem míllibus múltiplex, ℟. Míllia lætántium, allel. *Pſal.* 67. 18.

Per Octavam.

℟. *br.* Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem, * Allelúia, allel. Aſcendíſti. ℣. Accepíſti dona in homínibus. * Allel. Glória. Aſcendíſti. *Pſal.* 67. 19.

℣. Currus Dei. *ut ſuprà.*

AD II. VESPERAS.

Chriſtum habemus advocatum apud Deum.

Ant. t. 3. *E. Ad* quem Angelórum dixit Deus aliquándo; ſede à dextris meis, quoadúſque ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum? allel. *Hebr.* 1. 13.

Pſal. 109. Dixit Dóminus Dómino meo, *pag.* 22.

Ant. t. 4. *E.* per Próprium ſánguinem introívit ſemel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ, allel. *Hebr.* 9. 12.

Pſal. 110. Confitébor tibi, Dómine, in toto, *pag.* 22.

Ant. t. 5. *F.* Non in manufácta Sancta Jeſus introívit; ſed in ipſum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis; allel. *Hebr.* 9. 24.

Pſal. 112. Laudáte, púeri, Dóminum. *pag.* 23.

Ant. t. 6. *F.* Unam pro peccátis ófferens hóſtiam, in ſempitérnum ſedet in déxtera Dei, allel. *Hebr.* 10. 12.

Pſal. 121. Lætâtus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, *pag.* 100.

Ant. t. 2. *d.* Salváre in perpétuum poteſt accedéntes per ſemetípſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellándum pro nobis, allel. *Hebr.* 7. 25.

Pſal. 137. Confitébor... quóniam audíſti, *pag.* 48.

Capitulum. Hebr. 4. 14. 16.

HAbéntes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei, adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut miſericórdiam conſequámur.

HYMNUS.

MEns, Deo laudes cane; redde lætas
Mens, Deo grates: tibi non in ævum
Sævit offénſæ memor, aut perénnes
Ardet in iras.
Ocyor venti celeránte pennâ,

En ſuos Chriſtus jaculátus ignes,
Mœnibus ruptis, ſubit, & ſupérnas
Tránſvolat arces.

Certa ſpes mundo rédeat jacénti:
Clauſa tot ſæclis patet aula cœli:
Vera per fuſum Mediátor intrat
Sancta cruórem.

Deo ſiſtit: Pater, ecce Natus
In tuo victor grémio repónit
Plúrimo partas, & adhuc rubéntes
Sánguine lauros.

Ergo, quò noſtrum Caput anteívit
Crede, nos ipsâ dábitur manére
Sede; mens ſacro, modò jungat una
Fœdere membra.

Cùm domos ſcandis pátrias paráre,
Quæ mihi vano ſápiant in orbe!
Chriſte, tu totos ábiens tulíſti
Cordis amóres.

Summa laus Patri, Genitóque ſumma,
Qui ſuper cœli radiántis orbes
Victor aſcéndit: tibi par in ævum
Glória, Flamen. Amen.

℣. Dóminus in templo ſancto ſuo, ℟. Dóminus in cœlo ſedes ejus, allel. *Pſal.* 10. 5.

Ad Magníficat *Ant. t.* 7. *in* Chriſtus Jeſus mórtuus eſt; & reſurréxit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiam intérpéllat pro nobis, allel. *Rom.* 8. 34.

Oratio ut in Laudibus.

Completorium ut heri.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
Semidupl.

De Duplici occurrente tantùm fit Officium cum Comm. Octavæ: Commem. de Simplici.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Pontíficem magnum qui penetrávit cœlos, Jeſum, * Veníte, adorémus, allel. *Hebr.* 4. 14.

Pſalmi in qualibet Feria aſſignati.

Ant. ſola t. 1. *irr.* Advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, allelúia. 1. *Joan.* 2. 1.

℣. A ſummo cœlo egréſſio ejus, * Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus, allel. *Pſal.* 18. 7.

Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut infrà in qualibet Feria.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot. ut in die Aſcenſ. Pſalmi de Feria. Ant. prima de Laudibus: reliqua ut in die.*

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſſâ, & reliqua notantur in die Aſcenſ. præter Pſalmos qui ſumentur ex Feria.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria ſub Antiphona ſola ſequent.

Ant.

Ant. t. 5. a. Chriſtus initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id eſt, carnem ſuam, allelúia. *Hebr.* 10. 20.

Reliqua ut in Feſto ad 2. Veſperas.

FERIA SEXTA INFRA ASCENSIONEM Domini.

Pſalmi ex 2. Noct. Feriæ.

De Epíſtola prima beáti Petri Apoſtoli.

Lectio j. Cap. 3. v. 15. ad finem.

DOminum Chriſtū ſanctificáte in córdibus veſtris, paráti ſemper ad ſatisfactionem omni poſcénti vos ratiónem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. Sed cum modéſtia, & timóre, conſciéntiam habéntes bonam: ut in eo, quòd détrahunt vobis, confundántur, qui calumniántur veſtram bonam in Chriſto converſatiónem. Mélius eſt enim benefaciéntes (ſi volúntas Dei velit) pati, quàm malefaciéntes. Quia & Chriſtus ſemel pro peccátis noſtris mórtuus eſt, juſtus pro injúſtis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem ſpíritu. In quo & his, qui in cárcere erant, ſpíritibus véniens prædicávit: qui incréduli fúerant aliquando, quando expectábant Dei patientiam in diébus Noë, cùm fabricarétur arca: in qua pauci, id eſt, octo ánimæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſímilis formæ ſalvos facit baptíſma: non carnis depoſitio sórdiū, ſed conſciéntiæ bonæ interrogátio in Deum per reſurrectiónem Jeſu Chriſti, qui eſt in déxtera Dei, deglútiens mortem ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur: profectus in cœlum, ſubjectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtútibus.

℟. Quis aſcéndit in cœlum, atque deſcéndit? quis ſuſcitávit omnes términos terræ? * Quod nomen eſt ejus, ſi noſti? allel. ℣. Qui deſcéndit, ipſe eſt, & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impleret ómnia. * Quod nomen. *Prov.* 30. 4. *Eph.* 4. 10.

Lectio ij. Cap. 4. v. 12. ad finem.

CHaríſſimi, nolíte peregrinári in fervore, qui ad tentatiónem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contíngat: ſed communicántes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. Si exprobrámini in nómine Chriſti beáti éritis: quóniam quod eſt honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus, ſuper vos requiéſcit. Nemo autem veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Chriſtianus, non erubéſcat: gloríficet autem Deum in iſto nómine. Quóniam tempus eſt ut incipiat

judícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et ſi juſtus vix ſalvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi, qui patiúntur secúndùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commméndent ánimas ſuas in benefáctis.

℟. Deus exaltávit illum, ut omnis lingua confiteátur, * Quia Dóminus Jeſus in glória eſt Dei Patris, allelúia. ℣. Cantent quóniam magna eſt glória Dómini, quóniam excélſus Dóminus. * Quia. *Philip.* 2. 9. 11. *Pſal.* 137. 5. 6.

Sermo ſancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Lectio iij. Epiſt. 1. *ad Corinth. Cap.* 36.

INvénimus Jeſum Chriſtum Pontíficem oblatiónum noſtrárum, infirmitátis noſtræ patrónum & auxiliatórem. Per hunc in cœlórum altitúdines óculos defigámus; per hunc immaculatum & ſuprémum illíus vultum ſpeculábimur: per hunc óculi cordis noſtri apérti ſunt: per hunc insípiens & obſcuráta mens noſtra in admirabilem ejus lucem repúllulat: per hunc vóluit Dóminus, ut immortálem cognitiónem guſtarémus: qui cùm ſit ſplendor majeſtátis ejus, tantò major eſt Angelis, quantò excelléntius nomen ſortítus eſt. Ita quippe ſcriptum eſt: Qui facit Angelos ſuos, ſpíritus, & miníſtros ſuos, flammam ignis. De Fílio autem ſuo ſic dixit Dóminus: Fílius meus es tu: ego hódie génui te. Et íterum dicit ad eum: Sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum. Quinam ſunt inimíci ejus? Qui pravi ſunt, quique divínæ voluntáti ſuam voluntátem oppónunt.

℟. Unam pro peccátis offerens hóſtiam, * In ſempitérnum ſedet in déxtera Dei; de cætero expéctans, donec ponántur inimíci ejus ſcabéllum pedum ejus. † Allelúia. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis: donec ponam inimícos tuos, ſcabéllum pedum tuórum. * In ſempitérnum. Gloria. † Allelúia. *Hebr.* 10. 12. 13. *Pſal.* 109. 1.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 94.

NOn confúndant ópera tua ſermónem tuum; ne cùm in Eccléſia lóqueris, tácitùs quílibet reſpóndeat; Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicátus magíſter eſt, qui pleno ventre de jejúnio diſputat: accuſáre avarítiæ & latro poteſt. Sacerdótis Chriſti os, mens, manúſque concórdent.

SABBATO

INTRA OCTAVAM

Aſcenſiónis Dómini.

Semidupl.

Pſalmi ex 2. Noct. Sabb.

De Epiſtola prima beati Petri Apoſtoli.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 8.

SEnióres ergo, qui in vobis ſunt, óbſecro, conſénior & teſtis Chriſti paſſiónum : qui & ejus, quæ in futúro revelanda eſt, glóriæ communicator : paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providéntes non coáctè, ſed ſpontáneè ſecúndùm Deum: neque turpis lucri grátiâ, ſed voluntariè: neque ut dominántes in cleris, ſed forma facti gregis ex ánimo : & cùm apparúerit princeps paſtórum, percipiétis immarceſsíbilem gloriæ corónam. Similiter, adoleſcéntes, súbditi eſtóte ſeniórıbus. Omnes autem ínvicem humilitátem inſinuate, quia Deus ſupérbis reſíſtit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur ſub poténti manu Dei, ut vos exaltet in témpore viſitatiónis: omnem ſollicitúdinem veſtram projiciéntes in eum, quóniam ipſi cura eſt de vobis.

℟. Aſcénſor cœli, auxiliátor tuus; habitáculum ejus ſurſum : ejíciet à fácie tua inimícum. * Beátus es tu, Iſrael, qui ſalváris in Dómino, allel. ℣. Purgatiónem peccatórum fáciens Jeſus, ſedet ad déxteram majeſtátis in excélſis. * Beátus es. *Deuteronom. 33. 26. 27. 29. Hebr. 1. 3.*

Lectio ij. v. 8. ad finem.

SObrii eſtóte, & vigiláte: quia adverſárius veſter diabolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret : cui reſíſtite fortes in fide; ſciéntes eámdem paſſiónem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, módicùm paſſos ipſe perfíciet, confirmábit, ſolidabítque. Ipſi glória, & impérium in ſæcula ſæculorum. Amen. Per Silvánum fidélem fratrem vobis, ut árbitror, bréviter ſcripſi : óbſecrans & contéſtans, hanc eſſe veram grátiam Dei, in qua ſtatis. Salútat vos Eccléſia, quæ eſt in Babylóne coëlécta, & Marcus fílius meus. Salutáte ínvicem in ósculo ſancto. Grátia vobis ómnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.

℟. Fácies corónas, & pones in cápite Jeſu : * Ipſe portábit glóriam, & ſedébit, & dominabitur ſuper ſólio ſuo, allel. ℣. Cùm ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtántiæ Dei, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ. * Ipſe portábit. *Zach. 6. 11. 13. Hebr. 1. 3.*

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iij. Serm. 1. de Aſcenſione Dom.

PEr omne tempus, dilectíſſimi, quod inter Reſurrectiónem, & Aſcenſió-

nem Dómini exáctum eſt, hoc providéntia Dei curávit.. ut Dóminus Jeſus verè agnoſcerétur reſuſcitátus. Unde beatíſſimi Apóſtoli, omnéſque diſcípuli, qui & de éxitu crucis fúerant trépidi, & de fide Reſurrectiónis ambígui, ita ſunt veritáte perſpícuâ roboráti, ut Dómino in cœlórum eúnte ſublímia, non ſolùm nullâ afficeréntur triſtítiâ, ſed étiam magno gáudio repleréntur. Et revéra magna & ineffábilis erat cauſa gaudéndi, cùm in conſpéctu ſanctæ multitúdinis ſuper ómnium creaturárum cœléſtium dignitátem humáni géneris natúra conſcénderet, nec ullis ſublimitátibus modum ſuæ provectiónis habitúra, illíus glóriæ ſociarétur in throno, cujus natúræ copulabátur in Fílio. Quia ígitur, Chriſti Aſcénſio noſtra provéctio eſt, & quò præcéſſit glória cápitis, eò ſpes vocátur & córporis: dignis, dilectíſſimi, exultémus gáudiis, & piâ gratiárum actióne lætémur. Hódie enim non ſolùm paradíſi poſſeſsóres firmáti ſumus; ſed étiam cœlórum in Chriſto ſupérna penetrávimus, amplióra adépti per ineffábilem Chriſti grátiam, quam per diáboli amiſerámus invídiâ.

℟. Deus Pater glóriæ, conſtítuens Chriſtum ad déxteram ſuam in cœléſtibus ſupra omnem principátum, * Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccléſiam. ✝ Allelúia. ℣. Fílii hóminum, úſquequò gravi corde? Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum ſuum. * Ipſum. Glória. ✝ Allelúia. *Eph.* 1. 17. 20. 21. 22. *Pſal.* 4. 3. 4.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 24.

DOctor qui loci ſui neceſſitáte exígitur ſumma dícere, hâc eâdem neceſſitáte exígitur ſumma monſtráre. Illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat: quia quod loquéndo ímperat, oſtendéndo juvat ut fiat.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato ſub Antiph. ſola ſequente

Ant. 1. *irr.* Per Chriſtum máxima & pretióſa nobis promíſſa donávit Deus; ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ, allel. 2. *Petr.* 1. 4.

Capitulum. 2. *Petr.* 1. 10. 11.

FRatres, ſatágite ut per bona ópera certam veſtram vocatiónem & electiónem faciátis. Sic enim abundánter miniſtrábitur vobis introïtus in ætérnum regnum Dómini noſtri.

Hymnus, Excélſa, *ut in* 1. *Veſp. Aſcenſ.*

℣. Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam: ℟. Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur, allel. *Pſ.* 102. 19.

Ad Magnif. *Ant.* 1. D.

Ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus, allel. *Apoc. 3. 2.*

Oratio ut infrà in Laudibus. Non alia fit Comm. de Octava.

DOMINICA INTRA OCTAVAM Aſcenſiónis.

AD NOCTURNUM.

Invitat. Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jeſum, * Veníte, adorémus, allel. *Hebr. 4. 14.*

Tres Pſalmi ex 3. Noct. Dominicæ.

Ant. t. 1. a. Fílius qui rectúrus erat omnes gentes, raptus eſt ad Deum, & ad thronũ ejus, all. *Apoc. 12. 5.*

Ant. t. 3. a. Sedes póſita erat in cœlo; & ſupra ſedem ſedens, allelúia. *Apoc. 4. 2.*

Ant. t. 4. E. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & potéſtas Chriſti ejus, allelúia. *Apoc. 12. 10.*

℣. Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi; ℟. Virga directiónis virga regni tui, allel. *Pſal. 44. 7.*

Incipit Epíſtola ſecúnda beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 10.

SImon Petrus, ſervus & Apóſtolus Jeſu Chriſti, iis qui coæquálem nobíſcum ſortíti ſunt fidem, in juſtítia Dei noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti. Grátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Chriſti Jeſu Dómini noſtri: quómodo ómnia nobis divínæ virtútis ſuæ, quæ ad vitam & pietátem donáta ſunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretióſa nobis promíſſa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ: fugiéntes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcéntiæ corruptiónem. Vos autem curam omnem ſubinferéntes, miniſtráte in fide veſtra virtútem, in virtúte autem ſciéntiam, in ſciéntia autem abſtinéntiam, in abſtinéntia autem patiéntiam, in patiéntia autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis charitátem. Hæc enim ſi vobíſcum adſint, & ſúperent; non vácuos, nec ſine fructu vos conſtítuent in Dómini noſtri Jeſu Chriſti cognitióne. Cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, obliviónem accípiens purgatiónis véterum ſuórum delictórum.

℟. Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter; confeſſiónem & decórem induíſti, * Amíctus lúmine ſicut veſtiménto, allelúia. ℣. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens; quia accepíſti virtútem tuam magnam, & regnáſti. * Amíctus. *Pſal. 103. 1. 2. Apoc. 11. 17.*

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio ij. Serm. de Aſc. Dom.

CHriſtus aſcéndens in cœlum, noſtræ natúræ

primítias óbtulit Patri ; & oblátum donum mirátus eſt Pater, quod & tanta dígnitas offerébat, & quod offerebatur, nullâ máculâ fœdebátur. Nam & ſuis mánibus ſuſcepit oblátum, & ſuæ ſedis fecit eſſe partícipem ; & quod plus eſt, ad partem ſuæ dexteræ collocávit. Cognoſcámus quis eſt ille qui audívit : Sede ad déxteram meam : quæ natúra eſt, cui Deus dixit : Eſto meæ párticeps ſedis ? Illa natúra eſt, quæ audívit : Terra es, & in terram ibis. Non enim ad omnem glóriam cœlos tranſiiſſe ſufficeret, non cum Angelis ſtare ; ſed cœlos tranſívit, ſupra Chérubim aſcéndit, ultra Séraphim elevátur, nec antè ſtetit, niſi ſedem Domínicam meruíſſet.

℟. Ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ipſo conſtant : & * Ipſe eſt Caput córporis Eccléſiæ, primogénitus ex mórtuis : ut ſit in ómnibus ipſe primátum tenens, allelúia. ℣. Quis ſicut Dóminus Deus noſter qui in altis hábitat, & humília réſpicit in cœlo & in terra ? * Ipſe eſt. *Coloſſ.* 1. 17. 18. *Pſal.* 112. 5. 6.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 15. 26.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Cùm vénerit Paraclétus quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille teſtimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homilía ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tractatu. 92. *in Joan.*

DOminus dicébat, Odio habuérunt me grátis ; cùm autem vénerit Paraclétus, ille teſtimónium perhibébit de me ; tamquam díceret ; Odio me habuérunt, & occidérunt vidéntes ; ſed tale de me Paraclétus teſtimónium perhibébit, ut eos fáciat in me crédere non vidéntes. Et vos, inquit, teſtimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum eſtis. Perhibébit Spíritus ſanctus, perhibébitis & vos. Quia enim ab inítio mecum eſtis, potéſtis prædicáre quod noſtis : quod ut modò non faciátis, illíus Spíritûs plenitúdo nondum adeſt vobis. Ille ergo teſtimónium perhibébit de me, & vos perhibébitis ; dabit enim vobis fidúciam teſtimonium perhibéndi cháritas Dei diffúſa in córdibus veſtris per Spíritum ſanctum qui dábitur vobis.

℟. Confiteántur tibi, Dómine, & cantent * Quóniam magna eſt glória Dómini ; quóniã excélſus Dóminus. † Allel. ℣. Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. * Quóniam. Glória. † Allel. *Pſal.* 137. 4. 5. 6. *Apoc.* 7. 10.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

Quinque Antiph. ut in die Aſcenſionis.

Capitulum. Eph. 1. 22. 23.

OMnia ſubjécit Deus ſub pédibus ejus; & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccléſiam, quæ eſt corpus ipsíus & plenitúdo ejus qui ómnia in ómnibus adimplétur.

℣. Excélsus ſuper omnes gentes Dóminus, ℟. Et ſuper cœlos glória ejus, allel. *Pſal.* 112. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *C.* Paraclétus quem ego mittam à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille teſtimónium perhibébit de me, allel. *Joan.* 15. 26.

Oratio.

DA, quæſumus, omnípotens Deus, illuc súbſequi tuórum membra fidéliũ, quò Caput noſtrum, principiúmque præcéſſit, Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, Qui tecum vivit, &c.

Nec fit commemoratio de Aſcenſione.

Ad Horas br. omnia ut in Feſto.

CANON

Ex Cõcílio Toletáno quarto.

An. 633. *Cap.* 25.

IGnorántia mater cunctórum errórum máximè in Sacerdótibus Dei vitánda eſt, qui docéndi offícium in pópulis ſuſcepérunt.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica ſub Antiphonis de 2. Veſperis Aſcenſionis.

Capitulum. Eph. 2. 6. 7.

DEus nos conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu, ut oſténderet in ſæculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ, in bonitáte ſuper nos in Chriſto Jeſu.

Hymnus. Mens Deo, &c. *ut in 2. Veſp. Aſcens.*

Ad Magnificat. *Ant. t.* 1. *d.* Hæc locútus ſum vobis; ut cùm vénerit hora, eórum reminiſcámini, quia ego dixi vobis, allel. *Joan.* 16. 4.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SECUNDA INTRA OCTAV. ASCENSIONIS Domini.

Pſalmi ex 3. Noct. Feriæ.

De Epíſtola ſecũnda beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 16. *ad finem.*

NOn doctas fábulas ſécuti, notam fécimus vobis Dómini noſtri Jeſu Chriſti virtútem & præséntiam: ſed ſpeculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiẽs enim à Deo Patre honórem & glóriam, voce delápsâ ad eum hujuſcémodi à magnífica glória: Hic eſt Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui, ipſum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm eſsémus cum ipſo in monte ſáncto. Et habémus firmiórem prophéticum ſermónem: cui benefácitis attendéntes, quaſi lucérnæ lucénti in caliginóſo loco, donec dies elucéſcat, & lú-

ciſer oriátur in córdibus veſtris; hoc primùm intelligéntes, quòd omnis prophetia Scriptúræ própriâ interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humánâ allâta eſt aliquando prophetía: ſed Spíritu ſancto inſpiráti, locúti ſunt ſancti Dei hómines.

℟. Dómine Deus, *ut in Dom. pag.* 437.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 10.

FUérunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magíſtri mendáces, qui introdúcant ſectas perditiónis, & eum qui emit eos, Dóminū negant, ſuperducéntes ſibi célerem perditiónem. Et multi ſequéntur eórum luxúrias, per quos via veritátis blasphemábitur: & in avarítia fictis verbis de vobis negotiabúntur: quibus judícium jam olim non ceſſat; & perdítio eórum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepércit, ſed rudéntibus inferni detráctos in tártarum trádidit cruciándos, in judícium reſervári. Et origináli mundo non pepércit, ſed octávum Noë juſtítiæ præcónem cuſtodívit, dilúvium mundo impiórum indúcens. Et civitátes Sodomórum & Gomorrhæórum in cínerem rédigens, everſióne damnávit: exémplum eórum, qui impiè actúri ſunt, ponens: & juſtum Lot oppréſſum à nefandórum injúria ac luxurióſa converſatióne erípuit: aſpéctu enim, & audítu juſtus erat: hábitans apud eos qui de die in diem ánimam juſtam iníquis opéribus cruciábant. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere: iníquos verò in diem judícii reſerváre cruciándos.

℟. Ipſe eſt, *pag.* 438.

Sermo ſancti Auguſtini Epíſcopi.

Serm. 261. *de Aſcenſ. Dom.*

Lectio iij.

REſurréctio Dñi ſpes noſtra eſt: & Aſcénſio Dómini glorificatio noſtra. Aſcenſiónis enim ſolémnia celebrámus. Si ergo rectè, ſi fidéliter, ſi devótè, ſi ſanctè, ſi piè Aſcenſiónem Dómini celebrámus, aſcendámus cum illo, & ſurſum cor habeámus. Aſcendéntes autem non extollámur, nec de noſtris quaſi de própriis méritis præſumámus. Surſum enim cor habére debémus, ſed ad Dóminum: ſurſum enim cor non ad Dóminum, ſupérbia vocátur: ſurſum autem cor ad Dóminum, refúgium vocátur. Illi enim dícimus, qui aſcéndit: Dómine, refúgium factus es nobis. Reſurréxit enim, ut ſpem nobis daret, quia reſúrgit quod móritur: ne moriéndo deſperarémus, & totam vitam noſtram morte finítam putarémus. Sollíciti enim erámus de ipſa ánima; & ille nobis reſurgéndo,

& de carne ſecuritátem dedit.

℟. Confiteántur, *pag.* 438.

C A N O N

Ex Concílio Aquiſgranénſi, *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 16.

SIcut iníqui & peccatóres miniſtérium Sacerdotále áſſequi prohibéntur; ita indócti & imperíti à tali offício retrahúntur: illi enim exémplis ſuis vitam bonórum corrúmpunt; iſti ſuâ ignáviâ iníquos corrígere néſciunt.

FERIA TERTIA,

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola ſecúnda beáti Petri Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 10.

HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecúndam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram éxcito in commonitióne ſincéram mentem; ut mémores ſitis eórum, quæ prædixi, verbórum à ſanctis Prophétis, & Apoſtolórum veſtrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris. Hoc primùm ſciéntes, quòd vénient in noviſſimis diébus in deceptióne illusóres, juxta próprias concupiſcéntias ambulantes, dicéntes: Ubi eſt promíſſio, aut advéntus ejus? ex quo enim patres dormiérunt, ómnia ſic perſevérant ab inítio creatúræ. Latet enim eos hoc voléntes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aqua & per aquam conſíſtens Dei verbo: per quæ, ille tunc mundus aquâ inundatus périit. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, eódem verbo repóſiti ſunt, igni reſervátí in diem judícii, & perditiónis impiórum hóminum. Unum verò hoc non láteat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dóminum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. Non tardat Dóminus promiſſiónem ſuam, ſicut quidam exíſtimant: ſed patiénter agit propter vos, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti.

℟. Quis aſcéndit, *ex Feria* 6. *pag.* 433.

Lectio ij. v. 14. *ad finem.*

PRopter quod, chariſſimi, hæc expectántes, ſatágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace. Et Dómini noſtri longanimitátem, ſalútem arbitrémini: ſicut & charíſſimus frater noſter Paulus ſecúndùm datam ſibi ſapiéntiâ ſcripſit vobis, ſicut & in ómnibus epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficília intelléctu, quæ indócti & inſtábiles deprávāt, ſicut & cæteras Scriptúras, ad ſuam ipsórum perditiónem. Vos igitur, fratres, præſciéntes cuſtodíte; ne inſipiéntium erróre tradúcti excidatis à própria firmitáte. Créſcite verò in grátia, & in cognitióne Dómini noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti. Ipſi glória & nunc, & in diem æternitátis. Amen.

℟. Deus exaltávit, *pag.* 434.

Sermo ſancti Bernardi Abbátis.

Lectio iij. Serm. 3. in Aſcenſ. Domini.

COelórum Dóminus, cœlórum alta cœléſti poténtiâ penetrávit, & infírma carnis tamquam núbila quædam excútiens, índuit ſtolam glóriæ. Elevátus eſt ſol in ortu ſuo, incáluit, & inváluit: dilatavit, & multiplicávit rádios ſuper terram, nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus. Rédiit ad regiónem ſapiéntiæ Sapiéntia Dei, ubi omnes bonum & intélligunt & requírunt, intelléctu perſpicaciſſimi, affféctu paratíſſimi ad audiéndam vocem ſermónum ejus. Nos autem in regióne iſta ſumus, ubi plúrimùm eſt malítiæ, ſapiéntiæ parum: quia corpus quod corrúmpitur ággravat ánimam, & déprimit terréna habitátio ſenſum multa cogitántem. Per ſenſum, hîc ego árbitror intelléctum deſignári, qui tunc verè déprimitur, cùm multa cógitat, cùm non cólligit ſe circa illam unam & únicam meditatiónem quæ concípitur de civitáte illa, cujus participátio ejus in idípſum. Animam verò hîc æſtimo dici affectiónes quæ corrúpto córpore divérſis paſſiónibus affiiciúntur, quæ mitigári numquam poſſunt, ne dicam, ſanári, donec volúntas unum quærat, & tendat ad unum.

℟. Unam. *pag.* 434.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 20.

TAm doctrínâ quàm vitâ clarére debet Eccleſiáſticus Doctor. Nam doctrína ſine vita arrogántem reddit: vita ſine doctrína inútilem facit.

FERIA QUARTA.

Pſ. ex 3. *Noct. Feriæ.*

Incipit Epiſtola prima beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

QUod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis noſtris, quod perſpéximus, & manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ: & vita manifeſtáta eſt, & vídimus, & teſtámur, & annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis: quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum, & ſócietas noſtra ſit cum Patre, & cum Fílio ejus Jeſu Chriſto. Et hæc ſcríbimus vobis ut gaudeátis & gaudium veſtrum ſit plenũ. Et hæc eſt annuntiátio, quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniã Deus lux eſt, & ténebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixérimus quóniã ſocietátẽ habémus cũ eo, & in ténebris ambulamus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietátem habémus

[illegible]m, & ſanguis Jeſu C[illegible] Filii ejus, emúndat no[illegible]ni peccáto. Si dixéri[illegible]uóniam peccátum no[illegible]mus ; ipſi nos ſedúc[illegible]& véritas in nobis non[illegible]

℟. [illegible]nſor cœli, *ut in Sabb*[illegible]. 435.

Lecti[illegible]*ap.* 2. *v.* 1. *ad* 7.

FI[illegible]ei, hæc ſcribo v[illegible]ut non peccétis. Sed &[illegible]is peccáverit, advoc[illegible]émus apud Patrem, [illegible] Chriſtum juſtum : [illegible] eſt propitiatio pro pec[illegible]ſtris ; non pro noſtris [illegible]ntũ, ſed étiã pro tot[illegible]ndi. Et in hoc ſcimus [illegible] cognóvimus eum, ſ[illegible]áta ejus obſervému[illegible]dicit ſe noſſe eum, &[illegible]áta ejus non cuſtódit, [illegible]x eſt, & in hoc vérit[illegible] eſt. Qui autem ſerva[illegible]m ejus, verè in hoc[illegible]as Dei perfécta eſt : [illegible] hoc ſcimus quóniam i[illegible]ſumus. Qui dicit ſe in [illegible]manére, debet ſicut [illegible]mbulávit, & ipſe am[illegible]

℟. Fáci[illegible]*g.* 435.

Sermo ſanc[illegible]ſtini Epiſ-[illegible]

Lectio iij[illegible]263. *de Aſcenſ. Dom.* [illegible] 874. *de Temp.*

GLorificát[illegible]ñi noſtri Jeſu Chri[illegible]ſurgéndo & aſcendéndo [illegible]pléta eſt. Feſtus nobis di[illegible]érque : ideò enim reſurré[illegible]ut nobis exémplum reſurrectiónis oſténderet : & ideò aſcéndit, ut nos déſuper protégeret. Habémus ergo Dóminum & Salvatórem noſtrum Jeſum Chriſtum priùs pendéntem in ligno, nunc ſedéntem in cœlo. Prétium noſtrum dedit, cùm pendéret in ligno : cólligit quod emit, cùm ſedet in cœlo ; cùm enim omnes collégerit, quos útique per témpora cólliget, in fine témporis véniet ; & quómodo ſcriptum eſt ; Deus maniféſtè véniet : non quemádmodum prímitùs venit occúltus, ſed, ſicut dictum eſt, maniféſtus. Occúltum enim oportébat eum veníre, ut judicarétur : maniféſtus autem véniet, ut júdicet.

℟. Deus Pater, *pag.* 436.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi ſexto.

An. 829. *Cap.* 12.

COnsídera Sacerdótum eſſe offícii, de lege interrogátos reſpondére ; ſi Sacerdos eſt, ſciat legem Dómini : ſi ignórat legem, ipſe ſe árguit non eſſe Dómini Sacerdótem.

FERIA QUINTA. IN OCTAVA ASCENSIONIS Dómini.

AD I. VESPERAS.

Chriſtus qui aſſumptus eſt, conſtituitur judex venturus in fine ſæculi.

Pſalmi de Feria.

Antiphona ſola. t. 5. a. Factum eſt regnum hujus

mundi, Dómini noſtri & Chriſti ejus, & regnábit in ſæcula ſæculórum, allelúia. *Apoc.* 11. 15.

Capitulum. Hebr. 9. 28.

CHriſtus ſemel oblátus eſt ad multórum exhauriénda peccáta: ſecúndò ſine peccato apparébit expectántibus ſe, in ſalútem.

℟. Pater omne judícium dedit Filio, * Ut omnes honoríficent Fílium, ſicut honoríficant Patrem. † Allel. ℣. Fílius hóminis uſque ad antíquum diérum pervénit: & dedit ei poteſtátem. * Ut omnes. Gloria. † Allel. *Joan.* 5. 22. 23. *Dan.* 7. 13. 14.

Hymnus. Excélſa, cœli, pándite Príncipes, *ut in primis Veſperis Feſti.*

℣. Deus manifèſtè véniet: ℟. Deus noſter, & non ſilébit, allel. *Pſal.* 49. 3.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Ecce cum núbibus cœli quaſi Fílius hóminis veniébat, allel. *Dan.* 7. 13.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCT.

Cum majeſtate & poteſtate veniet judicaturus in juſtitia.

Invit. Jeſum júdicem vivórum & mortuórum; * Veníte, adorémus, allel. *Act.* 10. 42.

Pſalmi ex 3. *Noct. Feriæ* 5.

Ant. t. 4. *E.* Jeſus qui aſſúmptus eſt in cœlum, ſic véniet, quemádmodum vidíſtis eum eúntem in cœlum, allel. *Act.* 1. 11.

Ant. t. 7. *c.* Ventúrus eſt in glória Patris ſui cum Angelis ſuis, allel. *Mat.* 16. 27.

Ant. t. 8. *g.* Sedébit ſuper ſedem majeſtátis ſuæ: & congregabúntur ante eum omnes gentes, allel. *Matth.* 25. 31. 32.

℣. Cùm exárſerit in brevi ira ejus, ℟. Beáti omnes qui confídunt in eo, allelúia. *Pſal.* 2. 13.

De Epíſtola prima beáti Joannis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 22. *ad fin.*

QUis eſt mendax, niſi is qui negat quóniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichríſtus, qui negat Patrem & Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet: qui confitétur Fílium, & Patrem habet. Vos quod audíſtis ab inítio, in vobis permáneat: Si in vobis permánſerit quod audíſtis ab inítio, & vos in Fílio & Patre manébitis. Et hæc eſt repromíſſio, quam ipſe pollícitus eſt nobis, vitam ætérnam. Hæc ſcripſi vobis de his qui ſedúcunt vos. Et vos unctiónem quam accepíſtis ab eo, máneat in vobis. Et non necéſſe habétis ut áliquis dóceat vos: ſed ſicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum eſt, & non eſt mendácium. Et ſicut dócuit vos: manéte in eo. Et nunc, filíoli, manéte in eo: ut cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur ab eo in advéntu ejus. Si ſcitis quóniam juſ-

tus eſt, ſcitóte quóniam & omnis qui facit juſtítiam, ex ipſo natus eſt.

℞. Parávit in judício thronum ſuum: * Et ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in juſtítia, allelúia. ℣. Ipſe eſt qui conſtitútus eſt à Deo judex vivórum & mortuórum. * Et ipſe. *Pſal.* 9. 8. 9. *Act.* 10. 42.

De Apológia ſancti Juſtíni Mártyris.

Lectio ij. Apolog. 1. ad Anton. Senatumque Rom. An. 150.

CHriſtum in cœlum étiam reversúrum eſſe, quemádmodum prædíctum erat, ex his cognoſcite, Tollite portas cœlorum, aperíte, ut Rex glóriæ introeat: Quis eſt hic Rex glóriæ? Dóminus fortis & potens. Eúmdem étiam cum glória ex cœlis ventúrum eſſe cognóſcite ex his quæ à Jeremía Prophéta ad hoc ipſum dicta ſunt: Ecce ut Fílius hóminis ex cœli núbibus venit, & cum eo ſui Angeli. Quóniam ígitur ea quæ jam facta ſunt ómnia, fore, prædíctum eſſe à Prophétis docémus, ea étiam quæ ſimíliter prædícta ſunt à Prophétis, & futúra ſunt, ut omníno futúra neceſſàriò crédere debémus. Duos enim ejus advéntus Prophétæ prædixérunt: unũ qui jam evénit quaſi inglórii, patibilíſque hóminis: álterum cùm ex cœlis in majeſtate, unà cum ſuo Angelórum exércitu, ut prædíctũ eſt, véniet, cùm étiã hóminũ córpora excitábit: tumque bonórũ córpora immortalitáte donábit: improbórum verò in ætérno ſenſu cum malis géniis in ignem ætérnum conjíciet.

℞. Congregáte illi ſanctos ejus, qui órdinant teſtaméntum ejus. * Et annuntiábunt cœli juſtítiam ejus; quóniam Deus judex eſt, allelúia. ℣. Vidébitis Fílium hóminis ſedéntem à dextris virtútis Dei, & veniéntem in núbibus cœli. * Et annuntiábunt. *Pſal.* 49. 5. 6. *Matth.* 26. 64.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 24. 44.

IN illo témpore; Dixit Jeſus ad diſcípulos ſuos: Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobíſcum; quóniam neceſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophétis, & Pſalmis de me. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 29. *in Evang.*

OPórtet ut illuc ſequámur corde ubi Dóminum córpore aſcendíſſe crédimus. Deſidéria terréna fugiámus; nihil nos jam deléctet in ínfimis, qui Patrem habémus in cœlis. Et hoc nobis magnópere perpendéndũ, quia is qui plácidus aſcéndit, terríbilis redibit; &

quidquid nobis cum manſuetúdine præcipit, hoc à nobis cum diſtrictióne éxiget. Nemo ergò indúlta pœniténtiæ témpora parvipendat: nemo curam ſui, dum valet, ágere négligat. Quia Redémptor noſter tantò tunc in judícium diſtríctior véniet, quantò nobis ante judícium magnam patiéntiam prærogávit. Hæc ítaque vobíſcum, fratres, ágite: hæc in mente, sédulâ cogitatióne versáte. Quamvis adhuc rerum perturbatiónibus ánimus flúctuet, jam tamen ſpei veſtræ ánchoram in ætérnam pátriam fígite. Ecce ad cœlum aſcendiſſe Dóminum audívimus. Hoc ergo ſervémus in meditatióne, quod crédimus. Et ſi adhuc hìc tenémur infirmitáte córporis, ſequámur tamen eum páſſibus amóris.

℟. Noſtra conversátio in cœlis eſt, unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui * Reformábit corpus humilitátis noſtræ configurátum córpori claritátis ſuæ. † Allelúia. ℣. In fórtitúdine véniet, & bráchium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo. * Reformábit... Glória. † Allelúia. *Philip.* 3. 20. 21. *Iſ.* 40. 10. Te Deum.

AD LAUDES.

Cum ſuis regnabit in æternum.

℣. *Sacerdot.* Dóminus in templo ſancto ſuo, ℟. Dóminus in cœlo ſedes ejus, allelúia. *Pſ.* 10. 5.

Pſalmi de Feria. Canticum ut in die.

Ant. t. 1. *D.* Filius quirectúrus erat omnes gentes, raptus eſt ad Deum & ad thronum ejus, allelúia. *Apoc.* 12. 5.

Ant. t. 3. *a.* Poteſtátem dedit ei judícium fácere: quia Filius hóminis eſt, allel. *Joan.* 5. 27.

Ant. t. 5. *a.* Novos cœlos & novam terram ſecúndùm promíſſa ipsíus expectámus, in quibus juſtítia hábitat, allelúia. 2. *Petr.* 3. 13.

Ant. t. 6. *f.* Omnes vivificabúntur, qui ſunt Chriſti: deínde finis, cùm tradíderit regnum Deo & Patri, allel. 1. *Corinth.* 15. 22. 23. 24.

Ant. t. 7. *D.* Gentes vénient & adorábunt in conſpéctu tuo: quóniam judícia tua manifeſta ſunt, allel. *Apocal.* 15. 4.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 14. 15. 16.

Adventum Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſuis tempóribus oſténdet beátus & ſolus potens, Rex regum & Dóminus dominántium; qui ſolus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inacceſſíbilem.

℣. Exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini; ℟. Quóniam venit judicáre terram, allel. *Pſal.* 95. 12. 13.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *d.* Accepiſti, Dómine Deus,

virtútem tuam magnam, & regnáſti. Et advénit tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem ſervis tuis, & ſanctis, allel. *Apocal.* 11. 17. 18.

Oratio.

OMnipótens ſempitérne Deus, qui ad ætérnam vitam in Chriſti reſurrectióne nos reparáſti: érige nos ad confedéntem in déxtera tua noſtræ ſalútis auctórem; ut qui propter nos judicándus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat, Jeſus Chriſtus Filius tuus Dóminus noſter; Qui tecum, &c.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus. Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* Qui judicatúrus es orbem in æquitáte. *Act.* 17. 31. *CANON*

Ex Concílio Aquiſgranénſi ſecúndo.

An. 836. *Cap.* 2.

COnvenit ſacerdotáli miniſtério ſcire formam Evangélicã, documénta apoſtólica, Cánonum inſtitúta, normam régulæ paſtorális à ſanctíſſimo Pontífice Gregório éditæ; ne juxta eúmdem ſanctíſſimum virum, ab imperítis, quod abſit, paſtorále miniſtérium áliquâ temeritáte uſurpétur, aut viléſcat.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 25. 26.

OPórtet illum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pédibus ejus: noviſſima autem inimíca deſtruétur mors: Omnia enim ſubjécit ſub pédibus ejus.

℟. Ecce véniet cum núbibus, * Et vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. † Allel. ℣. Incurvábitur ſublímitas hóminis: & humiliábitur altitúdo virórum, & elevábitur Dóminus ſolus in die illa. * Et vidébit..... Gloria. † Allel. *Apoc.* 1. 7. *Iſ.* 2. 17

℣. Dícite in géntibus. ℟. Quia Dóminus regnávit. allel. *Pſal.* 95. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 4. 15.

IPſe Dóminus in juſſu & in voce Archángeli, & in tuba Dei deſcéndet de cœlo.

℟. *br.* Advocábit cœlum desúrſum & terram. * Allel. allel. Advocábit. ℣. Diſcérnere pópulum ſuum. * Allel. Glória. Advocábit. *Pſal.* 49. 4.

℣. Sedíſti ſuper thronum. ℟. Qui júdicas juſtítiam, allel. *Pſal.* 9. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 10.

OMnes nos manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquíſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

℟. Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * Allel. allel. Judicábit. ℣. Et in ſervis ſuis deprecábitur. * Allel. Glória. Judicábit. *Pſ.* 134. 14.

℣. Reddes unicuíque, Do-

mine, ℟. Juxta ópera ſua, allel. Pſ. 61. 13.

AD II. VESPERAS.

Antiph. de Laudibus: Pſalmi de Feria.

Capitulum. Hebr. 10. 12. 13.

CHriſtus in ſempitérnum ſedet in déxtera Dei: de cætero expéctans, donec ponántur inimíci ejus ſcabellum pedum ejus.

HYMNUS

Ex Santolio Victor.

Felix dies mortálibus,
Quâ per profúſum ſánguinem
Homo Deus, clauſas diu
Intrávit ætérnas domos!
At illa quæ! qualis dies!
Dies treménda sontibus,
Dum ſede deſcéndens ſuâ
Redíbit ultor críminum.
Damnátus inſons à reis
Partes reſúmet júdicis;
Ad cujus ora cóntremunt
Dijudicándi júdices.
Ut morte dignos sólveret
Morti volens ſe ſubdidit:
Cui mors Dei non pródcrit,
Vindícta qualis ímminet!
Quem noxa lethális premit
Prævértat iram Núminis:
Largiſque prudens débitos
Extinguat ignes flétibus.
Ventúre Judex ſæculi,
Jeſu, tibi ſit glória:
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

℣. Læténtur omnes qui ſperant in te: ℟. In ætérnum exultábunt, & habitábis in eis, allelúia. Pſ. 5. 12.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *D.* Corónam juſtítiæ reddet in illa die juſtus judex, iis qui díligunt advéntum ejus, allel. 2. *Tim.* 4. 8.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SEXTA.

poſt Octavam Aſcenſionis.

Hodie ſi occurrat Feſtum Duplex vel Semid. fiet Offic. de eo: de Simpl. fit tantùm Commem. & nihil legitur de eo ad Matutin.

AD OFFIC. NOCT.

Præparatio ad adventum Spiritûs ſancti, ad inſtar Apoſtolorum. Erant perſeverantes unanimiter in oratione. Act. 1. 14.

Invitat. Chriſtum qui mittet à Patre Spíritum veritátis, * Veníte, adorémus. *Joan.* 15. 26.

Pſalmi ex 3. Noct. Feriæ.

Ant. ſola t. 1. *irr.* Vos ſedéte in civitate, quoadúſque induámini virtúte ex alto, allel. *Luc.* 24. 49.

℣. Expéctans expectávi Dóminum; ℟. Et inténdit mihi, allel. *Pſ.* 39. 1.

De Epiſtola prima beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio 1. *Cap.* 3. *v.* 1. *ad* 9.

VIdéte quálem charitátē dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam

niam cùm apparúerit, ſímiles ei érimus: quóniam vidébimus eum ſícuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctíficat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Omnis qui facit peccátum, & iniquitátem facit: & peccátum eſt iníquitas. Et ſcitis quia ille appáruit ut peccáta noſtra tólleret: & peccátum in eo non eſt. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognóvit eum. Filíoli, nemo vos ſedúcat. Qui facit juſtítiam, juſtus eſt: ſicut & ille juſtus eſt. Qui facit peccátum, ex diábolo eſt: quoniam ab inítio diábolus peccat. In hoc appáruit Fílius Dei, ut diſſolvat ópera diáboli.

℟. Effundátur ſuper nos Spíritus de excélſo. * Et erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum, allel. ℣. Et nunc, Dómine, réſpice; manum tuam exténdas ad ſanitátes per nomen ſancti Fílii tui Jeſu. * Et erit. *Iſ.* 32. 15. 17. *Act.* 4. 29. 30.

Lectio. ij. v. 9. ad 17.

OMnis qui natus eſt ex Deo, peccátum non facit; quóniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccáre, quóniam ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non díligit fratrem ſuum: quóniam hæc eſt annuntiátio, quam audíſtis ab inítio, ut diligátis altérutrum. Non ſicut Cain qui ex malígno erat, & occídit fratrem ſuum. Et propter quid occídit eũ? Quóniam ópera ejus malígna erant: fratris autem ejus, juſta. Nolíte mirári, fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quóniam tranſláti ſumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem ſuum, homicída eſt. Et ſcitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in ſemetípſo manéntem. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam ſuam pro nobis póſuit; & nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

℟. Senſum tuum, Dómine, quis ſciet, * Niſi tu míſeris Spíritũ ſanctũ tuũ de altíſſimis, & ſic corréctæ ſint ſémitæ eórum qui ſunt in terris? allel. ℣. In ténebris ambulámus, & veritátem non fácimus. Niſi tu. *Sap.* 9. 17. 18. 1. *Joan.* 1. 6.

Ex Commentário ſancti Joánnis Chryſoſtomi in Acta Apoſtolórum.

Lectio iij. Hom. 1.

QUare Spíritus ſanctus non advénit cùm adhuc adéſſet Dóminus, aut mox ab illíus diſcéſſu; ſed ipſe quidem ábiit die quadrageſimo, Spíritus autem advénit, cùm comple-

rétur dies quinquagéſimus? At ſi nondum advénerat, quómodo ſtat quod díxerat: Accípite Spíritum ſanctum? Nimírum ut eos capáces rédderet & idóneos accipiéndo Spirítui. Etenim ſi Daniel Angelum visúrus, ſemótus eſt: multò magis hos decébat ſecédere, tamquam Dei donum acceptúros. Licetne eo modo quæſtiónem sólvere? An ſic pótiùs accipiéndum eſt, quòd de eo futúrū erat, perinde quaſi jam factum eſſet, ſic locútus; velut cùm ait: Calcáte ſerpéntes, & ſcorpiónes, & omnem virtútem inimíci? Cur igitur non tum prótinus advénit Spíritus? Oportébat illos deſidério promiſſi tenéri, atque ita donum accípere: ideóque, cùm ipſe digreſſus eſſet, tum advénit Spíritus. Qui ſi veníſſet eo præsénte, non habuiſſet eos tam ardens expectátio.

℟. Effúndam aquas ſuper ſitiéntem, & fluenta ſuper áridam: * Effúndam Spíritū meum, & germinábunt quaſi sálices juxta præterfluéntes aquas † Allel. ℣. Ego ſitiénti dabo de fonte aquæ vivæ, gratìs. * Effúndam. Gloria. † Allelúia. *Iſ.* 44. 3. 4. *Apoc.* 21. 6.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Deus, tu convérſus vivificábis nos: ℟. Et plebs tua lætábitur in te. Allel. *Pſal.* 84. 7.

Pſalmi de Feria.

Ant. ſola. t. 1. irr. Ipſi adorántes regréſſi ſunt in Jerúſalem cum gáudio magno, allelúia. *Luc.* 24. 52.

Capitulum. Sap. 1. 5.

Spíritus ſanctus diſciplínæ effúgiet fictum, & auferet ſe à cogitatiónibus, quæ ſunt ſine intellectu.

℣. Deduc me, Dómine, in via tua, ℟. Et ingrédiar in veritáte tua, allel. *Pſal.* 85. 11.

Ad Benedict. Ant. t. 1. D. Spíritum veritátis mundus non poteſt accípere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcétis eum, allel. *Joan.* 14. 17.

Oratio.

Deus qui nos Reſurrectiónis & Aſcenſiónis Domínicæ ſolémnia celebráre fecíſti: da nobis fámulis tuis; ut & adveniéntis Spíritûs ſancti grátiam purificatis méntibus ſuſcípere mereámur; Per eúmdem.

AD PRIMAM.

Ant. t. 3. a. Convéſcens præcépit eis ab Jeroſólymis ne diſcéderent, ſed expectárent promiſſionem Patris, allel. *Act.* 1. 4.

Capitulum. Regi, &c.

Ad ℟. br. ℣. Qui aſcendíſti ſuper omnes cælos. *Eph.* 4. 10.

CANON
Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *Can.* 10.

Cleríci in doctrínis, in lectiónibus, in pſalmis, hymnis & cánticis exercitio

jugi incúmbant. Tales enim debent eſſe qui divínis cúltibus ſe mancipándos ſtudent exhibére : ſcílicet ut dum ſciéntiæ óperam dant, doctrínæ grátiam pópulis adminíſtrent.

AD TERTIAM.

Ant. t. 5. a. Cùm introíſſent in cænáculum, aſcendérunt ubi manébant Petrus & Joánnes, allel. *Act.* 1. 13.

Capitulum. Sap. 1. 3. 4.

PErvérſæ cogitatiónes séparant à Deo : quóniam in malévolam ánimam non introíbit ſapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. *br.* Cor mundum crea in me, Deus, * Allelúia, allelúia. Cor mundum. ℣. Et Spíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. * Allelúia. Glória... Cor mundum. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua ; ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me, allelúia. *Pſ.* 50. 13.

AD SEXTAM.

Ant. t. 5. a. Omnes erant perſeverántes unanímiter in oratióne, allel. *Act.* 1. 14.

Capitulum. Ezech. 36. 27.

SPíritum meum ponam in médio veſtri ; & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea cuſtodiátis, & operémini.

℟. *br.* Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam, * Allel. allel. Spíritus. ℣. Propter nomen tuum vivificábis me in æquitáte tua. * Allel... Glória.... Spíritus. *Pſalm.* 142. 10. 11.

℣. Doce me fácere voluntátem tuam, ℟. Quia Deus meus es tu, allelúia. *Pſalm.* 142. 10.

AD NONAM.

Ant. t. 1. irreg. Spíritum veritátis mundus non poteſt accípere, quia non videt eũ, nec ſcit eum, allelúia. *Joan.* 14. 17.

Capitulum. Iſ. 32. 14. 15.

TEnebræ & palpátio factæ ſunt ſuper ſpelúncas uſque in ætérnum, donec effundátur ſuper nos Spíritus de excélſo.

℟. *br.* Exórtum eſt in ténebris lumen rectis, * Allel. allel. Exórtum eſt. ℣. Miséricors, & miſerátor, & juſtus. * Allel.. Glória... Exórtum eſt. *Pſ.* 111. 4.

℣. Illúminas lucérnam meam, Dómine, ℟. Deus meus, illúmina ténebras meas, allelúia. *Pſ.* 17. 29.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Ant. ſola t. 5. a. Pater de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus ſe, allelúia. *Luc.* 11. 13.

Capitulum. Act. 1. 8.

ACcipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in vos ; & éritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaría, & uſque ad últimum terræ.

HYMNUS.

Teſtes novæ victóriæ
Quâ, Chriſte, ſcandis æthera,
Jubes in urbem flámmeo
Pergant repléndi Spíritu.
Prompti ſacrátis cógitant
Celáre ſe recéſſibus;
Terræque curis líberi
Cœlo peróptant vívere.
Jam junctus uno péctore
Unâ domo grex júngitur;
Votíſque fuſis ſæpius,
Infert Deo vim súpplicem.
Uno labórat ímpetu
Supérna cláuſtrá rúmpere;
Quibus ſolútis, ígneus
Fœcúndet imber péctora.
Turbæ precánti júngimur;
O Chriſte! vota ſúſcipe:
Et mitte promíſſum Patris
Cor innovántem Spíritum.
Sit laus Patri, laus Filio,
Patris ſedénti déxterâ;
Qui nos fovebis flámine
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui: ℟. Et Spíritu principali confírma me, all. *Pſ.* 50. *v.* 14.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Spíritus veritátis apud vos manebit, & in vobis erit, allelúia. *Joan.* 14. 17.

Oratio ut ad Laudes.

Completorium, ut in die Aſcenſionis.

SABBATO
IN VIGILIA PENTECOSTES.

Ab hac Vigilia incluſivè, uſque ad Dominicam primam poſt Pentecoſten, non fit Officium de ullo Feſto; ſed transfertur poſt dictam Dominicam: ſi hodie occurrat Feſtum Simplex, de eo fit Commemoratio: non verò per Octavam Pentec.

AD OFFICIUM
NOCTURNUM ET HORAS.

Omnia ut heri, exceptis iis quæ inferiùs propria notantur.

Pſalmi ex 3. Nocturno Sabbati.

De Epiſtola prima beáti
Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 3. v. 17. ad finem.

Qui habúerit ſubſtántiã hujus mundi, & víderit fratrem ſuum neceſſitátẽ habére, & cláuſerit víſcera ſua ab eo: quómodo cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, ſed ópere & veritáte. In hoc cognóſcimus quóniam ex veritáte ſumus: & in conſpéctu ejus ſuadébimus corda noſtra. Quóniam ſi reprehénderit nos cor noſtrum: major eſt Deus corde noſtro, & novit ómnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum: & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo: quóniam mandáta ejus cuſtodímus, & ea, quæ ſunt plácita coram eo, fácimus. Et hoc eſt mandátum ejus: ut credámus in nómine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligámus altérutrum, ſicut dedit mandatum nobis. Et qui ſervat mandáta ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quóniam manet

in nobis de Spíritu, quem dedit nobis.

℟. Effundátur, *ut heri.*

Ex libro tértio ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris contra Hæreſes.

Lectio ij. Cap. 17. *Num.* 2.

DOminus pollicitus eſt míttere ſe Paraclétum, qui nos aptáret Deo. Sicut enim de árido trítico maſſa una fieri non poteſt ſine humóre, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Chriſto Jeſu poterámus ſine aqua quæ de cœlo eſt. Et ſicut árida terra, ſi non percipiat humórem, non fructíficat: ſic & nos lignum áridum exiſténtes primùm, numquam fructificarémus vitam ſine ſupérna voluntária plúvia. Córpora enim noſtra per lavácrum, illam quæ eſt ad incorruptiónem, unitátem accepérunt; ánimæ autem per Spíritum. Unde & útraque neceſſária, cùm útraque proficiant in vitam Dei; miſeránte Dómino noſtro Samaritánæ illi prævaricatríci, quæ in uno viro non manſit, & oſtendénte ei, & pollicénte aquam vivam, ut ultériùs non ſitíret, habens in ſe potum ſaliéntem in vitam ætérnam. Quod Dóminus accípiens munus à Patre, ipſe quoque his donávit, qui ex ipſo participántur, in univérſam terram mittens Spíritum ſanctum.

℟. Senſum tuum, Dómine, *ut heri.*

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14 *v.* 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si dilígitis me, mandáta mea ſerváte. Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 74. *in Joan.*

QUod ait, Rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis: oſténdit & ſeipſum eſſe Paraclétum. Paraclétus enim latínè dícitur advocátus; & dictum eſt de Chriſto: Advocátum habémus ad Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum. Sic autem mundum dixit non poſſe accípere Spíritum ſanctum, ſicut étiam dictum eſt; Prudéntia carnis inimíca eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjécta, nec enim poteſt: velut ſi dicámus: Injuſtitia juſtítia eſſe non poteſt. Mundum quippe ait hoc loco, mundi ſignificans dilectóres; quæ diléctio non eſt à Patre. Et ídeò dilectióni hujus mūdi, de qua ſatágimus ut minuátur & conſumátur in nobis, contrária eſt diléctio Dei, quæ diffúnditur in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis. Mundus ergo eum accípere non poteſt, quia non videt eum, neque ſcit eum; non enim habet inviſibiles

óculos mundána diléctio, per quos vidéri Spíritus ſanctus poteſt, quia vidéri, niſi inviſibíliter, non poteſt.

℣. Effúndam aquam ſuper ſitiéntem, & fluénta ſuper áridam, &c. *ut heri.*

Ad Benedict. *Ant.* *t.* 3. *a.* Ego rogábo Patrē, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobíſcum in ætérnum, allel. *Joan.* 14. 16.

CANON

Ex Conſtitutiónibus Apoſtolórum.

Cap. 19.

POſt décimum diem ab Aſcenſióne, qui eſt Pentecóſtes, id eſt, à prima Domínica quinquagéſimus, ſit vobis máximè feſtus; tunc enim horâ tértiâ miſit Dóminus donum Spíritûs ſancti.




Papillon

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

AD I. VESPERAS.

Septiformis eſt Spiritus adveniens.

Pſalmi de Sabbato.

Ant. ſola SPíritus Dómini, ꝑ. 6. F. Spíritus ſapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis; & Spíritus timóris Dñi, all. *Iſ.* 11. 2. 3.

Capitulum. Ezech. 11. 19. 20.

SPíritum novum tríbuam in viſcéribus eórum: & áuferam cor lapídeum de carne eórum: & dabo eis cor cárneum; ut in præcéptis meis ámbulent.

℟. Dóminus de Sínaï venit: in déxtera ejus ígnea lex: diléxit pópulos: & * Qui appropínquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus. ✝ Allel. ℣. Non in tábulis lapídeis, ſed in tábulis cordis carnálibus. * Qui appropínquant. Glória. ✝ Allel. *Deuter.* 33. 2. 3. 2. *Cor.* 3. 3.

HYMNUS.

QUid cœlum súbito fúlgurat ímpetu?
Tellus insólitum quid tremit ad ſonum?
Siccos pande ſinus, árida; núbibus
Fertur Spíritus íncubans.

Illápſu própero córdibus hóſpitem
Fœtum divítiis ſe Deus ínſerit;
Vitæ fonte rigat, quos amor hóſtiam
Almis ímmolat ígnibus.

Quantas imber opes dépluit ígneus
Cùm partíta ſedent ſymbola vértice!
Totas mente fugat lux ténebras; ſacra
Dum cor róborat únctio.

Diſpar turba ſibi, plenaque Númine,
Paucis viſa docet dógmata vátibus:
Quos natúra rudes fécerat índiga,
Doctos Spíritus éfficit.

Miris verba probans: & váriis loqui
Linguis quæque ſuis gens ſtupet éxtera,
Imbelléſque manus oppróbrium crucis
Cultu térgere víndice.

Solátor, própera, Spíritus, órphanis,
Fœtos noſtra ſinus mólliat órbitas:
Ut pulsáta tuis multíplici fluant
Natis úbera múnere.

Sit laus ſumma Patri, súmmaque Fílio
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Per quem legis Amor córdibus ínſitus
Dat quod lex jubet éxequi.
Amen.

℣. Flabit Spíritus ejus ;
℟. Et fluent aquæ, allelúia. *Pſ.* 147. 18.

Ad Magnif. Ant. 8. 5. *F.* Effundátur ſuper nos Spíritus de excélſo : & erit opus juſtítiæ pax, allelúia. *Iſ.* 32. 15. 17.

Orátio.

DEus, qui ſacraménto inchoatæ feſtivitatis univérſam Eccléſiam tuam ex omni gente & natióne ſanctíficas ; in totam mundi latitúdinem Spíritûs tui ſancti dona diffunde ; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

AFfla, ſupérne Spíritus,
Votis benignus ſúpplicum,
Sinúque rorent dívite
Promíſſa terris múnera.

Tu Véritas allabere
Sub nocte merſis méntibus
Ægríque cordis vúlneri
Veni medéla Cháritas.

In monte quondam Pátribus
Mutis exarátam lítteris,
Sic ſcribe legem córdibus,
Ut juſſa præſtes éxequi.

Malis ab hoſtis ártibus
Somno jacéntes prótege,
Ne vana nos per ſómnia
Delúdat umbra críminis.

O cordis hoſpes íntime !
Solátor eſto flétuum ;
Eſto labóris & quies ;
Ut ſis perénne gáudium.

Sit laus Patri, laus Fílio
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes ſacris
Lucent, & ardent ígnibus.
Amen.

Et hæc Doxologia dicitur per Oct. in Hymnis omnibus ejuſdem metri.

Capitulum. Gal. 4. 6.

QUóniam eſtis filii, miſit Deus Spíritum Filii ſui in corda veſtra, clamántem, Abba, Pater.

℣. Cuſtódi nos, *p.* 426.

Ad Nunc dimíttis *Ant.* 2. 5. *a.* Ductor eorum fuíſti, Dómine, per diem & per noctem : allelúia. Et Spíritum tuum bonum dedíſti, qui docéret eos, allel. allel. 2. *Eſdr.* 9. 12. 20.

AD OFFIC. NOCT.

Prodigiis & donis mirabilis adventûs Spíritûs ſancti.

Invitat. Allelúia. Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, * Veníte, adorémus, allelúia. *Joan.* 15. 26.

In Pſalmum 47. Magnus Dóminus *pag.* 87.

Ant. 1. 2. *d.* Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, cívitas Regis magni, allel. *v.* 3.

In Pſ. 67. Exúrgat Deus, *cum ſuis diviſiónibus*, *pag.* 79.

Ant. 2. 3. *E.* Dóminus dabit verbum Evangelizántibus, allelúia, virtúte multâ, allelúia. *v.* 12.

In Pſ. 103. Bénedic, anima mea, Dómino : Dómine Deus : *cum ſuis diviſiónibus*, *pag.* 62.

Ant. 2. 5. *F.* Emíttes Spíritum tuum, & creabúntur,

alleluia: & renovábis fáciem terræ, allelúia. *v.* 30.

℣. Viſitáſti, Dómine, terram, & inebriáſti eam; ℟. Multiplicáſti locupletáre eā, allelúia. *Pſal.* 64. 10.

De Actibus Apoſtolórum.
Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 12.

CUm compleréntur dies Pentecóſtes, erant omnes páriter in eódem loco: & factus eſt repéntè de cœlo ſonus, tamquam adveniéntis Spíritûs veheméntis, & replévit totam domum ubi erant ſedéntes. Et apparuérunt illis diſpertítæ linguæ tamquam ignis, ſedítque ſupra ſíngulos eórum: & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus ſanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jeruſalem habitántes Judæi, viri religióſi ex omni natióne quæ ſub cœlo eſt. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúſa eſt, quóniam audiébat unuſquíſque linguâ ſuâ illos loquéntes. Stupébant autem omnes, & mirabántur, dicéntes; Nonne ecce omnes iſti qui loquúntur, Galilæi ſunt, & quómodo nos audívimus unuſquíſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Parthi & Medi, & Ælamítæ, & qui hábitant Meſopotámiam, Judæam, & Cappadóciam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Líbyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Románi, Judæi quoque, & Proſélyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquéntes noſtris linguis magnália Dei.

℟. Psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli, ad Oriéntem: * Ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis: magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus. Deus Iſraël ipſe dabit virtútem & fortitúdinem plebi ſuæ, allelúia. ℣. Accipiétis virtútem ſuperveniéntis Spíritûs ſancti in vos, & éritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaría, & uſque ad últimum terræ. * Ecce dabit. *Pſ.* 67. 33. 34. 35. 36. *Act.* 1. 8.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Lectio ij. Serm. 1. *de Pentecoſte.*

HOdiérnam feſtivitátem, dilectíſſimi, in præcípuis feſtis eſſe venerándam, ómnium Catholicórum corda cognóſcunt. Nec dúbium eſt quanta huic diéi reverénTia debeátur, quem Spíritus ſanctus excellentíſſimo ſui múneris miráculo conſecrávit. Nam ab illo die quo Dóminus ſuper omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris conſeſſúrus aſcéndit, décimus iſte eſt, qui ab ejus Reſurrectióne quinquagéſimus nobis in eo, à quo cœpit, illúxit, magna myſtéria in ſe & véterum ſacramentórum cóntinens & novórum, quibus maniféſ-

tiſſimè declarátur & grátiam fuiſſe prænuntiátam per legem, & legem implétam eſſe per grátiam. Sicut enim Hebræo quondam pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagéſimo die poſt immolatiónem agni, lex data eſt in monte Sinaï; ita poſt Paſſiónem Dómini, quâ verus Dei Agnus occíſus eſt, quinquagéſimo à Reſurrectióne ipſius die, in Apóſtolos plebémque credéntium Spíritus ſanctus illápſus eſt: ut fácilè díligens Chriſtiánus agnóſcat inítia véteris teſtaménti evangélicis miniſtráſſe princípiis, & ab eódem Spíritu cónditum fuiſſe fœdus ſecúndum, à quo primum fúerat inſtitútum.

℟. Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * Terra mota eſt: étenim cœli diſtillavérunt à fácie Dei Sinaï, à fácie Dei Iſraël. Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, hæreditáti tuæ: infirmáta eſt; tu verò perfecíſti eam, allelúia. ℣. Salus in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus. * Terra. *Pſ.* 67. 8. 9. 10. *Hebr.* 2. 3. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14. *v.* 23.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit; & Pater meus díliget eum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. 30. *Hab. die Pentecoſt.*

HOdie Spíritus ſanctus repentíno sónitu ſuper diſcípulos venit, mentéſque carnálium in ſuî amórem permutávit; & foris apparéntibus linguis ígneis, intùs facta ſunt corda flammántia; quia dum Deum in ignis viſióne ſuſcípiunt, per amórem ſuáviter arsérunt. Ipſe namque Spíritus ſanctus amor eſt. Unde & Joánnes dicit: Deus cháritas eſt. Qui ergo mente íntegrâ Deum deſíderat, profectò jam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum dilígere, ſi eum quem díligit non habéret. Sed ecce, ſi unuſquíſque veſtrûm requirátur, an díligat Deum; totâ fidúciâ & ſecúrâ mente reſpóndet, Diligo. In ipſa autem lectiónis exórdio audíſtis quid Véritas dicat: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit. Probátio ergo dilectiónis, exhibítio eſt óperis.

℟. Ad montem Sínaï deſcendíſti, Dómine, & locútus es cum eis de cœlo: dedíſti eis judícia recta. * Tu autem in miſericórdiis tuis multis Spíritum tuum bonum dedíſti, qui docéret eos. † Allelúia. ℣. Hoc eſt teſtaméntum quod diſpónam dómui Iſraël, dicit Dóminus: Da-

bo leges meas in mentem eórum, in corde eórum ſuperſcríbam eas : & non docébit unuſquíſque próximũ ſuum: quóniam omnes ſcient me. * Tu autem. Glória. ✝ Allelúia. 2. *Eſdr.* 9. 13. 19. 20. *Heb.* 8. 10. 11. Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Deus majeſtátis intónuit : ℟. Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit, allel. *Pſal.* 28. 3. 11.

Pſalmi de Dominica.

Advenientis Spiritûs hiſtoria ex Actibus Apoſtolorum.

Ant. t. 1. *D.* CUm compleréntur dies Pentecóſtes, erant omnes páriter in eódem loco : & factus eſt repéntè de cœlo ſonus, tamquam adveniéntis Spíritûs vehementis, allel. *Act.* 2. 1. 2.

Ant. t. 3. *a.* Apparuérunt illis diſpertítæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſíngulos eórum, & repléti ſunt omnes Spíritu ſancto, allel. *Act.* 2. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus ſanctus dabat éloqui illis, allel. *Act.* 2. 4.

Ant. t. 6. *F.* Factâ autem hâc voce.

CANTICUM. *Judith.* 16. *v.* 15. *ad* 20.

HYmnum cantémus Dómino : * hymnum novum cantémus Deo noſtro.

Adónaï, Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua, * & quem ſuperáre nemo poteſt.

Tibi sérviat omnis creatúra tua : * quia dixíſti, & facta ſunt :

Miſíſti Spíritum tuum, & creáta ſunt, * & non eſt qui reſíſtat voci tuæ.

Montes à fundaméntis movebúntur cum aquis : * petræ, ſicut cera, liquéſcent ante fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

Glória Patri, &c.

Et dicitur hoc Canticum per Octavam.

Ant. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúſa eſt, quóniam audiébat unuſquíſque linguâ ſuâ illos loquéntes, allel. *Act.* 2. 6.

Ant. t. 2. *d.* Déxterâ Dei exaltátus Jeſus, & promiſſióne Spíritûs ſancti accéptâ à Patre, effúdit hunc, quem vos vidétis, & audítis, allel. *Act.* 2. 33.

Capitulum. Act. 2. 7. 8.

STupébant omnes, dicéntes : Nonne ecce omnes iſti, qui loquúntur, Galilæi ſunt : & quómodo nos audívimus unuſquíſque linguam noſtram in qua nati ſumus ?

℣. Magnificávit Dóminus fácere cum eis : ℟. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum, allel. *Pſ.* 125. 2. 3.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *F.* Filii Sion, exultáte, & lætámini in Dómino Deo veſ-

ſtro: quia dedit vobis Doctórem juſtítiæ: fortitúdo mea magna, quam mihi in vos, allel. *Joel.* 2. 23. 25.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die corda fidelium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére; Per Dóminum... in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus.

AD PRIMAM.

Ant. Cùm complerentur.

Ad ℟. *br.* Qui de Spiritu tuo dediſti nobis. 1. *Joan.* 4. 13.

CANON

Ex Concilio Bituricénſi. *An.* 1584. *Tit.* 20.

VIta hóminis milítia ſuper terram, ut habet Scriptúra: ideóque quotquot per baptiſmum regeneráti ſunt ad vitam, confirmándi ſunt ad pugnam: quod conſecúti ſunt Apóſtoli in die Pentecóſtes; quibus priùs à Dómino dictum fúerat: Si non abíero, Paraclétus non véniet; ſi autem abíero, mittam eum ad vos.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

VEni, creátor Spíritus;
Mentes tuórum víſita;
Imple ſupérnâ grátiâ,
Quæ tu creáſti péctora.

Qui Paraclétus díceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et ſpiritális únctio.

Tu ſeptifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus;
Tu ritè promiſſum Patris
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen ſénſibus:
Infúnde amórem córdibus;
Infírma noſtri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Hoſtem repéllas lóngiùs,
Pacémque dones prótinùs:
Ductóre ſic te prævio
Vitémus omne nóxium.

Per te ſciámus da Patrem,
Noſcámus atque Fílium;
Te utriuſque Spíritum
Credámus omni témpore.

Sit laus Patri, cum Fílio,
Sancto ſimul Paracléto:
Nobíſque mittat Fílius
Promíſſa dona Spíritûs.
Amen.

Et dicitur per Octavam.

Ant. Apparuérunt.

Capitulum. Act. 2. 12. 13.

OMnes mirabántur, ad invicē dicéntes: Quidnam vult hoc eſſe? Alii autem irridéntes, dicébant; Quia muſto pleni ſunt iſti.

℟. Viri Judæi, & qui habitátis Jeruſalem univérſi, hoc vobis notum ſit. * Non, ſicut vos æſtimátis, hi ébrii ſunt, cùm ſit hora diéi tértia: ſed hoc eſt quod dictum eſt per prophétam Joel. † Allelúia. ℣. Effúndam Spíritum meum ſuper omnem carnem: & prophetábunt fílii veſtri, & filiæ veſtræ: & dabo prodígia in cœlo & in terra, ignem, & vapórem fumi. * Non, ſicut. Glória. † Allelúia. *Act.* 2. 14. 15. 16. *Joel.* 2. 28. 30.

℣. Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ: ℟. Commóta eſt, & contrémuit terra, allelúia. Pſ. 76. 19.

Per Oct. ℟. br. Illúminans tu mirabíliter, * Allel. allel. Illúminans. ℣. A móntibus ætérnis. * Allel. allel. Glória. Illúminans. Pſ. 75. 5

℣. Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ ℟. Vidit, & commóta eſt terra, allelúia. Pſ. 96. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Cœpérunt loqui.

Capitulum. 1. Cor. 12 8. 9. 10.

ALii quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ; álii autem ſermo ſciéntiæ ſecundùm eúmdem Spíritum; álteri fides in eódem Spíritu; álii grátia ſanitatum in uno Spíritu; álii operátio virtútum; álii prophetía; álii diſcrétio ſpirítuum; álii génera linguárum; álii intepretátio ſermónum.

℟. br. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes. * Allel. all. Non ſunt. ℣. Quorum non audiantur voces eórum. * Allelúia, allel. Glória. Non ſunt. Pſal. 18. 4.

℣. Poſuit in eis verba ſignórum ſuorum; ℟. Et prodigiórum in terra, allelúia. Pſ. 104. 27.

AD NONAM.

Ant. Déxtera.

Capitulum. Act. 5. 32.

NOs teſtes ſumus horum verbórum, & Spíritus ſanctus, quem dedit Deus ómnibus obediéntibus ſibi.

℟. br. Manda, Deus, virtúti tuæ: * Allel. allel. Manda. ℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: * Allel. allel. Glória. Manda. Pſal. 67. 29.

℣. Sicut ros Hermon, qui deſcéndit in montem Sion; ℟. Illic mandávit Dóminus benedictiónem, allel. Pſalm. 132. 3.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Hic eſt Spiritus, qui nobis, tamquam filiis, datus eſt.

Ant. t. 3. a. NOn ſpíritum hujus mundi accépimus: ſed Spíritum qui ex Deo eſt; ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis, allelúia. 1. Cor. 2. 12.

Ant. t. 5. F. Deus Spíritū ſanctum effúdit in nos abúndè, ut hærédes ſimus ſecúndum ſpem vitæ ætérnæ, allelúia. Tit. 3. 6. 7.

Ant. t. 1. irr. Unxit nos Deus, qui & ſignávit nos & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris, allel. 2. Cor. 1. 21. 22.

Ant. t. 2. d. Spíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei, allel. Rom. 8. 16.

Ant. t. 6. F. In hoc ſcimus quóniam manet in nobis, de Spíritu, quem dedit nobis, allel. 1. Joan. 3. 24.

Capitulum. Eph. 1. 13. 14.

CRedéntes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemp-

tiónem acquiſitiónis, in laudem glóriæ ipsius.

HYMNUS.

Vos conſecrati Númine
milites,
Quos una mens, ſpes una
coégerat;
Exíte clauſtris; ad triúmphos
Multíplici properáte bello.
Audax arénam, plena Deo
cohors,
Deſcéndit: orci, cédite,
príncipes:
Mundi magíſter, nutet
error,
Mox válidâ removéndus
arce.
Velóce curſu progréditur
fides;
Quocúmque vertit prælia,
pónitur
Unâ manu crux; alterâ-
que
Vana ruunt ſimulácra dex-
trâ.
Primo triúmpho, ſuſcípiunt
viri
Ter mille verbum: fœde-
ra flétibus
Poſcunt amáris, & lavá-
cro
Prætéritas abolére labes.
Egréſſa cunis, ſic ádoles,
nova
Tu ſponſa Chriſti; tum
fide párturis
Prægnánte mater; moxque
verbo
Præcípites gemináute par-
tus.
Judæ nec intra ſíſtere lími-
tes;
Noſtris eúndo fínibus ap-
plica,
O turma felix! vos repóſ-
cit
Multa ſeges, propiórque
meſſi.
Laus ſumma Patri, ſúmma-
que Filio;
Compar tibi ſit glória,
Spíritus,
Quo dante, [illegible]ctæ chari-
tátis
Concípiunt pia corda flam-
mas. Amen.

℣. Emittes ſpíritum tuũ, & creabúntur; ℟. Et renovábis faciem terræ, allel. *Pſal.* 103. 30.

Ad Magnif. Ant. t. 7. *a.* Det vobis Deus, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: in charitáte radicáti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei, allelúia. *Eph.* 3. 16. 17. 19.

Oratio ut ad Laudes.

Completorium ut heri.

DIEBUS INTRA OCT. AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Allel. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, * Veníte, adorémus allel. *Sap.* 1. 7.

Pſalmi ex I *Nocturno cujuslibet Feriæ ſub*

Ant. t. 4. *E.* Quis tríbuat, ut omnis pópulus prophétet; & det eis Dóminus Spíritum ſuum? allel. *Num.* 11. 29.

Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut infrà notantur.

A D

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. ut in die: prima Antiph. de Laudibus, Pſalmi de Feria, Canticum, & reliqua ut in die, præter Ant. ad* Benedictus.

Ad Horas breves, Antiph. de Laudibus, quartâ omiſſâ, & reliqua ut in die: Pſalmi de Feria.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria ſub

Ant. t. 3. a. Non ſpíritum hujus mundi accépimus; ſed Spíritum qui ex Deo eſt; ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis, allel. 1. *Cor.* 2. 12.

Reliqua ut in 2. Veſp. diei præter Ant. ad Magn.

FERIA SECUNDA.

Pſalmi ex 1. Noct. Feriæ.

De Epíſtola prima beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 4. v. 6. ad 14

CHaríſſimi, Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deũ, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognóſcimus Spíritum veritátis, & ſpíritum erróris. Charíſſimi, diligámus nos ínvicem: quia cháritas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognóſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quóniam Deus cháritas eſt. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Filium ſuum unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc eſt cháritas: non quaſi nos dilexérimus Deum, ſed quóniam ipſe prior diléxit nos, & miſit Fílium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris. Charíſſimi, ſi ſic Deus diléxit nos: & nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cháritas ejus in nobis perfécta eſt. In hoc cognóſcimus quóniam in eo manémus, & ipſe in nobis: quóniam de Spíritu ſuo dedit nobis.

℟. Scient quia ego Dóminus Deus eórum, eò quòd non derelíquerim quemquã ex eis: & non abſcóndam ultrà fáciem meam ab eis: * Eò quòd effúderim Spíritum meum ſuper omnem domum Iſrael, allel. ℣. Scriptum eſt in Prophétis: Erunt omnes docíbiles Dei. * Eò quòd. *Ezech.* 39. 28. 29. *Joan.* 6. 45.

Ex Apológia ſancti Juſtíni Mártyris ad Antonínum Imperatórem & Senátum.

Scr. pt. an. 150.

Lectio ij.

FUtúra prædícens Spíritus ſanctus, ita lóquitur: Ex Sion éxibit lex, verbúmque Dñi ex Hieroſólymis; atque ita factum eſſe crédere potéſtis. Hieroſólymis enim duódecim viri número in mundum exiérunt, iíque ignári & idiótæ, nullâque dicéndi facultáte prædíti, vi divínâ omni hóminum géneri expoſuérunt, miſſos ſe à Chriſto, qui omnes Dei verbum docérent. Ac nos, qui quondam mútuis cædi-

bus noſmetipſos contaminabámus, non modò non gérimus bellum cum inimícis & hóſtibus; ſed étiam ne mentiámur, eóſque qui nos quærunt caprémus & fallámus, libénter Chriſtum confiténtes, mortem appétimus. Poterámus enim id quod fertur: Jurávit lingua; mentem injurátam gero.... Nos autem, qui immortalitátis cupiditáte dúcimur, non póſſumus non perférre ómnia, ut ea quæ cúpimus, ab eo qui dare poteſt, conſequámur.

℟. Adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus. Vox Dómini ſuper aquas, * Deus majeſtátis intónuit; vox Dómini in virtúte; vox Dómini in magnificéntia, allelúia. ℣. Motus eſt locus, in quo erant congregáti Apóſtoli, & repleti ſunt omnes Spíritu ſancto, & loquebántur verbum Dei cum fidúcia. * Deus majeſtatis. *Pſal.* 28. 2. 3. 4. *Act.* 4. 31.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joannem.

Lectio iij. Cap. 3. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus Nicodémo: Amen, amen dico tibi: Niſi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnum Dei. Et réliqua.

Homília S. Auguſtíni Epiſc.

Tractatu 12. *in Joannem.*

DIcit Dóminus Nicodémo, & expónit ei: Amen, amen dico tibi: Niſi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu, non poteſt introíre in regnum Dei. Tu, inquit, carnalem generatiónem intélligis, cùm dicis: Numquid poteſt homo redíre in víſcera matris ſuæ? Ex aqua & Spíritu, oportet ut naſcátur propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris hóminis temporálem naſcitur, naſcátur ex viſcéribus matris carnalis: ſi propter hæreditátē Patris Dei ſempitérnā, naſcátur ex viſcéribus Eccléſiæ. Génerat per uxórem fílium pater moritúrus ſucceſſúrum: génerat Deus de Eccléſia fílios non ſucceſſúros, ſed ſecum manſúros. Et ſéquitur: Quod natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de ſpíritu, ſpíritus eſt. Spirituáliter ergo náſcimur, & in ſpíritu náſcimur verbo & ſacraménto.

℟. Spíritus in quo clamámus, Abba, Pater, * Teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus filii Dei: ſi autem filii, & hærédes. † Allel. ℣. O quàm bonus & ſuávis eſt, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! * Teſtimónium. Glória. † Allel. *Rom.* 8. 15. 16. 17. *Sap.* 12. 1.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Spíritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis; ſed neſcis unde véniat, aut quò vadat; ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spíritu, allel. *Joan.* 3. 8.

Oratio.

DEus totíus Cónditor creatúræ, fámulos tuos quos fonte baptiſmatis renováſti, quoſque Spíritûs ſancti ſolidáſti plenitúdine, in adoptionis ſorte fácias; quæſumus, dignánter aſcríbi; Per Dóminum...... in unitáte ejúſdem Spíritûs ſancti, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. de Confirm. Can. I.

SI quis díxerit, Confirmationem baptizatorum, otióſam cæremóniam eſſe, & non pótius verum & próprium ſacraméntum: aut olim nihil aliud fuiſſe quàm catécheſim quamdam, quâ adoleſcentiæ próximi fídei ſuæ ratiónem coram Eccléſia exponébant: anathéma ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natum eſt ex ſpíritu, ſpíritus eſt. *Joan.* 3. 6.

FERIA TERTIA.

Pſalmi ex I. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola prima beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap 5. *v.* I. *ad* 10.

OMnis qui credit quóniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui díligit eum qui génuit, díligit & eum qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quóniam diligimus natos Dei, cum Deum diligámus, & mandata ejus faciámus. Hæc eſt enim cháritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiámus: & mandata ejus grávia non ſunt. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victória, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei? Hic eſt qui venit per aquam & sanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & sánguine. Et Spíritus eſt, qui teſtificátur, quóniam Chriſtus eſt véritas. Quóniam tres ſunt, qui teſtimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimónium dant in terra: Spíritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. Si teſtimónium hominum accípimus, teſtimónium Dei majus eſt: quóniam hoc eſt teſtimoniũ Dei quod majus eſt, quóniam teſtificátus eſt de Filio ſuo.

℟. Declarátio ſermónum tuórum illúminat, & intelléctum dat párvulis. *Os meũ apérui, & attráxi ſpiritum; quia mandáta tua deſiderabam, allel. ℣. Charitas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum, qui datus eſt nobis. * Os meum. *Pſal.* 118. 130. 131. *Rom.* 5. 5.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica Euſébii Cæſarienſis Epíſcopi.

Lib. 3. *Cap.* I.

Lectio ij.

APóſtoli & Diſcípuli Dómini, ac Servatóris noſtri, per univérſum orbem diſpérſi, Evangélium prædicábant. Et Thomas quidem, ut à majóribus tráditum accépimus, Parthiam ſortítus eſt; Andréas verò Scytiam; Joánni Aſia obvénit, qui plúrimùm témporis in ea commorátus, Epheſi tandem diem óbiit. At Petrus per Pontum, Galátiam, Bithíniam, Cappadóciam, atque Aſiam, Judæis qui in diſperſióne erant, prædicáſſe exiſtimátur; qui ad extrémum Romam véniens, cruci ſuffixus eſt, cápite deórſum demiſſo; ſic enim ut in cruce collocarétur oráverat. De Paulo jam quod áttinet dícere, qui ab Jeroſólymis uſque ad Illyricum, munus Evangélicæ prædicatiónis implévit, ac poſtrémò Romæ ſub Neróne martyrio perfúnctus eſt. Hæc Orígenes in tértio volúmine expoſitiónum in Géneſim diſértis verbis commémorat.

℟. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, quorum non audiántur voces eórum. * In omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum, Allel. ℣. Salus ab eis qui audiérunt confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis & váriis virtútibus & Spíritûs ſancti diſtributiónibus. * In omnem. *Pſal.* 18. 4. 5. *Hebr.* 2. 3. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem

Lectio iij. Cap. 10. *v.* 1.

IN illo témpore; Dixit Jeſus Phariſæis: Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per óſtium in ovíle óviũ; ſed aſcéndit aliúnde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per óſtium, paſtor eſt óvium. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 45. *in Joan.*

DOminus de grege ſuo, & de óſtio quo intrátur ad ovíle, ſimilitúdinem propóſuit in hodiérna lectióne. Dicant ergo Pagáni: Bene vívimus. Si per óſtium non intrant, quid prodeſt eis? unde gloriántur? Ad hoc enim debet unicuíque prodéſſe bene vívere, ut detur illi ſemper vívere: nam cui non datur ſemper vívere, quid prodeſt bene vívere? Quia nec bene vívere dicéndi ſunt, qui finem bene vivéndi vel cæcitáte néſciunt, vel inflatióne contémnunt. Non eſt autem cuíquam ſpes vera & certa ſemper vivéndi, niſi agnóſcat vitam, quod eſt Chriſtus, & per jánuam intret in ovíle. Ecce ipſi Phariſæi legébant, & in eo quod legébant, Chriſtum ſonábant; ventúrum ſperábant, & præséntem non agnoſcébant. Jactabant ſe étiam ipſi

inter viventes, hoc eſt, inter ſapiéntes: & negabant Chriſtum, & non intrabant per óſtium. Ergo & ipſi, ſi quos fortè ſedúcerent, mactándos & occidéndos, non liberándos ſedúcerent.

℟. Recordátus eſt Dóminus pópuli ſui: edúxit eos cum paſtóribus gregis ſui: * Póſuit in médio ejus Spíritum ſancti ſui. † Allelúia. ℣. Ipſe dedit paſtóres & doctóres, ad conſummatiónem ſanctórum, in opus miniſtérii, in ædificatiónem córporis Chriſti. * Póſuit. Glória. † Allel. *Iſ.* 63. 11. *Eph.* 4. 11. 12.

Ad Benedict. *Ant. t.* 3. *A.* Qui intrat per óſtium, paſtor eſt óvium: huic oſtiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt, allel. *Joan.* 10. 2. 3.

Oratio.

DA, quæſumus, Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut ſancto Spíritu congregáta, hoſtíli nullaténus incurſióne turbétur; Per Dóminum .. in unitáte ejúſdem, &c.

CANON

Ex Concílio Burdigalénſi.

An. 1582.

SAnctum Confirmatiónis ſacraméntum noſtrórum miſerrimórum témporũ injúriâ propè obſolétum & negléctum veheménter dolémus. Hoc enim ſacraméntum, ut ex nóminis ratióne conſtat, grátiam, vim, robur & arma ſuppéditat advérsùs vítia & infeſtiſſimos animárum hoſtes: quorum ſanè quò majóres ſunt ímpetus, eò diligéntius ómnibus Epíſcopis mandámus, ut ſuárum Diœcéſium Paróchias ſæpiùs obeúntes, hujus ſacraménti vim pópulo explicent, aut explicándum curent; & iis ómnibus qui nondum illud ſuſcepérunt, adminiſtrent.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Per me ſi quis introíerit, ſalvábitur, & páſcua invéniet, allel. *Joan.* 10. 9.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA QUARTA IV. TEMPORUM.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

De Epíſtola prima beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 13. *ad finem.*

HÆc ſcribo vobis: ut ſciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in nómine Fílii Dei. Et hæc eſt fidúcia, quam habémus ad eum: Quia quodcúmque petiérimus ſecúndùm voluntátem ejus, audit nos. Et ſcimus quia audit nos quidquid petiérimus: ſcimus quóniam habémus petitiónes quas poſtulámus ab eo. Qui ſcit fratrem ſuum peccáre peccátum non ad mortem, petat, & dábitur ei vita peccánti non ad mortem. Eſt peccátum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Omnis iníquitas, peccátum eſt: & eſt peccátum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non

peccat : ſed generátio Dei consérvat eum, & malígnus non tangit eum. Scimus quóniam ex Deo ſumus : & mundus totus in malígno póſitus eſt. Et ſcimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita ætérna. Filíoli, cuſtodíte vos à ſimulacris. Amen.

℟. Cécidit Spíritus ſanctus ſuper omnes qui audiébant verbum. Et obſtupuérunt ex circumciſióne fidéles, * Quia & in natiónes grátia Spíritûs ſancti effúſa eſt, allel. ℣. Non eſt apud Dóminum Deum noſtrum perſonárum accéptio.* Quia. *Act.* 10. 44. 45. 2 *Par.* 19. 7.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio ij. Serm. 1. *de jejúnio Pentecoſtes.*

HOdiérnam, dilectíſſimi, feſtivitatem deſcenſione ſancti Spíritûs conſecrátam ſequitur, ut noſtis, ſolémne iejunium, quod ánimis corporibúſque curandis ſalúbriter inſtitútum, devótâ nobis eſt obſervántiâ celebrándum. Repletis namque Apóſtolis virtúte promíſsâ, & in corda eórum Spíritu veritátis ingréſſo, non ambígimus inter cætera cœléſtis ſacraménta doctrínæ, hanc ſpirituális continéntiæ diſciplínam de Paracléti magiſtério fuiſſe concéptam; ut ſanctificátæ jejúnio mentes conferéndis ſibi charismátibus fíerent aptióres. Igitur poſt dies ſanctos lætítiæ, quos in honórem Dómini à mórtuis reſurgéntis, ac déinde in cœlos aſcendéntis exégimus, poſtque percéptum ſancti Spíritûs donum, ſalúbriter & neceſsáriè conſuetúdo eſt ordináta jejúnii: ut ſi quid fortè inter ipſa feſtivitátum gáudia négligens libértas & licéntia inordináta præſumpſit; hoc religióſæ abſtinéntiæ censúra caſtíget; quæ ob hoc quoque ſtudióſiùs exequénda eſt; ut illa in nobis, quæ hâc die Eccléſiæ divínitùs ſunt colláta, permáneant. Templum enim facti Spíritus ſancti & majóre quàm umquam cópiâ divíni flúminis irrigáti, nullis debémus concupiſcéntiis vinci, nullis vítiis poſſidéri, ut virtutis habitáculum nullâ ſit contaminatióne pollútum.

℟. Qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit géntibus, dans illis Spíritum ſanctum, ſicut & nobis, * Et nihil diſcrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eorum, allel. ℣. Parávit Dóminus bráchium ſuum in óculis ómnium géntium. * Et nihil. *Act.* 15. 8. 9. *Iſ.* 52. 10.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Joannem.

Lectio iij. Cap. 6. v. 44.

IN illo témpore; Dixit Jeſus Judæis: Nemo po-

teſt veníre ad me, niſi Pater, qui miſit me, tráxerit eum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 26. in Joan.

MAgna grátiæ commendátio! Nemo venit niſi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicáre, ſi non vis erráre. Semel áccipe & intéllige: nondum tráheris? ora ut traháris. Inde & hic ſi advértis, noli te cogitáre invitum trahi. Trahitur ánimus & amóre. Nec timére debémus ne dicátur nobis, Quómodo voluntáte credo, ſi trahor? Ego dico: Parum eſt voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid eſt trahi voluptáte? Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. Eſt quædam volúptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœléſtis. Porrò ſi Poétæ dícere lícuit, Trahit ſua quēque volúptas; non necéſſitas, ſed volúptas; non obligátio, ſed delectátio: quantò fórtiùs nos dícere debémus trahi hóminem ad Chriſtum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur juſtítiâ, delectatur ſempitérnâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt? Da deſiderántem, da eſuriéntem, da in iſta ſolitúdine peregrinántem atque ſitiéntem, & fontem ætérnæ pátriæ ſuſpirántem: da talem, & ſcit quid dicam. Si autem frígido loquor, neſcit quid loquor.

℟. Eſt ſcriptum in Prophétis: * Et erunt omnes docíbiles Dei: omnis qui audívit à Patre, & didicit, venit ad me. ✝ Allelúia. ℣. Dixit Dóminus, Ponam univérſos fílios tuos doctos à Dómino. * Et erunt. Glória. ✝ Allelúia. *Joan.* 6. 45. *Iſ.* 54. 10. 12. 13.

Ad Benedictus *Ant. t.* 2. *D.* Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater, qui miſit me, tráxerit eum: & ego reſuſcitábo eum in noviſſimo die, allel. *Joan.* 6. 44.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem; Qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúſdem, &c.

C A N O N

Ex Concílio Remenſi.

An. 1583. *Tit. de Confirmat. Num.* 1.

QUamvis unuſquíſque per baptíſmum catálogo fidélium ſit adſcríptus, ad diáboli tamen, carnis, mundíque tentatiónes perferéndas ac ſuperándas, nonniſi per impoſitiónem mánuum Epiſcopórum plus róboris & grátiæ récipit.

Ad Magníf. *Ant. t.* 5. *a.* Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam

ætérnam, allelúia. *Joan.* 6. 47.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA QUINTA.

Pſalmi ex I. *Noct. Feriæ.*

Incipit Epíſtola ſecúnda beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. v. I. *ad finem.*

SEnior Eléctæ Dóminæ, & natis ejus, quos ego díligo in veritáte, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognovérunt veritátẽ, propter veritátem quæ pérmanet in nobis, & nobíſcum erit in ætérnũ. Sit vobíſcũ grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Jeſu Fílio Patris, in veritáte & charitáte. Gavíſus ſum valdè, quóniã invéni de fíliis tuis ambulántes in veritáte, ſicut mandátum accépimus à Patre. Et nunc rogo te, Dómina, non tamquã mandátum novum ſcribens tibi, ſed quod habúimus ab inítio, ut diligámus altérutrum. Et hæc eſt cháritas ut ambulémus ſecúndùm mandáta ejus. Hoc eſt enim mandátũ, ut quemádmodum audíſtis ab inítio, in eo ambulétis; quóniam multi ſeductóres exiérunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſedúctor, & antichríſtus. Vidéte voſmetípſos, ne perdátis quæ operáti eſtis: ſed ut mercédem plenam accipiátis. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Chriſti, Deum non habet: qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fílium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei dixéritis. Qui enim dixit illi Ave, commúnicat opéribus ejus malígnis. Plura habens vobis ſcríbere, nólui per chartam & attraméntum: ſpero enim me futúrum apud vos, & os ad os loqui: ut gáudium veſtrum plenum ſit. Salútant te fílii ſorŏris tuæ Eléctæ.

℟. Confírmat nos Deus in Chriſto, * Et ſignávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris, allel. ℣. Dóminus Deus noſter pépigit nobíſcum fœdus * Et ſignávit. 2. *Cor.* I. 21. 22. *Deut.* 5 2.

Ex Hiſtória Eccleſiáſtica Eusébii Cæſariénſis Epíſcopi.

Lectio ij. Lib. 2. *Cap.* 3.

OPitulánte cœléſti virtúte, ſalutáris Dei ſermo tamquam ſolis rádius univérſum terrárum orbem súbitò illuſtrávit, & prout in ſacris litteris prædíctum fúerat, in omnem terram exívit ſonus Evangeliſtárum ſimul & Apoſtolórum, & uſque ad fines terræ verba eórum. Per omnes igitur civitátes & vicos, Eccleſiæ infinítâ hóminum multitúdine abundántes, velut arcæ quædam frúgibus refértæ, brevi congregátæ ſunt. Et qui propagáto à majóribus erróre, ſuperſtitióſo dæmonum cultu,

quaſi vetúſto quodam morbo conſtricti tenebántur: hi Chriſti virtúte, per prædicatiónem ſimul & mirácula diſcipulórum ipsíus, tamquam à ſæviſſimis dóminis liberáti, & graviſſimis vínculis ſolúti, deórum quidem turbam à dæmónibus invéctam reſpuébant; unum autem Deũ eſſe ómnium rerum opíficem confitebántur: quem quidem ſacris veræ pietátis rítibus, per dívinam modeſtámque religiónem, quam Servátor noſter in humánum genus invéxerat, colébant.

℟. Salus ab eis qui audiérunt confirmáta eſt * Conteſtánte Deo ſignis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus. ℣. Crevérunt, & quaſi germinántes multiplicáti ſunt: ac roboráti nimis, implevérunt terram. * Conteſtante. *Hebr.* 2. 3. 4. *Exod.* 1. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 9. *v.* 1.

IN illo témpore; Convocátis Jeſus duódecim Apóſtolis, dedit illis virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmonia, & ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

De Civ. Dei. Lib. 22. *Cap.* 5.

TRia ſunt incredibília, quæ tamen facta ſunt. Incredíbile eſt Chriſtum reſurrexíſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne. Incredíbile eſt mundum rem tam incredíbilem credidiſſe. Incredíbile eſt hómines ignóbiles, infimos pauciſſimos, imperítos, rem tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis perſuadére potuíſſe. Horum trium incredibíliũ primum nolunt illi, cum quibus ágimus, crédere: ſecúndum cogúntur & cérnere; quod non inveniunt unde ſit factum, ſi non credunt tértium. Reſurréctio certè Chriſti, & in cœlum cum carne in qua reſurréxit Aſcénſio, toto jam mundo prædicátur, & créditur. Si credíbilis non eſt, unde toto terrárum orbe jam crédita eſt? Si multi nóbiles, sublímes, docti, eam ſe vidíſſe dixérunt, & quod vidérunt diffamáre curárũt, eis mundum credidíſſe non mirum eſt; ſed iſtos adhuc crédere nolle perdúrum eſt. Si autem, ut verum eſt, paucis, obſcúris, mínimis, indóctis eam ſe vidíſſe dicéntibus & ſcribéntibus, crédidit mundus, cur pauci obſtinatíſſimi, qui remansérunt, ipſi mundo jam credénti adhuc uſque non credunt?

℟. Non omnes obédiunt Evangélio: Iſaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui noſtro? Numquid non audiérunt? * Et quidem in omnem terram exívit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. † Allelúia.

℣. Creávit illis ſciéntiam Spíritûs, & ſenſu implévit cor illórum, ut magnália enárrent óperum ejus. * Et quidem. Gloria.. ✝ Allelúia. *Rom.* 10. 16. 18. *Eccli.* 17. 6. 8.

Ad Benedictus *Ant. t.* 4. *E.* Miſit illos prædicáre regnum Dei, & ſanáre infírmos, allel. *Luc.* 9. 2.

Oratio.

DEus, qui Apóſtolis tuis ſanctum dedíſti Spíritum: concéde plebi tuæ piæ petitiónis efféctum; ut quibus dedíſti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem Spíritûs, &c. *CANON*

Ex Concílio Bituricénſi. *An.* 1584. *Tit.* 20. *de Confir.*

NOn offerántur ad ſacraméntum Confirmatiónis, niſi qui séptimum annum attígerint, ut Symbolum fídei per ſe profitéri poſſint. Moneántur omnes confirmándi, ut ante hujus ſacraménti ſuſceptiónem, peccáta confiteántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *C.* Convocátis Jeſus duódecim Apóſtolis, dedit illis virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent, allel. *Luc.* 9. 1.

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

Pſalmi ex 1. *Noct. Feriæ.*

Incipit Epíſtola tértia beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. v. 1. *ad finem.*

SEnior Gaïo charíſſimo, quem ego díligo in veritáte. Charíſſime, de ómnibus oratiónem fácio próſperè te íngredi, & valére, ſicut próſperè agit ánima tua. Gavíſus ſum valdè veniéntibus frátribus, & teſtimónium perhibéntibus veritáti tuæ, ſicut tu in veritáte ámbulas. Majórem horum non hábeo grátiam, quàm ut áudiam fílios meos in veritáte ambuláre. Charíſſime, fidéliter facis quidquid operáris in fratres, & hoc in peregrínos, qui teſtimónium reddidérunt charitáti tuæ in conſpéctu Eccléſiæ: quos, benefáciens, dedúces dignè Deo. Pro nómine enim ejus profécti ſunt, nihil accipiéntes à Géntibus. Nos ergo debémus ſuſcípere hujúſmodi, ut cooperatóres ſimus veritátis. Scripsíſſem fórſitan Eccléſiæ: ſed is, qui amat primátum gérere in eis, Diótrephes, non récipit nos. Propter hoc ſi vénero, commonébo ejus ópera, quæ facit, verbis malígnis gárriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant; neque ipſe ſúſcipit fratres; & eos qui ſuſcípiunt, próhibet, & de Eccléſia éjicit. Charíſſime, noli imitári malum, ſed quod bonum eſt. Qui benéfacit, ex Deo eſt: qui maléfacit, non vidit Deum. Demétrio teſtimónium rédditur ab

omnibus, & ab, ipſa veritate, ſed & nos teſtimoniū per hibémus: & noſti quóniam teſtimónium noſtrum verum eſt. Multa hábui tibi ſcríbere: ſed nólui per attraméntum & cálamum ſcríbere tibi. Spero autem prótinus te vidére, & os ad os loquémur. Pax tibi. Salútant te amíci. Salúta amícos nominátim.

℟. Quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum, nobis revelávit per Spíritum ſuū: * Spíritus enim ómnia ſcrutatur, étiam profúnda Dei, allel. ℣. Sapiéntia & fortitúdo ejus ſunt: ipſe revélat profúnda, & abſcóndita. * Spíritus. 1. *Cor.* 2. 9. 10. *Dan.* 2. 20. 22.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio ij. in Pentec. Orat. 44.

PRimùm Spíritus ſanctus in angélicis & cœléſtibus Virtútibus vim ſuam exerébat. Deínde in Pátribus & Prophétis, quorum álii Deum per imáginem vidérunt, aut cognovérunt, álii autem étiam res futúras præſciérunt. Tum in Chriſti diſcípulis: iiſque trifáriam (prout ipsórum captus ferébat) tribúſque tempóribus; nempe ántequam Chriſtus per paſſiónem glorificátus eſſet, poſtquam per Reſurrectionē glorificátus fuit, ac dénique poſt ejus ad cœlos Aſcenſiónem. Hoc autem perſpícuè oſténdit, tum prima illa morbórum ſpirituúmque depúlſio, quæ ſcílicet non abſque Spíritûs númine fiebat: tum illa poſt confectum ſalútis noſtræ negótium inſufflátio, quæ divinióris procul dúbio inſpiratiónis ſpécimen habébat; tum poſtrémò præſens hæc igneárum linguárum divíſio, quam étiam ſolémni feſto celebrámus. Verū primò quidem obſcúrè, ſecúndò expréſſiùs, nunc verò perféctiùs, utpote qui non jam operatióne ſolâ præſens ſit, ut priùs; ſed eſſentiali, ut ſic loquar, modo adſit, ſimúlque versétur. Nam cùm Fílius corpóream nobíſcum conſuetúdinem habuíſſet, Spíritum quoque corpóreo modo cerni conveniébat. Atque in diſpertítis linguis appáret, ob gratiárum diverſitátem: ſedéntibus autem, propter régiæ dignitátis excelléntiam, ejúſque ſuper ſanctos requiétem.

℟. Prophétis qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt revelátum eſt, quia non ſibimetípſis, vobis autem miniſtrábant ea, * Quæ nunc nuntiáta ſunt per eos qui evangelizavérunt, Spíritu ſancto miſſo de cœlo, allel. ℣. A ſæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparáſti expectántibus te. * Quæ nunc. 1. *Petr.* 1. 10. 12. *Iſ.* 64. 4.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 5. v. 17.

IN illo témpore; Factum eſt in una diérum, & Jeſus ſedébat docens. Et erant Phariſæi ſedéntes, & legis doctóres, qui vénerant ex omni caſtéllo Galilææ: & virtus Dómini erat ad ſanándum eos. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

Comment. in Matth. Cap. 8. Num. 6.

MOvet Scribas remíſſum ab hómine peccatum: hóminem enim tantùm in Jeſu Chriſto contuebántur. Et remíſſum eſt ab eo, quod lex laxáre non póterat; fides enim ſola juſtíficat. Deínde murmuratiónem eórum Dóminus introſpicit, dicítque fácile eſſe Fílio hóminis in terra peccáta dimíttere. Verùm enim nemo poteſt dimíttere peccáta, niſi ſolus Deus: ergo qui remíttit, Deus eſt; quia nemo remíttit, niſi Deus, Deus in hómine manens, curatiónem hómini præſtábat: & nulla ei agéndi & loquéndi erat difficúltas, cui ſubeſt totum poſſe quod loquitur: porrò autem ut ipſe eſſe in córpore póſitus intélligi poſſet, qui & ánimis peccáta dimítteret, & reſurrectiónem corpóribus præſtáret, ait: Ut ſciátis quóniam Fílius hóminis habet poteſtátem in terra dimíttere peccáta, ait Paralytico: Surge. Sed quia omnis erat perficiéndi óperis rátio explicánda adjécit: Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Primùm remiſſiónem tríbuit peccati; dehinc virtútem reſurrectiónis oſténdit, tum ſublatióne léctuli infirmitátem ac dolórem corpóribus dócuit abfutúram: poſtrémò réditu in domum própriam, iter in Paradíſum credéntibus eſſe redhibéndum.

℟. Conveniébant turbæ multæ ut audírent, & curaréntur ab infirmitátibus ſuis: & Jeſus ſedébat docens; * Et virtus Dómini erat ad ſanándum eos. ✝ Allel. ℣. Recordátus eſt Dóminus pópuli ſui, póſuit in médio ejus Spíritum ſancti ſui. * Et virtus. Glória. ✝ Allel. *Luc.* 5. 15. 17. *Iſ.* 63. 11.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *F.* Fílius hominis habet poteſtátem in terra dimitténdi peccáta, allel. *Luc.* 5. 24.

Oratio.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti, quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis; Per... in unitáte ejúſdem, &c.

C A N O N

Ex Actis Ecclésiæ Mediolanénſis.

Part. 4. *Tit.* 11.

MOneátur pópulus, ut ſtatis illis quátuor

anni tempóribus, & privátim in ſuis quiſque ædibus, & públicè in Eccléſia oret; ad Litanias conveniat, Deum precatúrus pro iis qui Ordinis ſacraménto initiántur.

Ad Magnif. *Ant. t. 6. f.* Omnes magnificábant Deũ, dicéntes: Quia vídimus mirabília hódie, allelúia. *Luc.* 5. 26.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

Pſalmi ex 1. *Noct. Sabb.*

Incipit Epiſtola canónica beáti Judæ Apóſtoli.

Lect. j. v. 1. *ad* 9.

JUdas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacóbi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervátis, & vocátis. Miſericórdia vobis, & pax, & cháritas adimpleátur. Chariſſimi, omnem ſollicitúdinem fáciens ſcribéndi vobis de commúni veſtra ſalúte, neceſſe hábui ſcríbere vobis: déprecans ſupercertári ſemel tráditæ ſanctis fídei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judícium) ímpii, Dei noſtri grátiam transferéntes in luxúriam, & ſolum Dominatórem & Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum negántes. Commonére autem vos volo, ſciéntes ſemel ómnia, quóniam Jeſus pópulum de terra Ægypti ſalvans, ſecúndò eos, qui non credidérunt, pérdidit: angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principátum, ſed dereliquerunt ſuum domicílium, in judícium magni diei, vínculis ætérnis ſub calígine reſervávit. Sicut Sodoma, & Gomórrha, & finítimæ civitátes símili modo exfornicátæ, & abeúntes poſt carnem álteram, factæ ſunt exémplum, ignis ætérni pœnam ſuſtinentes. Simíliter & hi carnem quidem máculant, dominationem autem ſpernúnt, majeſtátem autem blaſphémant.

℟. Non vocávit nos Deus in immundítiam, ſed in ſanctificatiónem: * Qui étiam dedit Spíritum ſuum ſanctum in nobis, allelúia. ℣. Deus creávit ſapiéntiam in Spíritu ſancto, & effúdit illam ſuper omnem carnem, & præbuit illam diligéntibus ſe. * Qui étiam. 1. *Theſſ.* 4. 7. 8. *Eccli.* 1. 9. 10.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio ij. Serm. 3. *de Pentec.*

VErè múltiplex Spíritus, qui tam multiplíciter fíliis hóminum inſpirátur, ut non ſit qui ſe abſcóndat à calore ejus: ſíquidem concéditur eis ad uſum, ad mirácuũ, ad ſalutẽ, ad auxíliũ, ad ſolatiũ, ad fervórẽ. Ad uſum quidem vitæ, bonis & malis, dignis páriter & indígnis commúnia bona abundantiſſimè tribuens. Ingrátus eſt qui in his quoque benefícium Spíritûs non agnóſcit.

Ad miráculum, in ſignis & prodigiis, in váriis virtútibus, quas per quorúmlibet manus operétur. Ipſe eſt antíqua mirácula ſuſcitans, ut ex præséntibus fidem áſtruat præteritórum. Sed quia nonnullis hanc quoque grátiam ſine própria utilitate largitur, tértiò infúnditur ad ſalútem, cùm in toto corde noſtro revértimur ad Dóminum Deum noſtrum. Porrò ad auxílium datur, cùm in omni colluctatione ádjuvat infirmitátem noſtram. Nam cùm teſtimónium pérhibet ſpirítui noſtro, quòd filii Dei ſumus; inſpiratio eſt ad conſolatiónem. Datur étiam ad fervórem, cùm in córdibus perfectórum vehementiùs ſpirans, válidum ignem charitátis accéndit; ut non ſolum in ſpe filiórum Dei, ſed étiam in tribulationibus gloriéntur, contuméliam, glóriam reputantes. Omnibus nobis, ni fallor, datus eſt Spíritus ad ſalútem, ad fervórem non ita. Pauci enim ſunt qui hoc Spiritu repleantur; pauci qui ſtúdeant æmulári.

℞. Diviſiónes gratiárum ſunt; idem autem Spíritus: unicuique datur manifeſtátio Spíritûs ad utilitátem. * Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, allel. ℣. Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra, quia miſiſti Spíritum tuum, & creáta ſunt. * Hæc autem. 1. *Cor.* 12. 4. 7. 11. *Judith.* 16. 17.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 31.

In illo témpore; Deſcéndit Jeſus in Caphárnaum civitátem Galilææ, ibíque docebat illos sábbatis. Et ſtupébant in doctrína ejus, quia in poteſtáte erat ſermo ipsíus. Et réliqua.

Homilia ſancti Ambróſii Epiſcopi.

In Luc. Lib. 4. *Num.* 57. & 63.

Vide cleméntiam Dómini Salvatóris: nec indignatióne commótus, nec ſcélere offénſus, nec injúriâ violátus, Judæam déſerit: quin étiam ímmemor injúriæ, memor cleméntiæ, nunc docéndo, nunc liberándo, nunc ſanándo, infidæ plebis corda demúlcet. Et bene ſanctus Lucas virum ab ſpíritu nequítiæ liberátũ ante præmíſit, & ſubſtituit fœminæ ſanitátem: utrúmque enim ſexum Dóminus curatúrus advénerat: & prior ſanári débuit, qui prior creatus eſt; nec prætermítti illa quæ mobilitáte magis ánimi, quàm pravitate peccáverat.... Fortaſſis étiam in typo mulieris illius ſocrus Simónis & Andréæ, variis críminum febribus caro noſtra languébat, & diversárum cupiditátum immódicis æſtuabat illecebris. Nec minórem febrem amóris eſſe dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus in-

flámmat. Febris enim noſtra avarítia eſt; febris noſtra libído eſt; febris noſtra ambítio eſt; febris noſtra iracúndia eſt.

℟. Non ſecúndùm carnem ambulámus, ſed ſecúndùm ſpíritum: qui enim ſecúndū carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſápiunt: qui verò ſecúndùm ſpíritum ſunt, quæ ſunt ſpíritûs séntiunt: * Nam prudéntia carnis, mors eſt; prudéntia autem ſpíritûs, vita & pax. † Allel. ℣. Spíritus ſanctus diſciplínæ effúgiet fictū, & áuferet ſe à cogitatiónibus, quæ ſunt ſine intelléctu. * Nam. Glória. † Allelúia. *Rom.* 8. 4. 5. 6. *Sap.* 1. 5.

Ad Bened. *Ant.* *t.* 1. *D.* Colloquebántur ad ínvicem, dicéntes: Quid eſt hoc verbum, quia in poteſtáte & virtúte ímperat immúndis ſpirítibus, & éxeunt? allelúia. *Luc.* 4. 36.

Oratio.

MEntibus noſtris, quæſumus, Dómine, Spíritum ſanctum benígnus infúnde; cujus & ſapiéntiâ cónditi ſumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum... in unitáte ejúſdem. &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 23. *de Reform. Cap.* 8.

ORdinatiónes ſacrórum Ordinum ſtatútis à jure tempóribus, ac in Cathedráli Eccléſia, vocatis præſentibúſque ad id Eccléſiæ Canónicis, públicè celebrentur.

PROPRIUM SANCTORUM.

PARS VERNA.

FESTA FEBRUARII.

DIE IV.

SANCTI ISIDORI, Presbyteri & Peluſiotæ Solitarii.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Preſbyteri.

Oratio. Deus, qui ad plebis, *pag.* xxxv.

DIE V.

S. AGATHÆ, Catanenſis Virginis & Martyris.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Virginis.

Oratio. Deus, qui inter cætera, *pag.* lj.

DIE VI.

S. VEDASTI, Ex Presbytero Tullenſi Epiſcopi Attrebatenſis.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Pontif. *Oratio.* Da Eccleſiæ, *pag.* xxiv.

DIE VII.

S. ROMUALDI, Abbatis, & Camald. Monach. Inſtitutoris.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Abbatis.

Oratio. Omnipotens ſempiterne, *pag.* xl.

DIE VIII.

S. JOANNIS De Matha, Presbyteri, & Inſtitutoris Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Monachi.

Oratio.

DEus, qui beato Joanni Presbytero ac sociis zelum fideles redimendi captivos infudiſti: da ſervis tuis

illam córporis & ánimæ libertátem, quâ Chriſtus nos liberavit; Qui tecum vivit & regnat, &c.

Die ix.

S. APOLLONIÆ, Alexandrinæ Virginis & Martyris.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Virginis.

Oratio. Deus, qui inter cætera, *pag.* lj.

Die x.

S. SCOLASTICÆ, Caſſinenſis Virginis.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Virginis.

Oratio. Omnípotens ſempitérne, *pag.* lj.

Die xviii.

S. SIMEONIS, Epiſcopi Hieroſolymitani.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Pontificis.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Die xxi.

S. GUNDELBERTI, Ex Senonenſi Epiſcopo Monachi Tullenſis.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Pontificis.

Oratio. Da Eccléſiæ, *pag.* xxiv.

FESTA MARTII.

Die iv.

S. CASIMIRI, è Polonia Laici.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Juſti.

Oratio.

DEus, qui inter regáles delícias & mundi illécebras, ſanctum Caſimírum virtúte conſtántiæ roboráſti; quæſumus, ut ejus interceſſione, fidéles tui terréna deſpíciant, & ad cœléſtia ſemper aſpírent; Per Dóminum noſtrum.

Die iv.

SS. PERPETUÆ, & Felicitatis, & Sociorum Martyrum Carthaginénſium.

Commemoratio per Antiphonam de Communi plurium Martyrum.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine Deus noſter, Perpétuæ, Felicitátis, Revocáti, Saturníni, Secúnduli, & Sátyri Mártyrum triúmphos inceſſábili devotióne venerári, ut quos digná mente non poſſumus celebráre, humílibus ſaltem frequentémus obséquiis; Per Dominum noſtrum.

Die ix.

S. FRANCISCÆ, Viduæ Romanæ.

Commemor. per Antiph. de Comm. unius ſanctæ Mulieris.

Oratio. Tuórum corda, *pag.* lvij.

SS. QUADRAGINTA Militum Sebaſtienſium Martyrum.

Commemoratio per Antiphonam de Communi plurium Martyrum.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui glorioſos Mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóvimus, pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus; Per Dóminum noſtrum.

Die xvii.

S. PATRICII, Hibernorum Apoſtoli.

Commemoratio per Antiphonam de Communi unius Pontificis.

Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Die xix.

S. JOSEPH, Sponſi beatæ Mariæ Virginis.

Duplex j. Claſſis.

Solemne - Minus.

Si hoc Feſtum incidat in Dominicam Quadrageſimæ, transfertur in diem ſequentem: ſi cadat in majorem Hebdomadam, celebratur tantùm poſt Octavam Paſchæ.

AD I. VESPERAS.

Joſeph benedictionibus prævenit Dominus.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. *irr.* JAcob génuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. *Matth.* 1. 16.

Ant. t. 3. *a.* Fuit Dóminus cum Joſeph, & miſértus illíus, dedit ei grátiam. *Gen.* 39. 21.

Ant. t. 4. *E.* Oculus Dei reſpéxit illum in bono, & eréxit eum ab humilitáte ipſíus, & exaltávit caput ejus. *Eccli.* 11. 13.

Ant. t. 7. *C.* Lætificábit illum, & denudábit abſcónſa ſua illi. *Eccli.* 4. 20. 21.

Ant. t. 8. *c.* Benedictiónes confortátæ ſunt benedictiónibus patrum ejus; donec veníret deſidérium cóllium æternórum. *Gen.* 49. 26.

Capitulum. Eccli. 27. 9.

SI ſequáris juſtítiam, apprehéndes illam; & índues quaſi podérem honóris, & inhabitábis cum ea, & próteget te in ſempitérnum.

℟. Deus non derelínquet miſericórdiam ſuam, & non corrúmpet, nec delébit ópera ſua, neque perdet à ſtirpe nepótes eléčti ſui: * Dedit réliquum Jacob, & David de ipſa ſtirpe. ℣. Cùm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. * Dedit. Glória. * Dedit. *Eccli.* 47. 24. 25. *Matth.* 1. 18.

Hymnus. *Ex Sant. Victor.*

REgum progénies, Isácidum decus,
Feſto te célebrent cármine cónjuges,
Certatímque ferant cándida vírgines
Sponſo lília Vírgini.

Tu, Joséphe, novi lux nova
fœderis:
Tu cuſtos sóciæ Vírginis
ínteger:
Tu ſanctæ thálamo cónju-
gis ábſtinens,
Tu Chriſti tamen es Pa-
ter.
Alto progéniem quam bene
créditam
Servas conſilio, depóſitum
Dei!
Tecum pervígiles cœlítuũ
Pater
Curas júraque dívidit.
Artus invalidum tu púerum
foves,
Infantíque Deo pábula
ſúfficis;
Et formáta Dei te ſine, de
tuis
Creſcunt membra labóri-
bus.
Sint qui mille tubis úndique
pérſonent,
Adventáſſe Deum qui
pópulos regat:
Tu commíſſa tibi non vio-
lábili
Velas ſacra ſiléntio.
Sit laus ſumma Patri, súm-
maque Fílio,
Sit par, alme, tibi glória,
Spíritus,
Qui fœcúnda facis víſcera
Vírginis,
Illábens útero Deus.
Amen.

℣. Super ſalutáre tuum, Dómine, ℟. Exultábit vehe-ménter. *Pſ.* 20. 1.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Oſténdit tibi Deus ómnia. Numquid ſapientiórem, & consimilem tuî invenîre póterο? Tu eris ſuper domum meam. *Gen.* 41. 39. 40.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Fit Comm. de Quadrageſima in utriſque Veſp. & in Laudib.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Púerum Jeſum, Maríæ & Joſeph súbditũ, * Veníte, adorémus. *Luc.* 2. 51.

Pſalmus 94. Veníte, *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Joſeph deſtinatur Mariæ ſponſus.

Ant. t. 1. *f.* Nemo in terra ut Joſeph, qui natus eſt homo, firmaméntum gentis, ſtabiliméntum pópuli. *Eccli.* 49. 16. 17.

In Pſalm. 1. Beátus vir qui non ábiit, *pag.* 2.

Ant. t. 3. *E.* Accépit uxórem ſtirpis ſuæ, quæ concépit, & péperit fílium. *Exod.* 2. 1. 2.

In Pſalm. 8. Dómine, Dóminus, *pag.* 25.

Ant. t. 4. *E.* Omnis ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

In Pſalm. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 121.

℣. Lætentur omnes qui ſperant in te, Dómine; ℟. Quóniam tu benedíces juſto. *Pſ.* 5. 12. 13.

De Libro Numerórum.

Lectio j. Cap. 36. *v.* 5. *ad* 11.

MOyſes fíliis Iſrael, Dómino præcipiénte, ait: Hæc lex ſuper filiábus Salphaad à Dómino promulgáta eſt: Nubant quibus

volunt, tantùm ut ſuæ tribûs homínibus: ne commiſceatur poſséſſio filiórũ Iſrael de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxóres de tribu & cognatióne ſua: & cunctæ fœminæ de eâdem tribu marítos accípient; ut hæréditas permáneat in famíliis, nec ſibi miſceántur tribus; ſed ita máneant ut à Dómino ſeparátæ ſunt.

℟. Legem mandávit Móyſes in præcéptis juſtitiárum, & hæreditátem dómui Jacob, & Iſrael promiſſiónes: * Póſuit David púero ſuo excitáre regem ex ipſo fortíſſimum, & in throno honóris ſedéntem in ſempitérnum. ℣. Miſſus eſt Angelus ad Vírginem deſponsátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Vírginis María, & dixit. * Póſuit. *Eccli.* 24. 33. 34. *Luc.* 1. 26. 27. 28.

De Libro Eccleſiáſtici.

Lectio ij. Cap. 25. *v.* 11. *ad* 17.

BEátus qui hábitat cum muliere sensáta, & qui linguâ ſuâ non eſt lapſus, & qui non ſervívit indígnis ſe. Beátus, qui invénit amícum verum, & qui enárrat juſtítiam auri audiénti. Quàm magnus qui invénit ſapiéntiam, & ſciéntiam! Sed non eſt ſuper timéntem Dóminum. Timor Dei ſuper ómnia ſe ſuperpóſuit: beátus homo, cui donátum eſt habére timórem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilábitur? Timor Dei inítium dilectiónis ejus: fídei autem inítium agglutinándum eſt ei.

℟. Noli diſcédere à mulíere ſensáta & bona, quam ſortítus es in timóre Dómini: * Grátia enim verecúndiæ illíus ſuper aurum. ℣. Joſeph vir Maríæ, cùm eſſet juſtus, vóluit occúltè dimíttere eam. Angelus Dómini appáruit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam. * Grátia. *Eccli.* 7. 21. *Matth.* 1. 19. 20.

Lectio iij. Cap. 26. 1. *v. ad* 4. *&* 16. *ad* 21.

MUlíeris bonæ beátus vir: númerus enim annórum illíus duplex. Múlier fortis obléctat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. Pars bona, múlier bona, in parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis... Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum ſuum, & oſſa illíus impinguábit. Diſciplína illíus, datum Dei eſt. Múlier ſensáta & tácita, non eſt immutátio erudítæ ánimæ. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta. Omnis autem ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ.

℟. Mulíeris bonæ beátus vir: * Pars bona, múlier bona, † In parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. ℣. Joſeph, ſicut præcépit ei Angelus Dómini,

accépit Maríam cónjugem ſuam. * Pars. Glória. ✝ In parte. *Eccli.* 26. 1. 3. *Matth.* 1. 24.

IN II. NOCTURNO.

Angeli mandato obſequens Joſeph fugit in Ægyptum cum puero Jeſu.

Ant. t. 4. *E.* Sapiéntia probatiónem indúcet ſuper illum, donec tentet eum, & credat ánimæ illíus. *Eccli.* 4. 19.

In Pſalm. 22. Dóminus regit me, *pag.* 51.

Ant. t. 7. *C.* Prófugum juſtum dedúxit per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. *Sapient.* 10. 10.

In Pſal. 23. Dómini eſt terra, *pag.* 31.

Ant. t. 8. *C.* Honeſtávit illum in labóribus, & complevit labóres illíus. *Sapient.* 10. 10.

In Pſal. 33. Benedícam Dóminum, *pag.* 72.

℣. Non dabit in ætérnum Dóminus. ℟. Fluctuatiónem juſto. *Pſ.* 54. 23.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. Hom. 2. ſuper Miſſus eſt. n. 16.

QUis & qualis homo fúerit beátus Joſeph, cónjice ex appellatióne, quâ, licèt diſpenſatóriâ, méruit honorári à Deo, ut pater Dei & dictus, & créditus ſit: cónjice & ex próprio vocábulo (quod augméntum non dúbites interpretári.) Simul & meménto magni illíus quondam Patriarchæ vénditi in Ægypto; & ſcito ipsius iſtum non ſolùm vocábulum fuíſſe ſortítum, ſed & caſtimóniam adéptum, innocéntiam aſſecútum & grátiam.

℟. Audivit Deum per viſiónem noctis vocántem ſe, & dicéntem ſibi: Deſcénde in Ægyptum: * Ego deſcéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem.

℣. Angelus Dómini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Ego deſcéndam. *Gen.* 46. 2. 3. 4. *Matth.* 2. 13.

Lectio v.

SIquidem ille Joſeph fratérna ex invídia vénditus & ductus in Ægyptum, Chriſti venditiónem præfigurávit: iſte Joſeph Herodiánam invídiam fúgiens, Chriſtum in Ægyptum portávit. Ille dómino ſuo fidem ſervans, dóminæ nóluit commiſcéri: iſte dóminam ſuam Dómini ſui matrem, Vírginem agnóſcens, & ipſe cóntinens fidéliter cuſtodívit. Illi data eſt intelligĕtia in myſtériis ſomniórum: iſti datum eſt cónſcium fíeri atque partícipem cœléſtium ſacramentórum.

℟. Intéllige, fili hóminis; conſúrget rex ímpudens fácie; * Et dirigétur dolus in manu ejus & occídet plúrimos. ℣. Futúrum eſt enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. * Et di-

rigétur. *Dan.* 8. 17. 23. 25. *Matth.* 2. 13.

Lectio vj.

ILle fruménta ſervávit non ſibi, ſed omni pópulo: iſte panem vivum è cœlo ſervándum accépit tam ſibi, quàm toti mundo. Non eſt dúbium quin bonus & fidélis homo fúerit iſte Joſeph, cui mater deſponsáta eſt Salvatóris. Fidélis, inquam, ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuæ matris ſolátium, ſuæ carnis nutrítium, ſolum dénique in terris magni consílii coadjutórem ſibi fideliſſimum.

℟. Vir juſtus atque perféctus fuit, * Cum Deo ambulávit: & † Fecit ómnia quæ præcéperat illi Deus. ℣. Consúrgens Joſeph accépit Púerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi uſque ad óbitum Heródis. * Cum Deo. Glória. † Fecit ómnia. *Gen.* 6. 9. 22. *Matth.* 2. 14. 15.

IN III. NOCTURNO.

Ad primum Dei juſſum promptus Joſeph, reducit Puerum Jeſum in terram Iſrael.

Ant. t. 5. *A.* Tu velut Fílius Altíſſimi obédiens: miſerébitur tuî magis quàm mater. *Eccli.* 4. 11.

In Pſal. 51. Quid gloriáris in malítia. *pag.* 52.

Ant. t. 1. *irr.* Eſt Deus in cœlo, revélans myſtéria, qui indicávit tibi ſómnium tuũ, & viſiónes. *Dan.* 2. 28.

In Pſalm. 65. Jubiláte Deo, omnis terra, pſalmum, *pag.* 54.

Ant. t. 2. *d.* Beátus vir, qui in ſapiéntia morábitur, & in ſenſu cogitábit circumſpectiónem Dei. *Eccli.* 14. 22.

In Pſalm. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *pag.* 30.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſ.* 36. 31.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. C. 1. 18.

CUm eſſet deſponsáta mater Jeſu María Joſeph, ántequam conveníerent, invénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epíſcopi.

De nupt. & concup. Lib. 1. *Cap.* 11.

NOn falláciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph: Noli timére accípere Maríã cónjugem tuam. Conjux vocátur ex prima fide deſponſatiónis ... propter quod fidéle conjúgium, paréntes Chriſti vocári ambo meruérunt; & non ſolùm illa mater, verùm étiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus; utrúmque mente, non carne. Sive tamen ille pater ſolâ mente, ſive illa mater & carne, paréntes tamen ambo humilitátis ejus, non ſublimitátis; infirmitátis, non divinitátis. Neque enim

mentítur Evangélium, ubi légitur: Et erant pater ejus, & mater mirántes ſuper his quæ dicebántur de illo. Et álio loco: Et ibant paréntes ejus per omnes annos in Jerúſalem. Item paulò poſt: Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego doléntes quærebámus te.

℟. Dicénte ſibi Dómino: Revértere in terram patrum tuórum, & ad generatiónem tuam; ómnia quæ præcépit tibi Deus, fac. * Surréxit, & ábiit. ℣. Defúncto Heróde, Angelus appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael. * Surréxit. *Gen.* 31. 3. 16. 17. *Matth.* 2. 19. 20.

Lectio viij.

AT ille, ut oſténderet habére ſe præter illos Patrem, qui eum génuit præter matrem, reſpondit eis: Quid eſt quòd me quærebátis? Neſciebátis quia in his quæ Patris mei ſunt opórtet me eſſe? Et rurſum, ne hoc dicto paréntes illos negáſſe putarétur, Evangeliſta ſecútus adjúnxit: Et ipſi non intellexérunt verbum quod locútus eſt ad illos: & deſcéndit cum eis, & venit Názareth, & erat súbditus illis. Quibus súbditus, niſi paréntibus? Quis autem ſúbditus, niſi Jeſus Chriſtus, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe æquális Deo? Cur ergo illis ſúbditus, qui longè infra ſormam Dei erant, niſi quia ſemetípſum exinanívit, formam ſervi accípiens, cujus formæ paréntes erant?

℟. Amantíſſimus Dómini habitábit confidénter in eo; * Quaſi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiéſcet. ℣. Conſúrgens Joſeph, accépit Púerum, & venit in terram Iſrael; & véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth. * Quaſi. *Deuter.* 33. 12. *Matth.* 2. 21. 23.

Pro Lectione 9. Hom. in Evangelium. Feriæ in Quadrageſimæ.

℟. Intrans in domum meã conquiéſcam cum ſapiéntia; * Non enim habet amaritúdinem convérſátio illíus, nec tædium convíctus illíus, ſed lætítiam & gáudium. ℣. Amícus ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gáudio gaudet propter vocem ſponſi; hoc gáudium meum implétum eſt. * Non enim. Glória. * Non enim. *Sap.* 8. 16. *Joan.* 3. 29.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quàm in quærendo puero Jeſu ſollicitus Joſeph.

℣. *Sacerdot.* Gloria & divítiæ in domo ejus; ℟. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 111. 3.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. *d.* REvérſi ſunt paréntes Jeſu in Galilæam in civitátem ſuam

Názareth ; & ibant per omnes annos in Jerúſalem in die ſolémni Paſchæ. *Luc.* 2. 39. 41.

Ant. t. 4. E. Aſcendéntibus illis Jeroſólymam , cùm redirent, remánſit puer Jeſus in Jerúſalem , & non cognovérunt paréntes ejus. *Luc.* 2. 42. 43.

Ant. t. 5. a. Regréſſi ſunt in Jerúſalem , requiréntes eum ; & poſt tríduum invenérunt illum in templo , ſedéntem in médio Doctórum. *Luc.* 2. 45. 46.

Ant. t. 6. f. Dixit mater Jeſu ad illum : Fili , quid feciſti nobis ſic ? ecce pater tuus , & ego doléntes quærebámus te. *Luc* 2. 48.

Ant. t. 8. c. Deſcéndit Jeſus cum eis , & venit Názareth : & erat súbditus illis. *Luc.* 2. 51.

Capitulum, Cant. 3. 2, 4.

SUrgam , & circuíbo civitátem : per vicos & pláteas quæram quem díligit ánima mea ; quæsívi illum , & non invéni ; páululùm cùm pertransíſſem , invéni quem díligit ánima mea ; ténui eum ; nec dimíttam.

℣. Lætificábis eum in gáudio ℟. Cum vultu tuo , Dómine. *Pſ.* 20. 7.

Ad Benedíct. *Ant. t. 7, a.* Servus meus in omni domo mea fideliſſimus eſt; ore enim ad os loquor ei , & palàm Dóminum videt. *Num.* 12. 7. 8.

Oratio.

CUſtódi nos , Dómine , protectióne perpétuâ , qui beátum Joſeph Unigénito tuo nutrítium , & Virgini matri cuſtódem providíſti ; Per eúmdem , &c.

Ad Horas br. Hymni , & Pſalmi de Dominica: Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Tob. 10. 3.

COepit contriſtári ipſe, & uxor ejus cum eo : & cœpérunt ambo ſimul flere ; eò quòd minimè reverteréntur Filius eórum ad eos.

℟. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi : * Rénuit conſolári ánima mea ; anticipavérunt vigílias óculi mei : † Deus , in ſancto via tua. ℣. Requirébant Jeſum paréntes ejus inter cognátos & notos : & non inveniéntes , regréſſi ſunt in Jerúſalem , requiréntes eum. * Rénuit conſolári. Glória. † Deus. *Pſ.* 76. 3. 5. 14. *Luc* 2. 44. 45.

℣. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum , ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Pſ.* 23. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 6. 13.

SApiéntia vidétur ab his qui díligunt eam , & invenítur ab his qui quærunt illam.

℟. *br.* Exquisívi Dóminum , * Et exaudívit me. Exquisívi. ℣. Et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit

me. * Et exaudívit. Glória. Exquiſivi. *Pſ.* 33. 5.

℣. Non dereliquíſti ℟. Quærentes te, Dómine. *Pſ.* 9. 11.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 8. 9.

PRopóſui ſapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum: ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei.

℟. *br.* Adimplébis me lætítiâ Cum vultu tuo. Adimplébis. ℣. Delectatiónes in déxtera tua. * Cum vultu. Glória. Adimplébis. *Pſ.* 15. 11.

℣. Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; ℟. Quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear. *Pſ.* 15. 8.

AD II. VESPERAS.

Quàm magnus Joſeph quem Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi, Laudáte Dóminum, omnes gentes. *pag.* 82.

Ant. t. 7. *a.* QUis, putas, eſt fidélis diſpenſátor & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſupra famíliam ſuam? *Luc.* 12. 42.

Ant. t. 4. *E.* Non eſt invéntus ſímilis illi, qui conſervávit legem Excélſi; & fuit in teſtaménto cum illo. *Eccli.* 44. 20.

Ant. t. 5. *a.* Ambulávit coram Dómino in veritáte, & in corde perfécto. 4. *Reg.* 20. 3.

Ant. t. 6. *f.* Qui cuſtos eſt Dómini ſui, glorificábitur. *Prov.* 27. 18.

Ant. t. 8. *g.* Beátus ille ſervus; quóniam ſuper ómnia bona ſua conſtítuet eum Dóminus. *Matth.* 24. 46. 47.

Capitulum. Prov. 4. 8. 9.

EXaltábit te ſapiéntia: glorificáberis ab ea, cùm eam fúeris amplexátus: dabit cápiti tuo augménta gratiárum, & corónâ ínclytâ próteget te.

HYMNUS.

Ex Sanct. Vict.

MAtris intáctæ venerán-
de conjux,
Teſtis & cuſtos nívei pu-
dóris,
Quid Deo plenam medi-
táris anceps
Linquere ſponſam?
Anxium, cœlo tibi miſſus
Ales
Firmat; hinc Virgo tibi
viſa major:
Mente ſedátâ, modò naſ-
citúrum
Numen adóras.
Vix puer natus; redit ecce
præceps
Núntius patri; Fuge, di-
xit, infans
Quæritur, matrem Pue-
rúmque tutas
Transfer in oras.
Tu nihil contrà, per opáca
noctis
Prótinus matrem Pue-
rúmque transfers.
Dírigit greſſus, aperít-
que calles,
Dum ſilet, infans.
Ora mox ſolvet, Solymam

per urbem
Quem dolens quæres comitánte matre:
Hunc, ſenes inter, Púerum ſtupébis
Mira loquéntem.
Anxias mentes, tenebríſque merſas
Chriſtus illúſtret, Patris ipſe ſplendor:
Nos inoffénſo pede ducat aſtris,
Sémita factus:
Noſtra te ſummum célebrent Paréntem
Ora, te ſummo Génitum Parénte;
Par ſit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Conſtituit eum dóminum domûs ſuæ, ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Invénit gratiam coram Dómino ſuo, & miniſtrábat ei, à quo præpóſitus gubernábat créditam ſibi domum. *Gen.* 39. 4.

Oratio ut ſuprà.

Si hoc Feſtum transferatur poſt Paſcha, Officium fiet hoc modo, ad 1. *Veſp.* 1. *Antiph. de Veſperis cum* Allelúia. *Reliqua ut in Officio. Ad Officium Nocturn. Invitat. ut ſupra addendo* Allelúia. *Antiphonæ* ℟. ℟. ℟. *& Pſalmi ex uno Nocturno juxta Rubricam: pro prima Lectione ſumitur Lectio prima Scripturæ in Officio. Pro* 2. *ſumitur prima Lectio de Sermone S. Bernardi, & pro* 3. *ſumitur prima Lectio de Homilia ex* 3. *Nocturno:*

Ad ℟. *&* ℣. *additur* Allelúia, *juxta Rubricam pro Tempore Paſchali.*

Die xxv.

ANNUNTIATIO B. M. V. et Incarnatio Domini.

Duplex. 1. *Claſ.*
Solemne majus.

Si hoc Feſtum venerit in majori Hebdomada vel intra hebdomadam Paſchæ, transfertur in Feriam ſecundam poſt Dominicam in albis, & Officium ordinabitur ut dicetur infrà.

AD I. VESPERAS.

Liberatoris adventum deprecatur Eccleſia.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. *irr.* Uſcita, Dómine, prædicatiónes quas locúti ſunt in nómine tuo Prophétæ prióres. *Eccli.* 36. 17.

Ant. t. 5. *a.* Utinam dirúmperes cœlos, & deſcénderes! Ecce, réſpice, pópulus tuus omnes nos. *Iſ.* 64. 1. 9.

Ant. t. 4. *E.* Exáudi, Dómine; atténde, & fac: ne moréris propter temetípſum, Deus meus. *Dan.* 9. 19.

Ant. t. 2. *d.* Emítte Agnum Dñe dominatórem terræ, de petra desérti ad montem fíliæ Sion. *Iſ.* 16. 1.

Ant. t. 3. *E.* Dabis, Deus, veritátem Jacob, miſericór-

diam Abraham; quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antiquis. *Mich.* 7. 20.

Capitulum. Ezech. 12. 28.

HÆc dicit Dñus Deus: Non prolongábitur ultrà omnis ſermo meus: verbum quod locútus fúero, complébitur.

℟. Eleváte ſignum ad pópulos: Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ; * Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit; ecce merces ejus cum eo. ℣. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, & gémitum eorum audívi, & deſcéndi liberáre eos. * Dícite. Glória. * Dícite. *Iſ.* 62. 10. 11. *Act.* 7. 34.

HYMNUS.

Ex Sanct. Vict.

HÆc illa ſolémnis dies,
Dies ſalútis núntia,
Quâ miſſa cœlo, tríſtibus
Venére terris gáudia.

Uníus omnes crímine,
Caſu gravi lapſi ſumus:
Ut ipſe lapſos érigat,
Deſcéndit in terras Deus.

Qui Patris ætérno ſinu
Ætérna Proles náſcitur,
Obnóxius fit témpori,
Sinum nec horret Vírginis.

Mortále corpus índuit,
Orbi piando víctimam;
Ut innocénti ſánguine,
Scelus nocéntum díluat.

Qui cuncta complet Númine,
Noſtros ſe in artus cólligit:
Ut nos redúcat ad Deum,
Eſt ipſe nobiſcum Deus.

Mundo Redémptor qui venis
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec minor tibi
Laus, utriúſque Spíritus. Amen.

℣. Tu exúrgens miſeréberis Sion; ℟. Quia tempus miſeréndi ejus. *Pſ.* 101. 14.

Ad Magnif. Ant. t. 3. *a.* Pópule meus, & tribus mea, audíte: Propè eſt Juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus. *Iſ.* 51. 4. 5.

Oratio ut infrà in Laudibus.

COMPLETORIUM

ut in Quadrageſima.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Verbum caro factum eſt; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 14.

IN I. NOCTURNO.

Proxima annuntiatur ſalus.

Pſalmi de parvo Officio B. M. V.

Ant. t. 1. *a.* Juxtà eſt ſalus mea ut véniat, & juſtítia mea ut revelétur. *Iſ.* 56. 1.

Ant. t. 5. *F.* Propè eſt tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. *Iſ.* 14. 1.

Ant. t. 3. *E.* Dabo in Sion ſalútem, & in Iſrael glóriam meam. *Iſ.* 46. 13.

℣. Deſcéndet ſicut plúvia in vellus; ℟. Et ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram. *Pſ.* 71. 6.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 10. *ad* 16.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pe-

te tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis eſt moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium: & vocábitur nomen ejus, Emmanuel: bútyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & elígere bonum.

℞. Adéſſe feſtínant témpora: judicábit Dóminus pópulum ſuum, & * In ſervis ſuis miſerébitur. ℣. Sicut locútus eſt per os ſanctórum, qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus.* In ſervis. *Deut.* 32. 35. 36. *Luc.* 1. 70.

Lectio ij. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 6.

ET egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcendet; & requieſcet ſuper eum Spíritus Dómini, Spíritus ſapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus ſciéntiæ & pietátis; & replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non ſecúndùm viſiónem oculórum judicábit, neque ſecúndum audítum áurium árguet; ſed judicábit in juſtítia páuperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris ſui, & ſpíritu labiórum ſuórum interficiet ímpium. Et erit juſtítia cíngulum lumbórũ ejus, & fides cinctórium renum ejus.

℞. Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum: * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. ℣. Promíſit qui non mentítur, Deus, ante témpora ſæculária. * De fructu. *Pſ.* 131. 11. *Tit.* 1. 2.

Lectio iij. Cap. 35. *v.* 1. *ad* 7.

LÆtabitur desérta & ínvia, & exultabit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans: glória Líbani data eſt ei; decor Carméli, & Saron; ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas, & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére: ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis; Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt: tunc ſáliet ſicut cervus, claudus; & apérta erit lingua mutórum; quia ſciſſæ ſunt in desérto aquæ, & torréntes in ſolitúdine; & quæ erat árida, erit in ſtagnum, & ſítiens, in fontes aquárum.

℞. Viſus procul, apparébit in finem, & non mentiétur: ſi moram fécerit, expécta illum, quia * Véniens

véniet, & non tardábit. ℣. Implétum eſt tempus, & appropinquávit regnū Dei. * Véniens. Glória. * Véniens. *Hab.* 2. 3. *Marc.* 1. 15.

IN II. NOCTURNO.

De adveniente Salvatore ad gaudium invitatur Sion.

Ant. t. 4. *E.* Excútere de púlvere, consúrge; ſede, Jerúſalem: ſolve víncula colli tui, captíva fília Síon. *Iſ.* 52. 2.

Ant. t. 5. *a.* Hæc dicit Dóminus: Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argénto redimémini. *Iſ.* 52. 3.

Ant. t. 6. *F.* Sciet pópulus meus nomen meum: quia ego ipſe qui loquébar, ecce adſum. *Iſ.* 52. 6.

℣. Læténtur cœli, & exúltet terra, ℟. A fácie Dómini, quia venit. *Pſ.* 95. 11. 13.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *Lectio iv. Serm.* 21. *de Nat. Dominic. Cap.* 1.

DEus omnípotens & clemens, cujus natura bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia eſt, ſtatim ut nos diabólica malígnitas venéno ſuæ mortificávit invídiæ, præparáta renovándis mortálibus ſuæ pietátis remédia inter ipſa mundi primórdia præſignávit; denúntians ſerpénti futúrum ſemen mulíeris, quod nóxii cápitis elatiónem ſuâ virtúte contéreret; Chriſtum ſcílicet in carne ventúrum: Deum hominémque ſigníficans, qui natus ex Vírgine, violatórem humánæ propáginis incorrúptâ nativitáte damnáret.

℟. Lauda, & lætáre, fília Sion: quia ecce vénio, & habitábo in médio tui: & applicabúntur gentes multæ, * Et erunt mihi in pópulum. ℣. Inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus. * Et erunt. *Zach.* 2. 10. 11. 2. *Cor.* 6. 16.

Lectio v.

NAm quia gloriabátur diábolus hóminem ſuâ fraude decéptum divínis caruíſſe munéribus, & immortalitátis dote nudátum duram mortis ſubiíſſe ſenténtiam, ſeque in malis ſuis quoddam de prævaricatóris consórtio inveníſſe ſolátium; Deum quoque juſtè, ſeveritátis exigénte ratióne, erga hóminem, quem in tanto honóre condíderat, antíquam mutáſſe ſenténtiam: opus fuit, dilectíſſimi, ſecréti diſpenſatióne consílii, ut incommutabilis Deus, cujus volúntas non poteſt ſuâ benignitate privári, primam pietátis ſuæ diſpoſitiónem ſacramento occultióre compléret; & homo diabólicæ iniquitátis verſútiâ actus in culpam, contra Dei propoſitum non períret.

℟. Indúere fortitúdine tuâ, Sion, induere veſtiméntis glóriæ tuæ, cívitas

Sancti : quia * Non adjíciet ultrà ut pertránſeat per te immúndus. ℣. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs. * Non adjíciet. *Iſ.* 52. 1. *Joan.* 12. 31.

Lectio vj. Cap. 2.

ADveniéntibus ergo tempóribus, dilectíſſimi, quæ redemptióni hóminum fúerant præſtitúta, ingréditur hæc ínfima Jeſus Chriſtus Fílius Dei, de cœléſti ſede deſcéndens, & à patérna glória non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in ſuis, visíbilis factus eſt in noſtris; incomprehensíbilis, vóluit comprehéndi; ante témpora manens, eſſe cœpit ex témpore; univerſitátis Dóminus, ſervílem formam, obumbrátâ majeſtátis ſuæ dignitáte, ſuſcépit: impaſsíbilis Deus non dedignátus eſt homo eſſe paſsíbilis; & immortális, mortis légibus ſubjacére. Novâ autem nativitáte génitus eſt, concéptus à Vírgine, natus ex Vírgine, ſine patérnæ carnis concupiſcéntiâ, ſine matérnæ integritátis injúria: quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui in ſe habéret humánæ ſubſtántiæ natúram, & humánæ carnis inquinaménta neſcíret.

℟. Speret Iſrael in Dómino; quia apud Dóminum miſericórdia; & copióſa apud eum redémptio: & ipſe * Rédimet Iſrael, ex ómnibus iniquitatibus ejus. ℣. Ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. * Rédimet. Glória. * Rédimet. *Pſ.* 129. 6. 7. 8. *Matth.* 1. 21.

IN III. NOCTURNO.

Quanta in Verbi incarnatione miracula.

Ant. 1. 6. *f.* Mirabília ópera Altíſſimi: glorióſa & inviſa ópera illíus. *Eccli.* 11. 4.

Ant. 1. 2. *d.* Audiéntes áuribus noſtris admirábimur; illìc præclára ópera. *Eccl.* 43. 26. 27.

Ant. 1. 5. *F.* Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te; quóniam fecíſti mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles, Amen. *Iſ.* 25. 1.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum; ℟. Quia mirabília fecit. *Pſ.* 97. 1.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1. 26.

IN illo témpore; Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem deſponsátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Vírginis, María. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 2. *in Luc. n.* 1.

LAtent quidem divína myſtéria, nec fácilè juxta prophéticum dictum quiſquam hóminum poteſt ſcire

conſilium Dei; ſed tamen ex cæteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris poſſumus intelligere & hoc propenſióris eſſe consílii, quòd ea potiſſimum elécta eſt ut Dóminum páreret, quæ erat deſponsáta viro. Cur autem non ántequam deſponſarétur impléta eſt? Fortáſſe ne diceretur quòd concéperat ex adultério. Et bene utrúmque pósuit Scriptúra, ut & deſponsáta eſſet, & Virgo. Virgo, ut expers virílis consórtii viderétur; deſponsáta, ne temerátæ virginitátis adurerétur infámiâ. Máluit autem Dóminus áliquos de ſuo ortu, quàm de matris pudóre dubitáre; ſciébat enim téneram eſſe Vírginis verecúndiam, & lúbricam famam pudóris: nec putávit ortûs ſui fidem matris injúriis aſtruéndam. Servátur itaque ſanctæ Maríæ ſicut pudore íntegra, ita inviolábilis opinióne virginitas; opórtet enim ſanctos & ab his teſtimónium habére qui foris ſunt: nec décuit ſiniſtrâ virgínibus opinióne vivéntibus velámen excuſatiónis relínqui, quòd infamáta mater quoque Dómini viderétur.

℟. Creávit Dóminus novum ſuper terram: * Fœmina circúmdabit virũ. ℣. Quia non erit impoſsíbile apud Deum omne verbum. * Fœmina. *Jerem.* 31. 22. *Luc.* 1. 37.

Lectio viij. n. 8. 9. 15. *&* 16.

Et ingréſſus ad eam Angelus dixit: Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedícta tu inter mulíeres. Ipſa autem ut vidit eum, mota eſt in intróitu ejus. Diſce Vírginem móribus, diſce Vírginem verecúndiâ, diſce Vírginem oráculo, diſce myſtério. Trepidáre Vírginum eſt, & ad omnes viri ingréſſus pavére, omnes viri affatus veréri. Diſcant mulíeres propóſitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, ſolus Angelus reperíret; ſola ſine cómite, ſola ſine teſte; ne quo degéneri depravarétur affatu, ab Angelo ſalutátur... Soli Maríæ hæc ſalutátio ſervabátur: bene enim ſola grátiâ plena dícitur, quæ ſola grátiam, quam nulla ália merúerat, conſecúta eſt, ut grátiæ replerétur auctóre. Hódie primùm audítur: Spíritus ſanctus ſupervéniet in te. Et audítur, & créditur. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini; contíngat mihi ſecúndùm verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancillam ſe dicit Dómini, quæ Mater elígitur; nec repentíno exaltáta promiſſo eſt. Simul ancíllam dicéndo, nullam ſibi prærogatívam tantæ grátiæ vindicávit, quæ fáceret quod juberétur.

rétur. Mitem enim humilémque paritúra, humilitátem débuit etiam ipſa præferre.

℟. Conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: * Parávit bráchium ſanctum ſuū in óculis ómnium géntium: & vidébunt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri. ℣. Ut adimplerétur quod dictum eſt à Dómino per Prophétam: Ecce Virgo in útero habébit, & páriet filium. * Parávit bráchium. *Iſ.* 52. 9. 10. *Matth.* 1. 22. 23.

Lectio 9. de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis.

℟. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion: * Quàm pulchri ſunt ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: † Regnábit Deus tuus! ℣. Ait Angelus Maríæ: Páries Fílium: hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Quàm pulchri. Glória. † Regnábit. *Iſ.* 52. 7. 8. *Luc.* 1. 30. 31. 32. Te Deum.

AD LAUDES.

Incarnationis hiſtoria, & Mariæ gloria ex Evangelio.

℣. *Sacerdot.* Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo, ℟. In generatiónem, & generatiónem. *Pſ.* 88. 2.

Pſalmi de Dominica.

Ant. t. 4. E. MIſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Vírginem deſponsátam viro, & nomen Vírginis, María. *Luc.* 1. 26. 27.

Ant. t. 3. A. Ingréſſus Angelus ad eam dixit: Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: Benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Ant. t. 5. F. Ne tímeas, María, inveníſti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries Fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. *Luc.* 1. 30. 31.

Ant. t. 6. F. Spíritus.

CANTICUM. *Iſa.* 49. & 51.

LAudáte, cœli, & exúlta, terra: * jubiláte, montes, laudem;

Quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, * & páuperum ſuórum miſerébitur.

Et dixit Sion: Dereliquit me Dóminus, * & Dóminus oblítus eſt meî.

Numquid oblivíſci poteſt múlier infántem ſuum, * ut non miſereátur fílio úteri ſui?

Et ſi illa oblíta fúerit, * ego tamen non oblivíſcar tuî.

Ecce in mánibus meis deſcrípſi te: * muri tuî coram óculis meis ſemper.

Venérunt ſtructóres tuî: * deſtrúentes te, & diſſipántes à te exíbunt.

Et ſcies quia ego Dóminus, * ſuper quo non confundéntur qui expéctant eum.

Et ſciet omnis caro, quia ego Dóminus ſalvans te, * & redémptor tuus fortis Jacob.

Conſolábitur ergo Dómi-nus Sion, * & conſolábitur omnes ruínas ejus:

Et ponet desértum ejus quaſi delícias, * & ſolitúdi-nem ejus quaſi hortum Dómini.

Gáudium & lætítia inveniétur in ea, * gratiárum áctio & vox laudis.

Atténdite ad me, pópule meus; * & tribus mea, me audíte:

Quia lex à me éxiet, * & judícium meum in lucem populórum requiéſcet.

Propè eſt Juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus, * & bráchia mea pópulos judicábunt.

Glória Patri, &c.

Ant. Spíritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi, & quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1. 35.

Ant. t. 7. *a.* Dixit María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi ſecúndùm verbum tuū. *Luc.* 1. 38.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 9.

IN hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Fílium ſuum Unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

℣. Quid eſt homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum? *Pſ.* 8. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis. *Joan.* 1. 1. 14.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per eúmdem, &c.

Fit comm. de Feria Quadrag.

Ad Horas br. Antiph. de Laud. Hymni & Pſalmi de Dominica.

In fine Hymnorum dicitur Doxologia ſequens.

Mundo Redémptor qui venis
  Fili, tibi laus máxima
Cum Patre; nec tibi minor
  Laus, utriúſque Spíritus.
  Amen.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Toletáno décimo.

Anno 656. *C.* 1.

NAtivitátis Domínicæ ſacrum, quo evidénter de útero Virgináli Verbum pródiit caro factum, abſque dúbio ſervat & témporis curſum, & ſpeciále diéi monuméntum. Si ergo Nativitátis & mortis incarnáti hujus Verbi dies, abſque im-

mutatióne, ita certus habétur, ut abſque diverſitáte in toto terrárum orbe ab omni Eccléſia concórditer celebrétur; cur non Feſtívitas glorióſæ Matris ejus eâdem obſervántiâ, uno ſimul ubíque die, ſimilíque habeátur honóre? Nam quid Feſtum eſt Matris, niſi Incarnátio Verbi? Cujus Feſtum ita debet eſſe ſolémne, ſicut eſt & ejúſdem Nativitátis Verbi.

AD TERTIAM.

Capitulum. Iſ. 7. 13. 14.

AUdíte, domus David: Dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus, Emmánuel.

℟. Reſpéxit Dóminus humilitátem ancíllæ ſuæ: * Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: † Quia fecit mihi magna qui potens eſt. ℣. In me ancílla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. * Ecce. Glória. † Quia. *Luc.* 1. 48. 49. *Judith.* 13. 18.

℣. Lætábor in miſericórdia tua, Dómine, ℟. Quóniam reſpexíſti humilitátem meam. *Pſ.* 30. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. Epheſ. 1. 9. 10.

PRopóſuit Deus in diſpenſatióne plénitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

℟. *br.* Memor fuit in ſæculum * Teſtaménti ſui. Memor. ℣. Verbi, quod mandávit in mille generatiónes. * Teſtaménti. Glória. Memor. *Pſ.* 104. 8.

℣. Redemptiónem miſit pópulo ſuo; ℟. Mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum. *Pſ.* 110. 9.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 3. 16.

MAgnum eſt pietátis ſacraméntum, quod manifeſtátum eſt in carne, juſtificátum eſt in ſpíritu, appáruit Angelis, prædicátum eſt géntibus, créditum eſt in mundo.

℟. *br.* Sanctificávit tabernáculum ſuum * Altíſſimus. Sanctificávit. ℣. Deus in médio ejus. * Altíſſimus. Glória. Sanctificávit. *Pſ.* 45. 5. 6.

℣. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, ℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſrael. *Pſ.* 97. 3.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi de parvo Officio B. M. V.

Ant. 1. 4. *E.* QUæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt, hanc Deus adimplévit fíliis noſtris. *Act.* 13. 32. 33.

Ant. 1. 5. *F.* Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium ſuum unigénitũ daret. *Joan.* 3. 16.

Ant. 1. 6. *F.* Ubi venit plenitúdo témporis, miſit Fílium ſuum factum ex mulíere. *Gal.* 4. 4.

Ant. 1. 7. *D.* Cùm in for-

ma Dei eſſet, ſemetípſum exinanívit formam ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminũ factus. *Philip. 2. 6. 7.*

Ant. t. 3. E. Nuſquam Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ; unde débuit per ómnia frátribus ſimilári. *Hebr. 2. 16. 17.*

Capitulum. 1. Joan. 4. 10.

IN hoc eſt cháritas: non quaſi nos dilexérimus Deum, ſed ipſe prior diléxit nos, & miſit Fílium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

COeléſtis Ales núntiat
Impléada mox myſtéria:
Virtúte fœcúndâ Deus
Illápſus implet Vírginem.
Qualis ſtupéndo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Concéptus in tuo Sinu
Natus Deo, nunc eſt tuus.
De virginali sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingénte ſancto Spíritu,
Chriſti caro compíngitur.
Nobis per hanc mortálibus
Lactéſcit eſca cœlitum:
Nos paſcit infántes homo,
Qui paſcit Angelos Deus.
Deus, ſupréma Véritas,
Umbráta velo córporis,
Puris vidénda méntibus,
Luſtra tuo nos lúmine.
Et tu, tuórum ſis memor,
Quæ, dum modéſto péctore
Te dicis ancillam Dei,
Regina mundi díceris.
Mundo Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriúſque Spíritus
Amen.

℣. In humilitáte noſtra memor fuit noſtri Dóminus: ℟. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. *Pſ. 135. 23.*

Ad Magnif. *Ant. t. 6. F.* Pater miſit Fílium ſuum Salvatórem mundi: Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. *1. Joan. 4. 14. 19.*

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

Commemoratio de Feria Quad.

Compl. ut per Quadrag.

IN ANNUNT. B. M. V. ET INCARNATIONE DOMINI.

Tempore Paſchali.

Omnia, exceptis quæ ſequuntur, ut in præced. Officio, addendo ſemel Allelúia *in fine Antiph.* ℣. ℟. *& bis* Allelúia *in* ℟. *br.*

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Dominica, ſub Antiph. prima tantùm de primis Veſp. Officii præcedentis: cætera ut ad Veſperas. Completorium ut in Tempore Paſchali.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. ut ſuprà, addendo Allelúia: *Antiphonæ, Pſalmi,* ℣. *&* ℟. ℟. ℟. *ex 1. Nocturno Officii præcedentis. Pro Lectione prima, ſumitur, Lectio 1. Iſaia ex 1. Noct. pro 2. Lec-*

tione ſumitur 1. Lectio 2. Noct. Serm. ſancti Leonis: pro 3. Lectione ſumitur Evangelium & 1. Lectio Homil. ex 3. Noct.

Ad Laudes, Horas breves & Veſperas omnia ut ſuprà.

FESTA APRILIS.

Die ii.

S. FRANC. DE PAULA, Institutoris Ord. Minim.

Simplex.

Si hoc Feſtum occurrat in Quadrageſima, de eo fit tantùm commemoratio: ſi tempore Paſchali evenerit, de eo fiet Officium ut in Communi unius Monachi. Oratio.

DEus humílium celſitúdo, qui beátum Francíſcum Sanctórum tuórum glóriâ ſublimáſti; tríbue, quæſumus, ut ejus méritis & imitatióne, promíſſa humílibus præmia felíciter conſequámur; Per, &c.

Duæ primæ Lectiones ex Script. occurr. 2. & 3. in unam junctis.

Lectio iij.

Ex ejus vita apud Boll.

FRancíſcus Paulæ in Calábria natus, paréntes hábuit génere húmiles, virtúte nobilióres, à quibus infans in pietáte Chriſtiána inſtitútus eſt. Hi, ut votum ſólverent, quo Deo eum ſpopónderant, in uno ſancti Francíſci cœnóbio trédecim annos natum obtulére. Poſt annum ibi exáctum, nullâ profeſſióne emíſſâ, Spíritu Dei actus ſecéſſit in éremum, ubi per annos ſex, victu quidem áſperam, ſed cœléſtium meditatióne ſuávem vitam duxit. Revérſus in pátriam, conſtrúctâ prope Paulam Eccléſiâ, illic primùm Ordinis ſui póſuit fundaméntum, confluéntibus ad eum diſcípulis, quos ex illa humilitáte, quam ſummópere colébat, Mínimos nuncupári vóluit. Quam iníerat ab adoleſcéntiâ vitæ ratiónem, ténuit ad últimam uſque ſenectútem; labóris, vigiliárum, ac inédiæ uſque adeò pátiens, ut ſemel tantùm in die, idque ad ſolis occáſum reficerétur, ad panem & aquam áliquid vix ádhibens Quadrageſimális obsónii: quam conſuetúdinem ut ſui Ordinis fratres toto anni témpore retinérent, quarto eos voto aſtrínxit. A Ludovíco undécimo Francórum Rege miraculórum famâ cógnitus, & expetítus, ad eum ex juſſu Sixti quarti ſe cóntulit; ipsíque Regi rogánti ut illíus ad Deum précibus ſibi vita producerétur, abſque fuco & aſſentatióne reſpóndit, Reges ſicut & cæteros hómines, eſſe morti débitos, &

à nullo eum præteríri vitæ términum quem Deus conſtitúerit. Nec minùs inde apud Regem accéptus, quippe qui ſancti hóminis, ut vocábat, virtútem venerátus, ei Pleſſíaci in Turónibus Monaſtérium conſtrúxit. Ibi Francíſcus mortis ſuæ præſcius, die Cœnæ Dómini inter Miſſárum ſolémnia, effúſis ubértim lácrymis, ſacro præmunítus Viático, ac poſtrídie auditâ, ut optáverat, Domínicæ paſſiónis lectióne, quâ horâ Chriſtus pro nobis ánimam póſuit, eâdem & ipſe ſuam Deo réddidit, anno ſalútis milléſimo quingentéſimo séptimo: quem mirácu-lis illúſtrem Leo décimus in Sanctórum númerum rétulit.

Die IV.

S. ISIDORI, Hispalensis Episc.

Simplex. Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xxij.

Lectio iij. Si Feſtum illud celebretur poſt Paſcha, dicetur pro 3. Lectione ſequens. Ex Braul. Cæſaraug. Epiſc. ejus diſcipulo, Ildefons. Tolet. Epiſc. & Concil. Tolet. 8. & aliis.

ISidórus Carthagonóvæ in Hiſpánia natus, ſancti Leándri Hiſpalénſis Epíſcopi frater & diſcípulus, magiſtri ſui in doctrína & pietáte nóbilis æmulus, ab eo, non carnis & sánguinis ſuaſióne, ſed virtútum prétio Presbyter ordinári méruit. Tum sédulum fratri ſuo ſe junxit operárium, qui cum illo Paſtorális múneris curas divíderet, & ónera. Ariánam hæreſim à Gothis in Hiſpánias diſſeminátam expugnáre, cultûs divíni ordináre ſolémnia, Eccleſiáſtici Officii ritus compónere, ad Cánonum régulas, Cleri mores inſtitúere, ſumma ipſi res fuit, & labor aſsíduus. His dives méritis, mórtuo fratre, ad ſedem Hiſpalénſem evéctus, in altióri loco viſus eſt dúmtaxat póſitus, ut ſciéntiæ ſuæ & virtútum ómnium luce lóngiùs ſplendéſceret. Ut autem plebis ſibi commíſſæ fidem, & mores túriùs excóleret, nil utílius judicávit, quàm ſi ſcholáres Cléricos in aſsídua erúdiens Scriptúræ ſacræ, ſanctórum Patrum, & Cánonum lectióne, matúrè Paſtóres præparáret, qui Eccléſiis ſuis ſapiénter regéndis ſufficerent. Nec minùs de reguläri Monachórum vitâ ſollícitus, ipſis trádidit régulam, quam pro loci varietáte uniuſcujúſque víribus mirabíliter attemperávit. Concílio præfuit Hiſpalénſi ſecúndo, & Toletáno quarto; tantámque in iis quæ ſancíta fuére ad diſciplínæ reſtauratiónem utiliſſima, partem hábuit, ut in rebus fidei & morum, magíſtri nomen toto Hiſpaniárum orbe fúerit conſecútus. Multis tandem ad Dei glóriam, & Eccléſiæ decus peráctis, &

ſcriptis, óbiit anno ſexcentéſimo trigéſimo ſexto.

Die xiii.

S. JUSTINI ROMÆ MARTYRIS.

Simplex Oratio. Præſta, quæſumus, *pag.* xj.

Commem. S. Hermenegildi in Hiſpania Martyris.

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

(*Si Feſtum hoc incidat poſt Octavam Paſchæ*) *prima Lectio de Script. occurr. tribus in unam collectis.*

Lectio ij de S. Juſtino.

Ex Euſeb. Lib. 4. *Hiſt. Cap.* 11. *Hieron. Vir. ill. Cap.* 23. *ipſius ſcriptis, & ex ejus actis apud Ruinart.*

Juſtínus, cui jure mérito Mártyris títulus, quaſi ſpeciális quædam prærogatíva tribúitur, quippe qui non sánguine ſolùm (quod ſanè ipſi cum áliis plúrimis commúne eſt,) ſed étiam verbis & ſcriptis Chriſtiánæ fídei teſtimónium perhibúerit, eámque à Gentílium Judæórum, & hæreticórum calúmniis acérrimè vindicáverit; is Neápoli, urbe Samariæ quæ Syris prímitùs Sichem dicta, ortus eſt, acris vir ingénii, memóriæ fácilis, boni conſtantíſque judícii. Ab humanióribus lítteris ad Philoſóphiæ ſtúdia totum ſe tránsferens, poſt perluſtrátas ómnium ferè Philoſophórũ ſectas, in Platónica ſúbſtitit; donec à ſene quodam venerándo melióra edóctus, brevi in Chriſtiána Philoſóphia magíſter eváſit, étiam ſub hábitu Philóſophi verbum Dei, & alta fídei myſtéria prædicans. Ineúnte impériũ Antoníno Pio, Romam proféctus, ut Chriſtianórum cauſam contra Gentílium calúmnias ágeret, Apológiam primam pro Chriſtiánis, Imperatóri ejúſque fíliis & Senátui Románo nuncupátam óbtulit. In Aſiam revérſus célebre ſuum cum Tryphóne Judæo hábuit collóquium. Inde Romæ cùm álteram pro fide Chriſtiána, Imperatóribus Marco Aurélio & Lúcio Vero obtulíſſet Apológiam, fraude & machinatiónibus Creſcéntis cujúſdam Philóſophi, quem audiéntibus plúrimis díſputans confutáverat, comprehénſus Juſtínus, coram Rúſtico Præſide ſíſtitur. Chriſtiáni nomen, & Chriſti fidem conſtánter proféſſus, cápite damnátur, & ad capitálem pœnam abdúctus, poſt vérbera ſecúri percúſſus, in Salvatóris confeſſióne tóties optátũ Martyrium conſummávit, anno Chriſti centéſimo ſexagéſimo ſéptimo.

Lectio iij. de S. Hermenegildo.

Ex Greg. Magno L. 3. *Dial. Cap.* 31. *Greg. Tur. Lib.* 5. *& 9. & ex Mariana apud Boll.*

Hermenegíldus Leovigíldi Viſigothórum Regis fílius, & à patre in partem regni aſſúmptus, ſancti

Leándri Hiſpalénſis Epiſcópi verbis & curis ab Ariána hæreſi ad Cathólicam fidem convérſus eſt, & ad omnem veræ pietátis actum informátus. Quâ re audítâ, excandéſcens pater Ariánus fílium nec minis, nec blandítiis victum, in cárcerem angúſtiâ atque ténebris hórridum trudit, mánibus ad collum revínctis. Ad cárceris ſqualórem, victûs & cultûs aſperitátem, addébat ipſe cilícii veſtem, quâ in lecto étiam pro ſtraguláta veſte utebátur, ánimo in rerum divinárum contemplatióne defíxus, cœlúmque ſuſpírans, quò ſe quàm primùm itúrum ſperábat. Superveniénte autem Paſchalis Feſtivitátis die ad fílium mittit pérfidus pater Ariánum Epiſcopum, qui ſuâ manu ſacrílegæ conſecratiónis communiónem vincto de more tráderet. Ille verbórum contuméliâ caſtigátum cùm à ſe repulíſſet, uſque ádeò patris exacerbávit ánimum, ut miſſis è veſtígio apparitóribus, ſecúri percutiendum mandárit: quod & factum eſt. Verùm pro oſtendéndâ Martyris glóriâ, ſupérna non defuére mirácula. Facti patrem pœnítuit, veram agnovit Cathólicam fidem, nec tamen ab Ariánis pártibus recédere auſus eſt, Gentis ſuæ timore pertérritus. Poſt ipsíus mortē Recarédus, fratrem Martyrem ſecútus, ſe totámque Gentem ad veram fidem ita perdúxit, ut nullum in ſuo regno militáre permíſerit, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæréticam pravitátem non timéret.

Die xvii.

S. ANICETI, Papæ.

Simplex.

Omnia de Communi unius Pontificis. Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex Iren. L. 3. Cap. 4. Euſeb. L. 5. Cap. 24. Hieron. de Script. Eccleſ. Cap. 17. &c.

ANicétus, quem Hegeſíppus antiquiſſimus Eccléſiæ hiſtoriógraphus, & ſanctus Irenæus médium in Sede Pontifícia Pium inter & Sotérem númerant, Románæ præerat Eccléſiæ, quando propter quaſdam de Páſchatis die quæſtiónes, ſub Imperatóre Antoníno Pio Romam venit ſanctus Polycarpus. Cum inter illos, ut ait Eusébius, de quibúſdam áliis rebus módica fuiſſet controvérſia, ſtatim mútuo pacis óſculo ſe compléxi ſunt, ſuper die Paſchæ non magnópere inter ſe contendéntes. Quare communicárunt ſibi invicem, & Anicétus in Eccleſia conſecrándi munus Polycarpo honóris causâ concéſſit: tandémque à ſe diſceſſérunt, mútua cum pace, & totíus Eccléſiæ communióne. Dum Eccléſiam régeret, invalére tentavérunt

tétur. Mitem enim humilémque paritúra, humilitátem débuit etiam ipſa præferre.

℟. Conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: * Parávit bráchium ſanctum ſuũ in óculis ómnium géntium: & vidébunt omnes fines terræ ſalutáre Dei noſtri. ℣. Ut adimplerétur quod dictum eſt à Dómino per Prophétam: Ecce Virgo in útero habébit, & páriet filium. * Parávit bráchium. *Iſ.* 52. 9. 10. *Matth.* 1. 22. 23.

Lectio 9. de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis.

℟. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion: * Quàm pulchri ſunt ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: † Regnábit Deus tuus! ℣. Ait Angelus Maríæ: Páries Filium: hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Quàm pulchri. Glória. † Regnábit. *Iſ.* 52. 7. 8. *Luc.* 1. 30. 31. 32. Te Deum.

AD LAUDES.

Incarnationis hiſtoria, & Mariæ gloria ex Evangelio.

℣. *Sacerdos.* Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo, ℟. In generatiónem, & generatiónem. *Pſ.* 88. 2.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. 4. *E.* Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo ad Vírginem deſponſátam viro, & nomen Vírginis, María. *Luc.* 1. 26. 27.

Ant. 2. 3. *A.* Ingréſſus Angelus ad eam dixit: Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Ant. 3. 5. *F.* Ne tímeas, María, inveníſti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries Fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. *Luc.* 1. 30. 31.

Ant. 4. 6. *F.* Spíritus.

CANTICUM. *Iſa.* 49. & 51.

Laudáte, cœli, & exúlta, terra: * jubiláte, montes, laudem;

Quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum,* & páuperum ſuórum miſerébitur.

Et dixit Sion: Dereliquit me Dóminus, * & Dóminus oblítus eſt meî.

Numquid oblivíſci poteſt múlier infántem ſuum, * ut non miſereátur filio úteri ſui?

Et ſi illa oblita fúerit, * ego tamen non oblivíſcar tuî.

Ecce in mánibus meis deſcrípſi te: * muri tuî coram óculis meis ſemper.

Venérunt ſtructóres tuî: * deſtrúentes te, & diſſipántes à te exíbunt.

Et ſcies quia ego Dóminus, * ſuper quo non confundéntur qui expéctant eum.

Et ſciet omnis caro, quia ego Dóminus ſalvans te, * & redémptor tuus fortis Jacob.

TUllénſem ſedem doctrínâ & ſanctitáte illuſtrávit undécimo ſæculo Leo Papa nonus, Bruno ántea vocátus, ex nobíliſſima Dapſburgénſi in Alsátia família prognátus, & Cæſárum affinis. Quinquénnis Berthóldo Tullénſi Epíſcopo lítteris & diſciplínis imbuéndus tráditur; qui creſcénte ætáte, tantis quoque profécit ſciéntiæ & virtútum increméntis, ut ejúſdem Eccléſiæ factus Canónicus, progréſſu témporis mórtuo Hermánno Præſuli, unánimi Cleri & pópuli voce, súffici merúerit. Quo in múnere dum omnes Paſtóris vigilantíſſimi partes adímplet, procul percrebreſcénte ipsíus famâ, ad Conrádum Imperatorem ejus conſanguíneum univérſa Cleri Románi vota deferúntur, quæ Brunónem ad navim Petri gubernándam expóſtulant. Orbis ígitur Chriſtiáni curas ampléxus, & toti mundo factus ſpectáculum, mirum quàm útilem Eccléſiæ labóribus & exémplis contúlerit óperam, pietáte gravis, móribus ínnocens, in páuperes benéficus, hoſpitális in peregrínos, in omnes benígnus, in vindicándis Eccleſiáſticis júribus conſtans, in reſtaurándis diſciplínæ ruínis aſſíduus, in extirpándis erróribus vígilans, nec umquam ab ómnium Eccleſiárum ſollicitúdine quiéſcens. Hinc id primum in votis hábuit, ut eligéndi Románum Pontíficem líberum jus Clero aſſéreret, & Sedem Apoſtólicam à Cæſárum reſtitúeret inveſtitúrâ. Convocátis Romæ, Páphiæ & Vercéllis in Itália, Remis in Gállia, Mogúntiæ in Germánia Concíliis, Simóniam & Simoníacos Epíſcopos arcére, decimárum uſum aſſerere, inceſtas núptias diſcíndere, Clericórum compónere mores, cultûs divíni ritus ordináre & ſolémnia, contra Berengárii ímpium dogma fidem Eccléſiæ aſtrúere totis conténdit víribus. Atque ut rectè ſancitórum aſſéreret obſervántiam, ínſuper & inter Chriſtiános príncipes pacem conciliáret, laudábiles firmáret Paſtóres, malos reprímeret, multas ípſemet invíſit Eccléſias, ac máximè ſuam Tullénſem, quam ádeò diléctam hábuit, ut Románus licèt Póntifex, Epíſcopi Tullénſis nec ſede, nec nómine cédere volúerit. Romam revérſus álterum advérsùs Fermentaccórum hæreſim convocávit Concílium, & Græcos Azimórum uſum calumniántes, múltaque advérsùs Eccléſiam Latínam mentítos luculentíſſimo, ut ait Wibértus, libéllo confutávit. Tum ut à radíce malum avélleret, célebres viros tres, Humbértum Sylvæ-cándidæ tunc Epíſcopum, Petrum Amalphitanórum Præſulem, & Fridericum Eccle-

fiæ Románæ Cancellárium, Conſtantinópolim Legátos mittit; qui vocáto ibi Concílio, calúmnióſum Nicétæ ſcriptum damnant, ipſum Nicétam pœniténtem ſuſcípiunt, Michaélem Conſtantinopolitánum Patriárcham contumácem, poſt excommunicatiónem depónunt, & aſſértis Eccléſiæ Románæ júribus, cum pacis ósculo, & imperatóriis donis revertúntur. Hæc & multa ália de Eccléſia bene méritus Leo, óbiit anno milléſimo quinquagéſimo quarto, tanto cum ſanctitátis odóre, & miraculórum nóminé, ut dies ipſamet fúneris, fúerit véluti ipſíus prima Feſtivitátis dies.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 24. 42.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcítis quâ horâ Dóminus veſter ventúrus ſit. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Epiſcopi Tulléнſis & Papæ.

Epiſt. undecimâ ad Joan. Archiep. Salern. Tom. 9. Conc. Labb.

OFfícium ſacerdotále aſſúmere, ſi interióri vigiLántiâ perpendámus, óneris eſt magis quàm honóris: quippe cui própria curáre non ſufficiat, niſi & ſalúbriter géſſerit aliéna. Nam ad hoc paſtorális regíminis curam aggréditur, ut aliórum in ſe ſollicitúdinem piâ proviſióne ſuſcípiat, ut in eórum ſe cuſtódiâ vigilánter diſpónat, ne noſtrâ fortè deſídiâ ínvidus hoſtis rábidâ (quod abſit) quémpiam fauce deglútiat, & eórum ad noſtram non immérito applicétur pœnam perdítio, qui commiſſos ſollícitâ cuſtodíre cautélâ neglígimus. Exhibeámus ergo quod dícimus, & quibus divíni diſpẽſatióne cõsílii præéſſe nos cóntigit, prodéſſe quantùm póſſumus, feſtinémus: ut dum créditor ratiónem nobíſcum poſitúrus advénerit, lucrum nos fecíſſe repériat, & ſuâ, ſicut promíſit, remuneratióne lætíficet.

Die xxi.

S. ANSELMI, CANTUARIENSIS EPIS.

Simplex. Oratio. Da Eccléſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex ejus vita ab Eadmero illius familiari ſcripta apud Hiſt. Eccl. Anglic.

ANſélmus, Augúſtâ urbe ad Alpínas radíces póſitâ, paréntibus non obſcúris ortus, jam à púero virtúti déditus, vitæ monáſticæ amans júvenis, ætáte maturióri Lanfráncum Prióren Beccénſem áudiit diſcípulus. Ibídem mónachum proféſſus, Prióris primò, deinde Abbátis, poſtrémò Archiepíſcopi Cantuariénſis dignitátem & onus, relúc-

tans licèt, ſubire cógitur. Quo in gradu multò magis enituérunt viri ex omni parte mirábilis doctrína, píetas, prudéntia, ac máximè invícta in tuéndis Eccléſiæ júribus conſtántia. Hinc factum eſt ut in offenſiónem tum Guillélmi Rufi Anglórum Regis, tum Henríci in regno ſucceſsóris incúrreret, & ab ipſis exílium cum bonórum addictióne paterétur. Romā profectus, in Concílio Barénſi ſummópere contra Græcos Eccléſiæ partes adjúvit. Pacátis utcúmque diſcórdiis, Londíni Concilium hábuit, in quo Henrícus ipſe ab injúſtè vindicátis ultrò déſtitit, multaque ſancita ſunt tum inſtaurándæ diſciplínæ, tum pravis úſibus tolléndis utiliſſima. Poſt ſedátam pénitus tempeſtátem, Cantuárii diútino languóre confectus, in pace óbiit anno ſalútis milléſimo centéſimo nono. Sciéntiam ejus exímiam libri, quos plúrimos édidit, comméndant.

DIE XXIII.

S. GERARDI, TULLENSIS EPISCOPI.

Duplex. I. Claſſ.

Solemne minus.

AD I. VESPERAS.

Superna Pontificis vocatio.

Pſalmi de Feria.

Ant. ſola. t. 5. F. Quæſívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum, allelúia. 1. *Reg.* 13. 14.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 27. 28.

HÆc dicit Dóminus... Elégi eum mihi in Sacerdótem, ut aſcénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incénſum, & portáret Ephod coram me.

℟. In omni ore quaſi mel indulcábitur ejus memória.* Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, † Allel. ℣. Hic eſt qui fuit in Eccléſia, qui accépit verba vitæ dare nobis. * Ipſe eſt. Glória. † Allel. *Eccl.* 49. 2. 3. *Actor.* 7 38.

HYMNUS.

CUm vacat Tulli viduáta ſedes,
Vota te poſcunt pópuli, Gerárde,
Quem ſibi primis píetas alúmnum
Finxit ab annis.

Quid times ſacris, veneránde Præſul,
Infulis ſanctam redimíre, frontem?
Sic Deus juſſit; fácilis precántum
Annue votis.

Annuit: læti cecinére cives;
Gaudet urbs; oris nova lux ſerénis
Ad novos fauſti radiáſſe viſa
Síderis ortus.

Ut gregis curas, trepidánte dextrâ,
Sumpſit, haud ceſſat vigiláre Paſtor;

Crédito ne quid rábie luporum
De grege perdat.
Fronte non aſper, fácilis, benígnus,
Voce non ſolâ docet: ipſa vultus
Blanda majěſtas pietátis almum
Afflat amórem.
Dum fames noſtram populátur urbem
Triſtis & vexat pópulos egéſtas,
Cháritas fundo melióre dives
Paſcit egénos.
In Dei cultum ſacra templa ponit,
Quot ſitu lapſæ réparat tot aras:
Indigis poſt ſe pateſácta fundat
Hóſpita tecta.
Chriſte, Paſtórum bonus ipſe Paſtor,
Qui greges paſcis próprio cruore,
Fac ut ætérnæ súbeant opíma
Páſcua vitæ. Amen.

℣. Elégit Dóminus ſervum ſuum, ℟. Páſcere Iſrael hæreditátem ſuam, allelúia. *Pſ.* 77. 70. 71.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Ipſe éxtruet templum Dómino; & portabit glóriam, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo, allelúia. *Zach.* 6. 13.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum, qui ſuſcitávit ſibi Sacerdótem fidelem,* Veníte, adorémus, allelúia. 1. *Reg.* 2. 35.

IN I. NOCTURNO.

Hunc nobis in ſua miſericordia dat Deus Pontificem.

Ant. t. 1. *D.* In fide & lenitáte ipsíus ſanctum fecit illum Dóminus, & elégit eum ex omni carne, allelúia. *Eccli.* 45. 4.

In Pſalm. 1. Beátus vir qui non ábiit. *pag.* 2.

Ant. t. 4. *E.* Státuit illi Dóminus teſtaméntum pacis, príncipem Sanctórum & gentis ſuæ, allelúia. *Eccli.* 45. 30.

In Pſ. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 121.

Ant. t. 8. *A.* In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ, allel. *Eccli.* 47. 9.

In Pſ. 98. Dóminus regnávit, iraſcántur, *pag.* 73.

℣. Exaltávi electum de plebe mea: ℟. Oleo ſancto meo unxi eum, allel. *Pſ.* 88. 20. 21.

De libro Eccleſiáſtici.

Lectio j. Cap. 50. 1. *ad* 8.

SAcérdos magnus in vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipſo fundáta eſt, duplex ædificátio, & excélſi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, & quaſi mare adimpléti ſunt ſupra modum. Qui curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. Qui prævâluit amplifica-

re civitátem, qui adéptus eſt glóriam in converſatióne gentis, & ingréſſum domûs & átrii amplificávit. Quaſi ſtella matutína in médio nébulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet; & quaſi ſol refúlgens, ſic ille effúlſit in templo Dei.

℟. Invéntus eſt perféctus, & juſtus: conſervávit legem Excélſi: * Ideò dedit illi Dóminus glóriam in gente ſua, allel. ℣. Fuit gratus Deo, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. * Ideò. *Eccli.* 44. 17. 20. 22. *Act.* 7. 20. 22.

Lectio ij.

Ex ejus vita, auctore Vindrico. Abb. S. Apri coævo.

GErárdus, Colóniæ Agrippínæ, nóbili ortus parentû proſápiâ, puer índolis exímiæ, in Baſilica ſancti Petri intra urbis mœnia, liberálibus imbuéndus diſciplínis, & Clericáli ſub órdine Chriſto ſervitúrus trádtiur. Ibi humánis & divínis informátus lítteris, nec ulli in utróque génere ſecúndus, ſimul rectis ita ſe ſtúduit ornáre móribus, ut à cunctis ſibi coævórum vítiis ſagáci perſtíterit curâ integérrimus. In illo Clericórum cœnóbio per ſíngulos ſacri officii gradus more aſcénderat Eccleſiaſtico, Cellárii miniſtério de-[redacted] víſctus; cùm, mórtuo ſancto Gauzelíno, orbáta Paſtóre Leucórum cívitas ad Brunónem Coloniénſem Epíſcopum, & magni Othónis germánum, per Legátos venit, Paſtórem expóſtulans, qui gregis mórtuum lugéntis damna resárciat. Re cum Clero à Brunóne perpénsâ, ex conſílio Decáni teſtántis idóneum ad hæc præ cæteris Gerárdum, virum, inquit, verâ humilitáte ſubjéctum, promptâ obediéntiâ clarum, longánimi patiéntiâ probatum, ad ínfulas Tulléńſes invítus pertráhitur, & perſonánte excípitur Leucórum plauſu. Nec lætos cives ſpes feféllit; quippe qui ómnibus exhibúerit ſe móribus caſtū, verbo poténtem, vultu benígnum, largum in páuperes, curâ diligéntem, ac inde Clero & plebi chariſſimum. Eccléſiæ igitur candelabro ſuperpóſitus, ſummi veſtígia Paſtóris æmulátur, modéſtus hábitu, menſâ frugális, cibo sóbrius; Eccleſiaſticis aſsíduus officiis, & à cœléſtium non-ceſſans rerum meditatióne, niſi ut ad verbi divíni miniſtérium, aut ad ália paſtoralis curæ tranſeat officia; nec minóri ſuper his exércitus bonórum óperum deſidério, mirum quàm ſollícitè sátagit civitátem ſuam óptimis muníre légibus, labentem in Monaſteriis diſciplínam reſtitúere, Eccléſiam ſuam Cathedrálem à fundaméntis erígere, & ópibus di-

táre, novam conſtrúere ſancti Gengúlphi Eccléſiam & Canóniam fundáre, ſancti Manſuéti cœnóbium lábili vetérno decíduum inſtauráre, ſancti Apri Monaſtérium novis adaugére cénſibus, Abbátiæ ſancti Deódati uberióra apud Imperatórem exoráre ſubsídia, insígni Noſocómio (quod in urbe vulgò Domus Dei dícitur) prædia ad aléndos páuperes aſſignáre, dénique divérſas Diœcéſis, aut urbis Eccléſias innúmeris propè cumuláre beneficiis. Poſt explétos tandē in óvium ſuárum curâ annos trigínta & ámpliùs, dum à curſu Officii matutíni ſólito, ad altáre ſancti Bláſii súbſidit, Pſalmum pro more decantatúrus, ſubito dolóris cápite corrípitur. Hinc delátus ad léctulum, ſacro reféctus Viático, inter devóti ſibi Cleri manus & lácrymas, felícem ad aſtra efflat ſpíritum, anno Chriſti nongentéſimo nonagéſimo quarto.

℟. Vidit pópulus glóriam, quam cogitábat facére genti ſuæ; & poſuérunt eum príncipem Sacerdótum, eò quòd ipſe fécerat juſtítiam, & fidem, quam conſervávit genti ſuæ, & * Exquisívit omni modo exaltáre pópulum ſuum, allel. ℣. In labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma juſtitiæ. * Exquisívit. 1. *Machab.* 14. 35. 2. *Cor.* 6. 5. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 24. 42.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcítis quâ horâ Dóminus veſter ventúrus ſit. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

In Matth. Cap. 26.

QUamquam in communéne nos ad indeféſſam vigilántiæ curam Chriſtus adhortétur; ſpeciálem tamen pópuli Princípibus, id eſt, Epíſcopis in expectatióne adventúque ſuo ſollicitúdinem mandat. Hunc enim ſervum fidélem atque prudéntem, præpóſitum famíliæ ſigníficat, cómmoda atque utilitátes commíſſi ſibi pópuli curántem. Qui ſi dicta áudiens, & præcéptis obédiens, id eſt, ſi doctrínæ opportunitáte & veritáte, infirma confírmet, diſrúpta consólidet, depraváta convértat, & verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ diſpéndat; atque hæc agens, hiſque ímmorans deprehendátur, glóriam à Dómino tamquam diſpensátor fidélis & víllicus útilis conſequétur, & ſuper ómnia bona conſtituétur, id eſt, in Dei glória collocábitur, quia nihil ſit ultrà, quod melius ſit.

℟. Quis eſt fidélis ſervus & prudens quem conſtítuit Dóminus ſuus ſuper famí-

ſiam ſuam, ut det illis cibum in témpore? * Beátus ille ſervus, quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem, † Allelúia. ℣. A Dómino ſuo præpóſitus ómnibus, gubernábat créditam ſibi domum. * Beátus. Glória. † Allel. *Matth.* 24. 45. *Gen.* 39. 4.

Te Deum.

AD LAUDES.

Diverſa enumerantur S. Pontificis opera.

℣. *Sacerdot.* Exáltent eum in Eccléſia plebis, ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum, allelúia. *Pſ.* 106. 32.

Pſalmi de Dominica.

Ant. t. 7. *a.* Sacérdos magnus in vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum, allelúia. *Eccli.* 50. 1.

Ant. t. 5. *F.* Templi altitúdo ab ipſo fundáta eſt, duplex ædificátio & excélſi parietes templi, allelúia. *Eccli.* 50. 2.

Ant. t. 6. *F.* Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne, allelúia. *Eccli.* 50. 4.

Ant. t. 3. *E.* Manus ſuas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Iſrael dare glóriam Deo à lábiis ſuis, allelúia. *Eccli.* 50. 22.

Ant. t. 2. *d.* Pronus ad miſericórdiam benedicétur: de pánibus enim ſuis dedit páuperi, allelúia. *Prov.* 22. 9.

Capitulum. Malach. 2. 4. 5. 6.

Dicit Dóminus exercítuum: Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me... In æquitáte ambulávit mecum, & multos avértit ab iniquitáte.

℣. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo, ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus, allelúia. *Pſ.* 88. 25.

Ad Benedict. *Ant. t.* 7. *a.* Diléctus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictione eſt: ſímilem illum fecit Dóminus in glória Sanctórum, & magnificávit eum, allelúia. *Eccli.* 45. 1. 2.

Oratio.

Omnípotens Deus, qui beátum Gerárdum Antíſtitem pópulo tuo præéſſe, & quibus præerat, verbo & exémplo prodéſſe voluíſti: eódem intercedénte, Paſtóres Eccléſiæ tuæ cum grégibus ſibi commíſſis dírige in viam ſalútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perfíciant; Per, &c.

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus. Pſalmi de Dominica.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 49. 15.

In memória multi témporis eréxit nobis muros evérſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui eréxit domos noſtras.

℟. Te

℟. Tu elegíſti me pópulo tuo; & dixíſti me ædificáre templum in monte ſancto tuo, & in civitáte habitatiónis tuæ altáre. * Et erunt accépta ópera mea, & diſpónam pópulum tuum juſtè, † Allel. ℣. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probátus eſt homínibus. * Et erunt. Glória. † Allel. *Sap.* 9. 7. 8. 12. *Rom.* 14. 18.

℣. Dómine, diléxi decórem domûs tuæ; ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, allelúia. *Pſ.* 25. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 2. 7. 8.

FActi ſumus párvuli in médio veſtrûm, tamquam ſi nutrix fóveat fílios ſuos: ita deſiderántes vos cúpidè, volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras: quóniam chariſſimi nobis facti eſtis.

℟. *br.* Abſtulit ſicut oves pópulum ſuum: * Allelúia, allelúia. Abſtulit. ℣. Et dedúxit eos in ſpe. * Allelúia. Glória. Abſtulit. *Pſ.* 77. 52. 53.

℣. Nos autem pópulus ejus, ℟. Et oves páſcuæ ejus, allelúia. *Pſ.* 78. 13.

AD NONAM.

Capitulum. Job. 31. 4 17. 18.

NOnne Deus conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinúmerat?... Si comédi buccéllam meam ſolus, & non comédit pupíllus ex eâ: quia ab infántia mea crevit mecum miſerátio: & de útero matris meæ egréſſa eſt mecum.

℟. *br.* Diſpérſit, dedit paupéribus: * Allel. allel. Diſpérſit. ℣. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. * Allel. allel. Glória. Diſpérſit. *Pſ.* 111. 9.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus, allel. *Pſ.* 40. 2.

AD II. VESPERAS.

Ardentem ſuum pro nobis zelum exprimit S. Pontifex.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur: Laudáte Dóminũ, omnes gentes, *p.* 82.

Ant. 1. *irr.* EVangélii factus ſum ego miníſter ſecúndùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos, allelúia. *Coloſſ.* 1. 25.

Ant. t. 3. *a.* Scitis quómodo nihil ſubtráxerim utíliũ, quóminus annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos, allelúia. *Act.* 20. 18. 20.

Ant. t. 5. *F.* Contéſtor vos, quia mundus ſum à sánguine ómnium: non enim ſubterfúgi quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis, allelúia. *Act.* 20. 26. 27.

Ant. t. 6. *F.* Nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus; qui potens eſt ædificare, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus, allelúia. *Act.* 20. 32.

Ant. 1. 7. *a.* Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam, allel. 1. *Reg.* 12. 23.

Capitulum. Phil. 4. 8. 9.

FRatres, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte: quæ & didicíſtis, & accepíſtis, & audíſtis, & vidíſtis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobíſcum.

HYMNUS.

SAt datum terris: tua
nunc olympo
Te gravem virtus méri-
tis repóſcit;
Débitas ſacro cápiti, Ge-
rárde,
Necte corónas.

Lux eras cæco, cólumen la-
bánti,
Et ſalus ægro, míſero le-
vámen:
Nunc tuum cinget comes
indigéntum
Turma triúmphum.

Præſcius mortis propè jam
futúræ,
Ut novas vires, animóſ-
que ſumat,
Páſcitur Chriſto, ſolidá-
que fortis
Fervet ab eſca.

Flebat adſtántis pia turba
Cleri;
Ille gaudébat properáre
cœlo,
Et ſiti longâ cúpidè peti-
tum
Víſere Numen.

Priſca noſtrórum píetas avó-
rum
Eluxit ex illo; redivíva
ſurgat:
Quos adhuc ſervat cinis,
hîc ſepúltos
Súſcitet ignes.

Quæ fuit vivo tibi cura,
Præſul,
Hanc, licèt vectus ſuper
aſtra, ſerves;
Et tuam, noſtræ bene tu-
tor urbis,
Réſpice gentem.

Summa laus Patri, Genitó-
que ſumma,
Qui gregem fuſo rédimit
cruóre:
Sit tibi compar, utriúſ-
que nexus,
Glória, Flamen. Amen.

℣. Beátus quem elegíſti & aſſumpsíſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis, allelúia. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magnif. Ant. 1. 3. *a.* Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſrael: hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & univérsâ civitáte, allelúia. 2. *Mach.* 15. 14.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

DIE XXIV.

S. GEORGII, MARTYRIS.

Simplex. Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

Lectio iij.

De Encómio ſancti Andréæ Creténſis in beátum Martyrem Geórgium.

VElut ſtella quædam, lætum pietátis fulgórem emíttens, illúſtris hic & ómnium voce decantátus Geórgius illúxit... Quòd ſi unde ortus ſit, ac géneris no-

bilitátem quæris, Pátriam hábuit Cappádocum regiónem; altrícem verò, Palæſtinam: à próavis Chriſtiánus; juvenílis ætáte, ſapiéntiâ canus, corde rectus, advérsùs impietátem turgens vegetúſque pietátis Martyr. Cùm enim Deum contémni, dæmones verò coli vidiſſet, non tulit eam rem vir pietátis zelo flagrantiſſimus... Eo ſpectáculo, divíno efférvens Spíritu, contremiſcéntibus rénibus, quemádmodum Machabæo illi, affectúſque furóre ſecúndùm judícium, médius insíliit, clarâ ſe voce Chriſtiánum renúntians. O verè Deo afflátum ánimum, quem ſibi divínus amor ita devicíſſet, quique totus exceſſiſſet Deo... At ímpii omni fraudum génere uténtes, ómnibus modis Athlétam tentábant, nihil non dicéntes, nihil non faciéntes... At firmus ille Dei miles, nihil mutátus, autve attónitus, súbdolas adulatiónes à ſe repellébat; minas, quæcúmque ferre parátus, irridébat... Atqui non ſermóne tantùm cum adverſáriis congréſſus eſt, ſed & re ipsâ conflíxit inſtar nimírum fortis púgilis, córporis páriter ſpiritûſque robur & fortitúdinem adverſáriis oſténtans.... Verùm me tempus multòque magis orátio defíciet, ſi velim ſingulátim tormentórum ómnium ſpéciem & dolórem perſcríbere... Utque, váriis illis gravibúſque torméntis ſuperátis, cursúque crépidis clavis infíxis confécto, tandem gládio tráditus, ac percúſſus ſecúri, victor sánguine effectus, ei lætè victóriæ ſubmíſerit Cánticum, qui victóriam præbuíſſet, ita dicens: Benedíctus Dóminus, qui non dedit nos in prædam déntibus eórum.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXV.

S. MARCI, EVANGELISTÆ.

Duplex iij. Claſſ.

AD I. VESPERAS.

Laudandus Dominus qui per Sanctos ſuos nobis enarravit mirabilia ſua.

Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio.

Ant. ſola t. 1. irr. Nonne Dóminus fecit Sanctos enarráre ómnia mirabília ſua, quæ confirmávit Dóminus omnípotens ſtabilíri in glória ſua? allelúia. *Eccli.* 42. 17.

Capitulum. Eccli. 24. 46.

Doctrinam quaſi Prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus ſapiéntiam, & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℟. Interfíciam ſculptile & conflátile, * Ecce ſuper montes pedes Evangelizántis, & annuntiántis pacem. † Allelúia. ℣. Implétum eſt tempus, & appropinquávit regnum Dei: pœnitémini,

& crédite Evangélio. * Ecce. Glória. † Allelúia. *Nahum.* 1. 14. 15. *Marc.* 1. 15.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

CHriſti perénnes núntii,
Retécta qui cœléſtibus
Scriptis Dei myſtéria
Totum per orbem ſpárgitis;
Olim ſub umbris cóndita,
Vates ſacri quæ víderant;
Umbris procul cedéntibus,
Vidíſtis hæc pleno die.
Humána quæ tulit Deus,
Divína quæ geſſit homo,
Seris legénda póſteris
Dictánte ſcripsíſtis Deo.
Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus:
Veſtris adhuc in páginis
Nobis loqui non déſinit.
Da, Chriſte, nos tecum mori;
Tecum ſimul da súrgere;
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos triumphátâ nece
Ad ſacra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Lingua mea cálamus ſcribæ, ℟. Velóciter ſcribéntis, allelúia. *Pſ.* 44. 2.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.* Fecíſti in nobis, Domine, ſecúndùm omnem bonitátem tuam; ſicut locútus es in manu púeri tui, in die, quâ præcepíſti ei ſcríbere legem tuam coram filiis Iſrael, allelúia. *Baruch.* 2. 27. 28.

Oratio ut in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum qui dat verbum evangelizántibus virtúte multâ, * Veníte, adorémus, allelúia. *Pſ.* 67. 12.

AD NOCTURNUM.

Hic ad Sion doctor & ſpeculator mittitur.

Ant. t. 1. *D.* Primus ad Sion dicet: Ecce adſunt, & Jerúſalem Evangeliſtam dabo, allelúia. *Iſ.* 41, 27.

Ant. t. 3. *A.* Scriba velox in lege parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini, allelúia. 1. *Eſd.* 7. 6. 10.

Ant. t. 4. *A.* Oſténdit vobis pactum ſuum, quod præcépit ut facerétis; & verba ſcripſit, allelúia. *Deuter.* 4. 13.

℣. Suſcitávit Dóminus teſtimónium in Jacob: ℟. Et legem póſuit in Iſrael, allelúia. *Pſ.* 77. 5.

Lectio 1. *de Scriptura occurrente, ex tribus fit una.*

℟. 1. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion; levavérunt vocem, * Simul laudábunt: quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, allelúia. ℣. Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! * Simul laudábunt. *Iſ.* 52. 8. 9. *Rom.* 10. 15.

Lectio ij.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Cap. 18.

MArcus diſcípulus & intérpres Petri, juxta quod Petrum referéntem audíerat, rogátus Romæ à frátribus, breve ſcripſit Evangélium. Quod cùm Petrus audivíſſet, & probávit, & Eccléſiæ legéndum ſuâ auctoritáte dedit; ſicut ſcribunt Clemens in ſexto Hypotypóſeon libro, & Pápias Hieropolitánus Epíſcopus. Méminit hujus Marci & Petrus in Epíſtola prima, ſub nómine Babylónis figuráliter Romam ſigníficans: Salútat vos Eccléſia quæ eſt in Babylóne colléćta, & Marcus filius meus. Aſſúmpto ítaque Evangélio quod ipſe confécerat, perréxit in Ægyptum: & primus Alexandríæ Chriſtum annúntians, conſtítuit Eccléſiam, tantâ doctrínâ & vitæ continéntiâ, ut omnes ſectatóres Chriſti ad exémplum ſuî cógeret. Dénique Philo diſertíſſimus Judæórum, videns Alexandríæ primam Eccléſiam adhuc judaïzántem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eórum converſatióne ſcripſit. Et quómodo Lucas narrat Jeroſólymæ credéntes ómnia habuíſſe commúnia: ſic & ille, quod Alexandríæ ſub Marco fieri doctóre cernébat, memóriæ trádidit. Mórtuus eſt autem octávo Nerónis anno, & ſepúltus Alexandríæ, ſuccedénte ſibi Aniáno.

℟. Super montem excélſum aſcénde tu, qui evangelízas Sion: * Dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter; allelúia. ℣. Séquere me, & annúntia regnum Dei. * Dic. *Iſ.* 40. 9. *Luc.* 9. 59. 60.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 13. 9.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Tradent vos in concíliis, & in ſynagógis vapulábitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me, in teſtimónium illis. Et réliqua.

Homília ſancti Juſtíni Mártyris.

Apologiâ ſecundâ.

QUi à géntibus orti ſunt, cùm nihil umquam de Chriſto accepíſſent ad illud tempus cùm Apóſtoli Hieroſólymis egréſſi, ea quæ illíus erant nuntiavérunt, Prophetíaſque tradidérunt, tum gáudio fidéque compléti, idólis, id eſt, ſimulácris núntium remiſérunt; Deóque, qui orígine caret, Chriſti benignitáte ſe conſecrárunt. Atque ut intelligátis antè cógnitum & proviſum eſſe, fore ut hæc maledícta in eos qui Chriſtum profiteréntur, jaceréntur; futuróſque míſeros eos, qui eum convítiis maledictíſque afficerent, verúmque inſti-

túta ſervánda eſſe cum laude dícerent: audíte quæ paucis verbis ab Iſáia perſtrícta ſunt: Væ iis qui dúlcia, amára eſſe dícunt, & quæ amára ſunt, dulcia. Qui noſtrî causâ homo factus eſt, cùm ab ínferis excitátus eſſet, eíſque ſe oſtendíſſet, docuíſſétque eos Prophetías quibus hæc ómnia fore prædícta eſſent, légere: eúmque illi in cœlum reverténtem vidíſſent, atque credidíſſent, vimque illinc ipſis miſſam ab eo accepíſſent, & ad omne hóminum genus profécti eſſent, hæc docuérunt.

℟. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit: * Beátus qui in iſtis versátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, sápiens erit. * Allelúia. ℣. Quæcúmque ſcripta ſunt, ad noſtram doſtrínam ſcripta ſunt. * Beátus. Glória. † Allelúia. *Eccli.* 50. 29. 30. *Rom.* 15. 4.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quæ ſibi manifeſtata ſunt myſteria, hæc vobis ſummâ curâ inveſtiganda commendat.

℣. *Sacerdot.* Scribántur hæc in generatióne áltera. ℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum, allelúia. *Pſ.* 101. 19.

Ant. t. 4. E. MIniſtérium verbi accépi teſtificári Evangélium grátiæ Dei, allelúia. *Act.* 20. 24.

Ant. t. 5. a. Notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſcripſi: prout potéſtis legéntes intellígere prudéntiam meam in myſtério Chriſti, allelúia. *Epheſ.* 3. 3. 4.

Ant. t. 6. f. Hæc ómnia liber vitæ, & teſtaméntum Altíſſimi, & agnítio veritátis illíus, allel. *Eccli.* 24. 32.

Ant. t. 7. A. Non recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; ſed facias ómnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc díriges viam tuam, allel. *Joſue.* 1. 8.

Ant. t. 3. a. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ eſt in ætérnum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam, allel. *Baruch.* 4. 1.

Capitulum. Epheſ. 4. 11. 12.

CHriſtus dedit quoſdam quidem Apóſtolos, álios verò Evangeliſtas, ad conſummatiónem Sanctórum, in opus miniſterii, in ædificatiónem córporis Chriſti.

℣. Magnificéntiam gloriæ ſanctitátis tuæ loquéntur; ℟. Et mirabília tua narrábunt, allel. *Pſ.* 144. 5.

Ant. t. 5. a. ad Ben. Quicúmque hanc régulam ſecúti fúerint, pax ſuper illos, & miſericórdia, allel. *Gal.* 6. 16.

Oratio.

DEus, qui beátum Marcum Evangeliſtam tuũ Evãgélicæ prædicatiónis grátiâ ſublimaſti: tribue, quæſumus, ejus nos ſemper & eruditióne profícere, & oratióne defendi; Per, &c.

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chriſti Jeſu.

℟. Miſit me Chriſtus evangelizáre, non in ſapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Chriſti. * Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? † Allel. allel. ℣. Ubi eſt litterátus? Ubi legis verba pónderans? Ubi doctor parvulórum. * Nonne. Glória. † Allel. 1. *Cor.* 1. 17. 20. *Iſ.* 33. 18.

℣. Deus, docúiſti me: ℟. Et pronuntiábo mirabília tua, allel. *Pſ.* 70. 17.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eph. 3. 8. 9.

MIhi data eſt grátia in Géntibus evangelizáre inveſtigábiles divítias Chriſti, & illumináre omnes quæ ſit diſpensátio ſacraménti abſcónditi à ſæculis in Deo, qui omnia creávit.

℟. *br.* Eructávit cor meum verbum bonum, * Allelúia, allelúia. Eructávit. ℣. Dico ego ópera mea Regi. * Allel. Glória. Eructávit. *Pſ.* 44. 2.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum eſt; ℟. Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, allel. *Pſ.* 72. 28.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 2. 17.

NOn ſumus ſicut plúrimi adulterántes verbũ Dei: ſed ex ſinceritáte, ſed ſicut ex Deo, coràm Deo, in Chriſto lóquimur.

℟. *br.* Ecce lábia mea non prohibébo * Allelúia, allel. Ecce. ℣. Dómine, tu ſciſti. * Allel. Glória. Ecce. *Pſ.* 39. 10.

℣. Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo: ℟. Veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi, allel. *Pſ.* 39. 11.

AD II. VESPERAS.

Quæ docuit, hæc nobis opere complenda ſunt.

Ant. 1. SIcut probáti ſumus 5. *a.* à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, allelúia. 1. *Theſſ.* 2. 4.

Ant. 2. 3. *a.* Pervénimus ad vos in Evangélio Chriſti, ſpem habéntes creſcéntis fídei veſtræ, in vobis magnificári, allelúia. 2. *Cor.* 10. 14. 15.

Ant. 3. 7. *D.* Cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras, allel. 1. *Theſſ.* 2. 8.

Ant. 4. 6. *f.* Spem, quæ repóſita eſt vobis in cœlis, audíſtis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, allel. *Coloſſ.* 1. 5. 6.

Ant. 5. 2. *D.* Glória, & honor, & pax omni operánti bonum: in die, cùm judicábit Deus occúlta hominum

ſecúndùm Evangélium meũ, allel. *Rom.* 2. 10. 16.

Capitulum. Hebr. 2. 3. 4.

QUómodo nos effugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalútem? Quæ cùm inítium accepiſſet enarrári per Dóminum, ab eis, qui audiérunt in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

SInæ ſub alto vértice,
Cœlo tonánte, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præſens minabátur Deus.

Nunc, temperáto Númine
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans ſénſibus.

Inſcúlpta ſaxo lex vetus
Præcépta, nòn vires dabat:
Inſcrípta cordi lex nova
Præcépta dat cum víribus.

Scripſíſtis hanc fidâ manu,
Hanc voce, voci cónſonis
Hanc prædicáſtis móribus,
Signáſtis hanc & sánguine.

Afflánte divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis;
Hæc ille noſtris ímprimat
Delénda numquam córdibus.

Uni ſit & Trino Deo
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Patres noſtri annuntiavérunt nobis, ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum, allel. *Pſ.* 43. 2.

Ad Magnif. *Ant.* t 5. a.
Quod audívimus de verbo vitæ, annuntiámus vobis; & hæc ſcríbimus vobis, ut gaudeátis, & gáudium veſtrũ ſit plenum, allel. 1. *Joan.* 1. 1. 2. 4.

Commem. de ſequenti.

DIE XXVI.

S. CLETI, PAPÆ & Mártyris.

Simplex. De Communi unius Martyris.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Iren. Lib. 1. *C.* 3. *Euſeb. Lib.* 3. *C.* 15. *Hieron. vir ill. C.* 15. *Epiph. hæreſ.* 27. *&c.*

CLetus, qui & Anaclétus, ab antiquióribus Pátribus, & Hiſtóricis, Græcis & Latínis, poſt Apóſtolum Petrum ſecúndus, Linum inter & Cleméntem numerátur. Is ab Eusébio dícitur Románam rexiſſe Eccléſiam, Tito & Domitiáno Imperatóribus, eíque præfuiſſe per annos duódecim. Illíus natálem ſub título Mártyris comméndant Martyrológia Bedæ & Flori; quibus Uſuárdus his ánnuit verbis: Romæ natális ſancti Cleti Papæ, qui ſecúndus poſt Apóſtolum Petrum, cùm rexiſſet Eccléſiam annis duódecim, perſecutióne Domitiani, Martyrio coronátus eſt.

DIE XXVIII.

SANCTÆ MARIÆ, ÆGYPTIÆ POENITENTIS.

Semidupl.

AD I. VESPERAS.

Ad pœnitentiam vocatur ex ſpe veniæ.

Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio.

Ant. ſola t. 7. D. Revértere, aversátrix, ait Dóminus, & non avértam faciem meam; quia ſanctus ego ſum, & non iráſcar in perpétuum, allel. *Jerem.* 3. 12.

Capitulum. Iſ. 54. 4.

NOli timére, quia non confundéris, neque erubéſces: non enim te pudébit, quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ oblivíſcéris.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

O Vos cum cítharis júngite cantus,
Cœtus Angélici: fœmina ſacris
Quondam pulſa ádytis, débita cœlo
Nunc ad ſidéreas tránſvolat arces.
Sacris quæ répulit lóngiùs arcens
Templi limínibus crímine fœdam;
Hæc eſt illa manus, quæ modò amíca
Ablútam lácrymis ádmovet aris.
Hæc olim ténebris óbſita denſis,
Jam cœlo nova lux áddita fulget,
Et monſtrat fáciles prævia portus
Paſſis naufrágium triſte pudóris.
Quæ non divus amor péctora mutat!
Ut cœli rádius fulſit ab alto,
Urbes, ſeque fugit; nulla ſat altos
Quò ſe condat, habet ſylva receſſus.
Illi pro thálamo frígida rupes:
Lautis pro dápibus gráminis herba:
Nec ſoles cálidos veſte repéllit,
Nec duras hyemes péllibus arcet.
Patri máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui dum ſacrílegum pellis amórem,
Puros inſínuas córdibus ignes. Amen.

℣. Miſerátor & miséricors Dóminus. ℟. Longánimis & multùm miséricors, allelúia. *Pſ.* 102. 8.

Ad Magnif. Ant. t. 6. f. In moménto indignatiónis abſcóndi fáciem meam parúmper à te, & in miſericórdia ſempitérna miséreus ſum tui; dixit Redémptor tuus, allel. *Iſ.* 54. 8.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Dóminum vocántem peccatóres ad pœniten-

tiam, * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 5. 32.

IN NOCTURNO.

Ad Dominum conversa veniam deprecatur.

Ant. t. 2. *D.* Proſtérnens ſe Dómino, clamábat, dicens: Súbveni, quæſo te, Dómine Deus meus, mihi, allel. *Judith.* 9. 1. 3.

Ant. t. 4. *a.* Convérte me, & convértar: quia tu Dñus Deus meus, allel. *Jer.* 31. 18.

Ant. t. 7. *C.* Parcis ómnibus; quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas, allel. *Sap.* 11. 27.

℣. Propter nomen tuum, Dñe, ℟. Propitiaberis peccáto meo, allel. *Pſ.* 24. 11.

Lectio 1. *de Script. occur. ex tribus fit una.*

℟. Si reverteris, aït Dóminus, ad me convértere: Si abſtúleris offendícula tua à fácie mea, non commovéberis. * Lava à malítia cor tuũ, ut ſalva fias, allel. ℣. Ego quos amo, árguo, & caſtígo. Æmuláre ergo, & pœniténtiam age. * Lava. *Jerem.* 4. 1. 14. *Apoc.* 3. 19.

Lectio ij.

Ex ejus vita ab auctore ferè coævo ſcripta, & à Concil. Niceno 2. *& S. Joanne Damaſceno, Appoll.*

MAría Ægyptia, duodecénnis, témpore Juſtíni Imperatóris, relíctis paréntibus, Alexandríam venit; fuítque per annos ſeptémdecim in ea civitáte peccátrix. Cùm autem Jeroſólymam profécta, Calváriæ templum in feſto Exaltatiónis ſanctæ Crucis íngredi tentáſſet, ter divínitus repúlſa, in átrio coram imágine Deíparæ Vírginis ſe pœniténtiæ vovit, ſi vivíficũ Crucis lignũ ſibi licéret adoráre. Moxque templũ ingréſſa, vidéndi & adorándi potita deſidério, inde ad ripam Jordánis ultra flumen in vaſtíſſimam ſolitúdinem, ſeceſſit, ſumpto trium panum viatico: quibus conſúmptis, detritíſque véſtibus, ignóta permánſit annis quadragínta ſeptem; donec ad torréntem quemdam occúrrit ei Zózimas Présbyter, à quo obtínuit ut véſperè in Cœna Dómini in advérſam Jordánis ripam ſibi afférret ſacrum Dómini corpus & sánguinẽ. Condícto die ad eúmdem locum accéſſit Zózimas, quò & María pervénit, recitatóque ſymbolo, & oratióne Domínicâ, ut moris erat, divína dona ſuſcépit: rursúmque precáta eſt Zózimam ut anno recurrénte ad eúmdẽ torrentem veníret. Qui cùm eò acceſsíſſet, conſpéxit corpus ejus jacens in terra, in qua ſcripta hæc legit: Sépeli, Abba Zózima, míſeræ Maríæ corpúſculum; redde terræ quod ſuum eſt, & púlveri ádjice púlverem, orans Deũ pro me quæ mórior nocte ſalutíferæ paſſiónis, poſt divínæ & ſacræ Cœnæ communiónem. Pio voto obtémperans Zózimas, corpus beá-

tum in ipſo loco terræ mandávit. Unde póſtea memóriæ ejus venerátio per Oriéntem & Occidéntem propagáta eſt.

℟. Ibat poſt amatóres ſuos, & meî oblivíſcebátur, dicit Dóminus: ecce ego lactabo eam, * Et ducam in ſolitúdinem; & loquar ad cor ejus, allel. ℣. Vocábo non diléctam, diléctam; & non miſericórdiam conſecútam, miſericórdiam conſecútam.* Et ducam. *Oſee.* 2. 13. 14. *Rom.* 9. 25.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 21. 28.

IN illo témpore, Dixit Jeſus princípibus ſacerdótum: Homo quidam habébat duos filios; & accédens ad primum dixit: Fili, vade hódie, operáre in vínea mea. Ille autem reſpóndens, ait: Nolo. Póſtea autem pœniténtiâ motus, ábiit. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Matthæum Hom. 67.

NIhil ſic tardióres excitat ut æmulátio: proptérea ut ad æmulatiónem provocáret, in médium addúxit meretríces & publicános: hæc enim duo flagitiórum ſunt extréma. Non autem meretríces, quámdiu remanent meretríces, regnū Dei ingrediúntur: ſed poſtquam obaudiérunt, poſtquam fidem ampléxæ ſunt, poſtquam omníno purgátæ, poſtquam ad meliórem vitam tranſlátæ, ſic ingrediúntur... Nemo ergo qui malè vixit, deſpéret; nemo qui bene, torpéſcat. Neque is nimis confídat; ſæpè enim & méretrix antevértet: neque ille cóncidat ánimo; quippe qui poſſit & primos antevértere. Audi quid dicat Deus ad Jerúſalem: Dixi, poſtquam fornicáta es in ómnibus his, ad me revértere. Quando enim ad fervéntem Dei amórem rediérimus, priórum jam non reminíſcitur: neque enim Deus ut homo pœniténtibus non éxprobrat prætérita: non dicit, Quare támdiu aberráſti? ſed redeúntes amat.

℟. Pœniténtibus dedit viā juſtítiæ, & deſtinávit illis ſortem veritátis: * Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illíus, converténtibus ad ſe. † Allel. ℣. Deus ipſe prior diléxit nos, & miſit Fílium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris.* Quàm magna. Glória. † Allel. *Eccli.* 17. 20. 28. 1. *Joan.* 4. 10.

Te Deum.

AD LAUDES.

Amarus pœnitentis dolor.

℣. *Sacerdos.* Anima mea conturbáta eſt: ℟. Proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, allel. *Pſ.* 41. 7.

Ant. 1. *2. D.* QUis, Deus, ſímilis tuî, qui auſers iniquitátem, & tranſis

peccátum reliquiárum hære-ditátis tuæ? allel. *Mich.* 7. 18.

Ant. t. 4. *E.* Dómine Deus meus, poſtquam convertíſti me, egi pœniténtiam, allel. *Jerem.* 31. 19.

Ant. t. 7. *D.* Oſtendíſti mihi, percúſſi femur meum, & erúbui; quoniam ſuſtinui oppróbrium adoleſcéntiæ meæ, allel. *Jerem.* 31. 19.

Ant. t. 3. *A.* Recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ: corrípies me, & vivificábis me, allel. *Iſ.* 38. 15. 16.

Ant. t. 1. *f.* Liberaſti me de perditióne; proptérea confitébor, & benedícam nómini Dómini, allel. *Eccl.* 51. 16. 17.

Capitulum. Jerem. 2. 2.

HÆc dicit Dóminus: Recordátus ſum tui, míſerans adoleſcéntiam tuam, & charitátem deſponſatiónis tuæ, quando ſecúta es me in desérto, in terra quæ non ſeminátur.

℣. Bonum mihi quia humiliáſti me; ℟. Ut diſcam juſtificatiónes tuas, allel. *Pſ.* 118. 71.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Miseréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: díligis enim ómnia quæ ſunt, allel. *Sap.* 11. 24. 25.

Oratio.

LArgíre nobis, miséricors Deus, ut beáta María Ægyptia, quæ te ſuper ómnia diligéndo, ſuórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ ſalutáris donum nobis obtíneat; Per, &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 3. 25.

PRopóſuit Deus propitiatiónem per fidem in ſánguine Chriſti Jeſu, ad oſtenſiónē juſtítiæ ſuæ, propter remiſſiónem præcedéntium delictórum.

℟. *br.* Dixi; Nunc cœpi: * Allelúia, allel. Dixi. ℣. Hæc mutátio déxteræ Excélſi. * Allel. allel. Glória. Dixi. *Pſ.* 76. 11.

℣. Vias meas enuntiávi; ℟. Et exaudíſti me, allelúia. *Pſal.* 118. 26.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jerem. 31. 16.

HÆc dicit Dóminus: Quiéſcat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: quia eſt merces óperi tuo.

℟. *br.* Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * Allelúia, allel. Deus. ℣. Poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo. * Allel. Glória. Deus. *Pſ.* 55. 8. 9.

℣. Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meã; ℟. Et tu remiſíſti impietátem peccáti mei, allelúia. *Pſ.* 31. 5.

AD NONAM.

Capitulum. Iſ. 44. 22.

DElévi ut nubem iniquitátes tuas, & quaſi nébulam peccáta tua: revértere ad me; quóniam [illegible]émi te.

℟. *br.* Noli [illegible], ánima mea, re[illegible]es Dómini: * All[illegible]. Noli.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. * Allel. Gloria. Noli. *Pſ.* 102. 2. 3.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ.* 70. 23.

AD II. VESPERAS.

Quam bonus Dominus convertentibus ad ſe.

Ant. t. 1. *irr.* DOminus patiénter agit propter vos, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti, allel. 2. *Petr.* 3. 9.

Ant. t. 3. *a.* Vadit ad ovem quæ períerat, donec invéniat eam, allel. *Luc.* 15. 4.

Ant. t. 5. *a.* Cùm invénerit eam, impónit in húmeros ſuos gaudens, allel. *Luc.* 15. 5.

Ant. t. 6. *f.* Gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonagínta novem, quæ non erravérunt, allel. *Matth.* 18. 13.

Ant. t. 2. *D.* Ita gáudium erit in cœlo ſuper uno peccatóre pœniténtiam agente, allel. *Luc.* 15. 7.

Capitulum. Tob. 13. 8. 9.

COnvertímini, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, credéntes quòd fáciat vobiſcum miſericordiam ſuam. Ego autem, & ánima mea in eo lætábimur.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

ULtrix ipſa ſuos ſævit in artus,
Per quos & pótuit pulchra placére:
Defórmis mácies íncubat ori,
Sed formam mélior grátia penſat.

In pœnam ſcélerum ſæpè recúrſant
Importúna malæ gáudia vitæ:
Sed verſans ánimo débita noxis
Tot torménta, graves cómprimit æſtus.

Jam tu digna polo, déſere terras;
Placáſti lácrymis Núminis iram:
Jam tu paſta ſacro córpore Chriſti,
Ætérnæ cápias pábula menſæ.

Patri máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum ſacrílegum pellis amórem,
Puros inſínuas córdibus ignes. Amen.

℣. Miſericórdia tua magna eſt ſuper me: ℟. Eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri, allel. *Pſ.* 85. 12.

Ad Magnif. Ant. t. 5. *a.* Ubi abundavit delíctum, ſuperabundávit grátia; ut ſi-

cut regnávit peccátum in mortem; ita & grátia regnet in vitám ætérnam, allelúia. *Rom.* 5. 20. 21.

Commem. ſequens.

Die xxix.

S. PETRI ORDINIS DOMINICANORUM Mártyris. *Simplex.*

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex ejus vita ſcripta à Thoma Lentino auctore coævo, & Ambroſ. Tagio, &c.

PEtro natále ſolum fuit Veróna, antíqua Lombardórum urbs. Is annórum ſeptem puer, cùm aliquándo ſcholis rédiens, à patre hæreſi Manichæórum inféctos fuíſſet interrogátus, quidnam in iis didiciſſet, ſe fídei Symbolum didicíſſe reſpóndit, nec minis umquam aut blandítiis à fídei conſtántia pótuit dimovéri. Annis puerílibus excúrſis, dum Bonóniæ liberálium ártium ſtúdiis daret óperam, ſanctum Domínicum dicéntem pro concióne audívit, & inde ad ſanctióris vitæ formam accénſus, inſtitútum ab eo Ordinem ſuſcépit. Quo quidem in Ordine, per paupertátis, humilitátis, abſtinéntiæ, caſtitátis, & oratiónis aſſíduæ gradus ad magnum perfectiónis ápicem aſcéndit, ſemper de virtúte proficiens in virtútem, & procédens quaſi lux ſplendens uſque ad perféctam diem. Ex quo autem ſalútem próximi præter ſuam curatúrus, in público verſari cœpit, mirum quàm acre & contínuum bellum contra improbórum catholicórum licéntiam [illegible] hæreticórum errores [illegible] quot in civitátibus [illegible] óppidis prædicans fúerit audítus, quàm multas ab hæreſi, aut crímine ánimas Chriſto reſtitúerit. Verùm dum inquiſitóris poteſtátem exercéret in obſtinátos, illi, ut moléſtis judíciis ſe liberárent, cum ſicáriis prétium pacti, necem Petro machinati ſunt. Quare ipſum Como Mediolánum reverténtem aggréſſi, ſemel atque íterum in cápite gládio vulnerárunt: qui dum jam ex vúlnere ánimam ágeret, Symbolum fídei quod ſepténnis olim contra patrem hæréticum propugnáverat, quà lícuit voce recitávit, iterúmque látera mucróne transfóſſus, ad Martyrii palmam pervénit, anno ſalútis milléſimo ducenteſimo quinquagéſimo ſecúndo.

Die xxx.

SANCTÆ CATHARINÆ, SENENSIS VIRGINIS.

Simplex. Oratio. Omnípotens, *pag.* lj.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Raymundo Cap. ipſius Confeſſario, & ex Bulla Canoniz. &c.

CAtharína Virgo Senénſis, cui ínſitus à puerítia virtútis amor, virginitá-

tem ſuam Chriſto vovens, beáti Domínici habitū quem geſtant Soróres de pœniténtia, ſupplex obtínuit. Summa fuit ipsíus abſtinéntia, ſumma vitæ auſtéritas, quippe quæ, abjécto prorſus vini & cárnium uſu, mínimo herbárum ſucco, & Euchariſtiæ communióne ſuſtentáta, cilício ſub veſte indúta, pro lecto tábulis ſtrata, ſomni parcíſſima, tempus omne vigíliis, oratiónibus, ægrotántium curæ, paúperum ſubsídio, & áliis daret miſericórdiæ opéribus. Diverſórum intérea morbórum cruciátu labórans ádmodum, multis ínſuper vexáta dæmonum moléſtiis, nec umquam in tantis labóribus aut ærumnis viſa eſt defícere, nec charitátis opera non nihil neglígere. Quin pótiùs ex infirmitáte facta véluti poténtior, & hoſte ſuperáto fórtior, vultu ſic læto, & verbo ádeò perſuasíbili omnes alloquebátur, ut multos ad pœniténtiam revocáverit, nullúſque ad ejus accéſſerit collóquium, qui non mélior abíerit. Pro pace Florentinórum qui ſummo cum Pontífice diſſidéntes, interdícto ſuppóſiti erant Eccleſiáſtico, contínuis licèt dolóribus languens Virgo, Apennínum & Alpes tranſíre, & Aveniónem uſque ad Gregórium undécimum proficíſci non dubitávit. Urbani ſexti partes máximè adjúvit, multíſque tum ad ipſum, tum ad Cárolum quintum Fránciæ regem lítteris, notum fecit ómnibus, quantùm potúerit non ſolùm vulgáta ipsíus ſanctitátis opínio, ſed & Vírginis eloquéntia, verſatáque in rebus geréndis perítia. Dénique poſt innúmera virtútum insígnia, diem últimum clauſit anno ſalútis milléſimo trecentéſimo octogéſimo. Quam mirāculis claram Pius ſecúndus ſanctárum Vírginum número adſcrípſit.

FESTA MAII.

Die I.

SS. JACOBI ET PHILIP. APOSTOLORUM.

Duplex 3. Claſ.

Omnia de Communi Apoſtolorum, (obſervato ritu Paſchali) exceptis iis quæ ſequuntur.

AD I. VESPERAS.

HYMNUS

Ex Sanct. Vict.

Cui ſe, relíctis ómnibus,
Addíxerant Apóſtoli,
Triſtes recénti fúnere
Jeſum dolébant mórtuum.
At vos dolórem pónite,
Se ſuſcitávit mórtuum;
Indignæ mortis víncula
Rumpéndo ſe probat Deũ.
Pervádit occlúſas fores:
Veſtro vidére ſe choro,
Artus ſacros dat tángere,
Nec temſit oblátas dapes.
Serváta monſtrat vúlnera
Noſtræ ſalútis óbſides:
O quanta nubes téſtium
Fidem ſepúltam ſúſcitat!
Apoſtolórum ſénſibus
Qui te reveláſti, Deus,
Et te, vacíllet ne fides,
Noſtris revéla méntibus.
Uni ſit & Trino Deo,
Supréma laus, ſummum decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Reliqua ut in Communi Apoſtol.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Commem. ſanctæ Valburgis, Virginis.

Oratio. Deus, qui habit ácu-lum, *pag.* lj.

IN NOCTURNO.

Lectio j. de Scrip. occur. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex Evangelio, Euſeb. L. 3. Hiſt. Cap. 31. & Heſegip. apud eumdem L. 2. Hiſt. Cap. 23.

Philíppus Bethſaïde natus, unus fuit ex eis, qui primùm à Chriſto vocáti ſunt. Ab ipſo accépit Nathánael veniſſe Meſſíam, & ad Dóminum Jeſum addúctus. Quàm verò Philíppum familiáriter Chriſtus adhibúerit, ex eo nobis innotéſcit máxime, quòd cùm in ſolitúdine multitúdinem hóminum páſcere vellet, ſic Philíppum affátus eſt: Unde emémus panes ut mandúcent hi? Gentíles quoque Jeſum vidére cupiéntes, ad Philíppum acceſſérunt. Is, accépto Spíritu ſancto, fidem in utráque Phrygia prædicávit: ac tandem fine quievit glorioſo, & Hierápoli ſepúltus. Jacóbus autem Alphæi, qui & frater Dómini,

hi, cognoménto Juſtus, ab ipſo, ut ait Hegeſíppus, matris útero ſanctus, vinum & síceram non bibit, carne abſtínuit, numquam tonſus, nec unguénto uſus aut bálneo, tam aſſíduè in templo pro peccátis pópuli oráre ſólitus, ut génua ipsíus inſtar caméli occallúerint. Poſt Chriſti Aſcenſiónem Eccléſiæ Jeroſolymitánæ adminiſtratiónem ſuſcépit, cùmque eam per annos trigínta ſanctíſſimè rexíſſet, Chriſtum Dei Fílium conſtánter prædicans, è templi faſtígio à Judæis præcipitátus eſt: qui, confractis crúribus, jacens ſemivívus, pro illórum ſalúte manus ad cœlum tendébat, his déprecans verbis, Ignóſce eis, Dómine, quia néſciunt quid fáciunt. Interim, fullónis fuſte gráviter in cápite percúſſus, ánimam Deo réddidit séptimo Nerónis anno, & juxta templum ſepúltus. Tradit Joſéphus eum tantæ fuiſſe ſanctitátis & celebritátis in pópulo, ut propter ejus necem créditum ſit ſubvérſam eſſe Jeroſólymam. Unam ſcripſit Epiſtolam, quæ prima inter ſeptem Cathólicas annumerátur.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14. 1.

In illo témpore, Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Non turbétur cor veſtrum. Créditis in Deum, & in me crédite. In domo Patris mei manſiónes multæ ſunt. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 67. in Joannem.

Erigénda eſt nobis, fratres, ad Deum major inténtio, ut verba ſancti Evangélii, quæ modò in noſtris áuribus ſonuérunt, étiam mente cápere utcúmque poſſímus. Ait enim Dóminus Jeſus: Non turbétur cor veſtrum. Créditis in Deum, & in me crédite. Ne mortem tamquam hómines timérent, & ideò turbaréntur, conſolátur eos, étiam ſe Deum eſſe conteſtans. Créditis, inquit, in Deum, & in me crédite. Cónſequens eſt enim, ut ſi in Deum créditis, & in me crédere debeátis; quod non eſſet cónſequens, ſi Chriſtus non eſſet Deus.

Ad Bened. Ant. t. 7. a. Oportébat Chriſtum pati, & reſúrgere à mórtuis, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam in omnes gentes: vos autem teſtes eſtis horum, allel. *Luc.* 24. 46. 47. 48.

Oratio.

Deus, qui nos annuâ Apoſtolórum tuórum Philíppi & Jacóbi ſolemnitáte lætíficas: præſta, quæſumus, ut quorum gaudémus méritis, inſtruámur exémplis; Per, &c.

Commem. ſanctæ Valburgis.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS

Ex Sant. Vit.

NAtus Parénti rédditus
Non vos amícos déſe-
ret:
Sub imbre lapſum flám-
meo
Infúndet in vos Spíritum.
Hauſto repléti Númine,
Terras in omnes líberi,
Chriſtum tubis cœléſti-
bus
Chriſtum Deum vulgábi-
tis.
Non vos tenébit ámpliùs
Formído mortis ábditos:
Apérta non eúntibus
Addent moras perícula.
Vos ante reges fórtiter
Spernétis armátas neces:
Hæc nempe pro Chriſto
mori
Supréma vobis glória.
Oráte, firma ſit fides,
Et certa ſe ſpes érigat;
Illápſa noſtris córdibus
Pellat timórem cháritas.
Da, Chriſte, nos tecum
mori;
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátá ne-
ce,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíri-
tus. Amen.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Nos teſtes ſumus ómnium quæ fecit Jeſus in regióne Judæórum, & Jerúſalem: & præcepit nobis prædicáre pópulo, allel. *Act.* 10. 39. 42.

Commem. ſequent.

DIE II.

S. ATHANASII,
EPISCOPI ALEXANDRINI,
& Eccleſiæ Doctoris.

Duplex 4. *Claſ.*

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Pater, ut Verbi tibi conſubſtantiális divinitátem, quam beatus Athanáſius aſſeruit, & conveniénter intellígere valeámus, & veráciter profitéri; Per eúmdem, &c.

Lectio I. *ex Scrip. occur. ex tribus fit una.*

Lectio ij.

Ex ejus operibus, Rufino, Sozomeno & aliis antiquis Scriptoribus.

ATHanaſius, quem ut válidum fídei cathólicæ víndicem, & divinitátis Verbi aſſertórem exímium totus colit orbis Chriſtiánus, ab Alexándro Epíſcopo Alexandrínæ Eccléſiæ ordinátus Diáconus, & ab ipſo ad Concílium Nicænum ductus, Ariános ácriter impugnávit. Alexándro paulò poſt defúncto ſuffectus; eò quòd Arium fictè pœniténtem ab Eccléſiæ communióne conſtánter repélleret, Euſébii Nicomediénſis Epíſcopi, aliorúmque multórum in ſe iras concitávit. Hinc illi cum Meletiánis ſchiſmáticis inito Concílio, várias, ut ipſum loco dejíciant, calumniáṣ

technas ſtruunt, quas coram Conſtantíno díluit, &, eo jubénte, Alexandríam revértitur. Verùm in Tyri Conciliábulo rurſum Athanáſium criminántes Ariáni, dum, eórum vim declinatúrus ad Imperatórem proficíſcitur, ipſum quaſi cauſam deſeréntem Epiſcopátu ábdicant. Cógnitâ eórum injuſtítiâ, mox indignátur Conſtantínus; ſed ad áliam convérſi calúmniam, súggerunt comminátum eſſe Athanáſium, actúrum ſe ne conſuéta annóna ex Ægypto Conſtantinópolim deportarétur: quâ criminatióne motus Imperátor, ipſum Tréviros amándat, ubi à Maximíno Epíſcopo honorífice excípitur. Poſt óbitum Conſtantíni revocátus, novis íterum apud Conſtántium impétitur calúmniis: unde in coácta Imperatóris juſſu, Antiochíæ Synodo, ſede ſuâ depónitur, dum à Júlio Papa, cui Euſebiáni Concílium poſtulántes ſcrípſerant, Romæ in Synodo quinquagínta Epiſcopórum declarátur innocens. Agénte autem Conſtánte Conſtántii germáno, poſt Synodi Sardicénſis ex utróque império congregátæ judícium, ab hæreticórum calúmniis vindicátus, ſedi ſuæ reſtitúitur. Nec diu quiéſcere lícuit: à Conſtántio Ariánis addictíſſimo quæſitus ad necem, ſex totis annis in Ægypti Monaſtériis, locíſque desértis delítuit: donec poſt Conſtántii mortem, Alexandríam revérſus, cum Chriſti Confeſſóribus Concílium hábuit de recipiéndis iis qui ab Ariánis fúerant ſedúcti; in quo rem graviſſimam eâ definívit prudéntiâ, ut Eccléſiam viſus fúerit imminénti eripuíſſe perículo. Sed cùm idolórum cultóribus gravis eſſet, à Juliáno exagitátus, íterum latére cógitur, uſque dum morte Juliáni ſedáta fuit perſecútio. Sub Joviáno Imperatóre ſuam pacífice rexit Eccléſiam; verùm movénte rurſus perſecutiónem Valénte Ariáno, per quátuor menſes in patérno latitat monuménto: ex quo tandem egréſſus, inſtánte pópulo, poſt innúmeros labóres, fide, conſtántiâ, & doctrínâ illúſtris, in pace móritur, anno Epiſcopátûs quadragéſimo ſexto, Chriſti verò trecentéſimo ſeptuagéſimo tértio.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 10. 23.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cùm perſequéntur vos in civitáte iſta, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homilía ſancti Athanáſii Epíſcopi.

Apologiâ de fuga ſua. Num. 15. & 16.

DOminus, utpote Deus ac Verbum Patris....

non ignórans quodnam próprio córpori ad patiéndum tempus præfiniviſſet … more noſtro, ſeſe, dum quærerétur, occultábat. Sancti autem, hâc à Salvatóre accéptâ normâ … cùm advérsùs perſecutóres decertárent, aufugiébant, uti fas erat: dumque ab illis perquireréntur, ſeſe abdebant. Cùmque, utpote hómines, definíti ſibi à providéntia témporis términum ignorárent, nolébant ſeípſos inſidiatóribus dedititios offérre. Cùmque item noſſent illud quod ſcriptum eſt, nempe in mánibus Dei eſſe ſortes hóminum, & Dóminum mortificáre & vivificáre, ídeò ad finem uſque expectárunt, ut ait Apóſtolus: Circumeúntes in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, anguſtiáti; in ſolitudínibus errántes, in ſpelúncis & in cavérnis terræ laténtes; donec definítum mortis tempus adveníret, aut qui tempus definíerat Deus eos alloquerétur, ac inſidiatóres ſedáret; aut certè perſecutóribus perſecutiónem patiéntes tráderet, ut ſibi cóngruum viſum foret.

Veſperæ de ſequenti.

Die iii.

IN FESTO INVENT. SANCTÆ CRUCIS.

Duplex 2. Claſs.

AD I. VESPERAS.

Ex figuris commendatur Crucis lignum.

Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio.

Ant. ſola ſ. 6. f. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus ſalváre, ut non eſſent vácua ſapiéntiæ tuæ ópera, ligno hómines liberáti ſunt, allel. *Sap.* 14. 4. 5.

Capitulum. Iſ. 49. 22.

HÆc dicit Dñus Deus: Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo ſignum meum.

℟. Radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, & erit ſepúlchrum ejus glorióſum. * Et levábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſrael. † Allel. ℣. Sicut Móyſes exaltávit ſerpéntem in deſérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis. * Et levábit. Glória. † Allel. *Iſ.* 11. 10. 12. *Joan.* 3. 14.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

TEllus, tot annos quid tegis
Noſtræ ſalútis pígnora?
Crux monte toto quæritur,
Ultrò tuos pandas ſinus.
Quid, dura foſſóris manus
Scrutáris alta víſcera?
Celáre lignum ſit pudor,
Quo noſtra ſurgit glória.
En illa gemma pérdita
Invénta tot labóribus:
En, qui latébat, érutus
Theſaurus agro pródiit.
Regína, quæſítam Crucem,

Monſtránte Chriſto, réppérit:
Oblita faſtus régios,
Sceptro repértam prætulit.

Crux ſancta, Chriſti córporis
Virtus ſalúbrem te facit:
Contíngit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.

Fulgóre cujus térrita
Pallent, tremúntque tártara;
Hæc arma ſi quis índuat,
Ridébit hoſtis ímpetus.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima;
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Notam fecíſti in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemíſti in bráchio tuo pópulum tuum, allel. *Pſ.* 76. 15. 16.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Benedíctum lignum, per quod fit juſtítia, allelúia, allelúia. *Sap.* 14. 7.

Oratio ut in Laudibus.

Fit commem. S. Athanaſii, & deinde SS. Alexandri Papæ, Eventii, & Theoduli, Martyrum.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui ſanctórum Mártyrum tuórum Alexándri, Evéntii, & Theodúli natalítia colimus, à cunctis malis imminéntibus eórum interceſſióne liberémur; Per, &c.

AD NOCTURNUM.

Crux noſtra deſtinatur ſalutis inſtrumentum.

Invitat. Jeſum propter paſſionem mortis, glóriâ & honóre coronátum, * Veníte, adorémus, allel. *Hebr.* 2. 9.

Tres Pſalmi in Feria aſſignati.

Ant. t. 1. *f.* Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: ego Dóminus locútus ſum, & feci, allel. *Ezech.* 17. 24.

Ant. t. 4. *a.* Dabit lignum fructum ſuum; & ſcient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, allelúia. *Ezech.* 34. 27.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus oſténdit Móyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcédinem verſæ ſunt, allel. *Exod.* 15. 25.

℣. Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis, allel. *Pſ.* 67. 21.

Lectio 1. *ex Script. occurr. tribus in unam junctis.*

℟. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen; Fac ſerpéntem æneum, & pone eum pro ſigno: * Qui percúſſus aſpéxerit eum, vivet, allelúia. ℣. Exeámus ad Jeſum extra caſtra, impropérium ejus portántes. * Qui percúſſus. *Num.* 21. 8. *Hebr.* 13. 13.

Lectio ij.

Ex Epíſtola ſancti Paulíni Epíſcopi ad Sevérum.

Epiſt. 31. *novâ edit.*

HAdriánus Imperátor exíſtimans ſe fidem Chri-

ſtiánam loci injúriâ peremptúrum, in loco paſſiónis ſimulácrum Jovis conſecrávit; & Béthleem Adónidis fano profanáta eſt... Manſit hoc ſæculi prióris nefas in témpora noſtris próxima Conſtantíni; qui princeps eſſe princípibus Chriſtiánis, non magis ſuâ quàm matris Hélenæ fide méruit ... Regína illa venerábilis, ut venit Jeroſólymã Crucẽ Dómini ſtudioſiſſimè inquírere adorſa eſt...De loco tantùm paſſiónis cértior fíeri ſtúduit: juſſit íllico, urgénte ſine dúbio concéptæ revelatiónis inſtínctu, in ipſum locum óperam foſſiónis accíngi: paratâque mox cívium páriter, & militári manu, brevì labórem iſtíus molitiónis hauſit; & contra ſpem ómnium, ſed ſecúndùm ipsíus tantùm Regínæ fidem, altâ egeſtióne reſerátis terræ sínibus, ábditæ Crucis arcána patuérunt. Sed cùm tres páriter Cruces, ut quondam fixæ Dómino, & latrónibus ſtéterant, repértæ fuiſſent; gratulátio repertárum cœpit ánxiâ dubitatióne confúndi, juſto piórum metu, ne fórſitan aut pro Cruce Dómini patíbulum latrónis elígerent, aut ſalutáre lignum pro ſtípite latrónis abjiciéndo violárent. Reſpéxit pias fidéliter æſtuántium curas Dóminus, & ipſi potiſſimùm, quæ tam piæ ſollicitúdinis princeps erat, hujus consílii lumen infúndit, ut áliquem recèns mórtuum inquíri & inférri jubéret. Nec mora: verbum factum; cadáver illátum eſt: depónitur: jacénti una de Crúcibus admovétur & áltera: ſed reórum ligna mors ſprevit. Poſtrémò Domínicam Crucem prodit reſurréctio, & ad ſalutáris ligni tactum morte prófugâ funus excúſſum, & corpus eréctum eſt; tremefáctis vivéntibus ſtetit mórtuus; & funébribus, ut Lázarus quondam, vínculis expéditus, íllico inter exſpectatóres ſuos redivívus incéſſit. Ita, ut décuit, experiménto reſurrectiónis invénta & probáta Crux Chriſti eſt; dignóque mox ámbitu conſecrátur cóndita in loco paſſiónis Basílica. De eàdem minúta ſacri ligni ad magnã fídei & benedictiónis grátiam habéri datur.

℞. Commoveátur à fácie ejus univérſa terra: * Dícite in géntibus quia Dñus regnávit (à ligno,) allel. ℣. Expólians principátus, & poteſtátes, tradúxit confidénter, palàm triúmphans illos in ſemetípſo. * Dícite. *Pſ.* 95. 9. 10. (*Juxta Interp. Sept.*) *Coloſ.* 2. 15.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 3. 1.

In illo témpore; Erat homo ex Phariſæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Je-

ſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veníſti magíſter: nemo enim poteſt hæc ſigna fácere, quæ tu facis, niſi fúerit Deus cum eo. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 12. in Joan. n. 11.

NOnne vita Chriſtus? & tamen in Cruce Chriſtus. Nonne vita Chriſtus? & tamen mórtuus Chriſtus. Sed in morte Chriſti mors mórtua eſt; quia vita mórtua occídit mortem; plenitúdo vitæ deglutívit mortem; absórpta eſt mors in Chriſti córpore. Sic & nos dicemus in reſurrectióne, quando jam triumphántes cantábimus, Ubi eſt mors conténtio tua? ubi eſt mors acúleus tuus? Interim modò, fratres, ut à peccáto ſanémur, Chriſtum crucifixum intueámur; quia, Sicut Móyſes, inquit, exaltávit ſerpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis, ut omnis qui credit in eum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. Quómodo qui intuebántur illum ſerpéntem, non períbant mórſibus ſerpéntum; ſic qui intuéntur fide mortem Chriſti, ſanántur à mórſibus peccatórum. Sed illi ſanabántur à morte ad vitam temporálem: hic autem ait: Ut hábeant vitam ætérnam. Hoc enim intereſt inter figurátam imáginem, & rem ipſam: figúra præſtábat vitam temporálem; res ipſa cujus illa figúra erat, præſtat vitam ætérnam.

℟. In médio civitátis ſanctæ Jerúſalem lignum vitæ; & fólia ligni ad ſanitátem géntium. * Et omne maledíctum non erit ámpliùs, † Allel. ℣. Póſuit Dóminus Deus lignum vitæ in médio paradíſi. * Et omne. Glória. † Allel. *Apoc.* 22. 2. 3. *Gen.* 2. 8. 9.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quanta per Crucem Dominus Jeſus operatus eſt:

℣. *Sacerdos.* Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: ℟. Cantábimus, & pſallémus virtútes tuas, allel. *Pſ.* 20. 14.

Ant. t. 4. *E.* ERgo evacuátum eſt ſcándalũ Crucis, allel. allel. *Galat.* 5. 11.

Ant. t. 5. *a.* Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, allel. *Apoc.* 5. 5.

Ant. t. 6. *f.* Delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, ipſum tulit de médio, affígens illud Cruci, allel. *Coloſ.* 2. 14.

Ant. t. 8. *g.* Complácuit per eum reconciliáre ómnia, pacíficans per ſánguinem Crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, allel. *Coloſ.* 1. 19. 20.

Ant. t 3. *a.* Fecit útraque unum, ſolvens inimicítias in carne ſua, ut reconcíliet ambos in uno córpore per Crucem, allel. *Eph.* 2. 14. 16.

Capitulum. Gal. 3. 13. 14.

CHriſtus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum: quia ſcriptum eſt: Maledíctus omnis qui pendet in ligno: ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu.

℣. Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem: ℟. Ut liberéntur dilécti tui, allel. *Pſ.* 59. 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *f.* Parébit ſignum Filii hóminis in cœlo; & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cum virtúte multa, & majeſtáte, allel. *Matth.* 24. 30.

Oratio.

DEus, qui in præclárâ ſalutíferæ Crucis inventióne, Paſſiónis tuæ mirácula ſuſcitáſti: concéde ut vitális ligni prétio, vitæ ætérnæ ſuffrágia conſequámur; Qui vivis & regnas, &c.

Commem. SS. Alexandri, Eventii, & Theoduli, Martyrum.

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus: Pſalmi de Feria.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

PRædicámus Chriſtū crucifixum: Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam; ipſis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam.

℟. Nunc judícium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Et ego ſi exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meípſum. † Allel. ℣. Móyſes póſuit ſerpéntem æneum pro ſigno, quem cùm percúſſi aſpícerent, ſanabántur. * Et ego. Glória. † Allel. *Joan.* 12. 31. 32. *Num.* 21. 9.

℣. Miſit Verbum ſuum; ℟. Et ſanávit eos, allel. *Pſ.* 106. 20.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5. 30. 31.

QUem vos intereméſtis ſuſpendéntes in ligno, hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit dénterâ ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum.

℟. *br.* Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * Allel. allel. Remiſíſti. ℣. Operuíſti ómnia peccáta eórum. * Allel. Glória. Remiſíſti. *Pſ.* 84. 3.

℣. Mitigáſti omnem iram tuam: ℟. Avertíſti ab ira indignatiónis tuæ, allel. *Pſ.* 84. 4.

AD NONAM.

Capitulum. Eph. 2. 13.

NUnc in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquándo erátis longè, facti eſtis propè in ſánguine Chriſti.

℟. *br.* Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, * Allel. allel. Dicant. ℣. Quos redémit de manu inimíci. * Allel. Glória. Dicant. *Pſ.* 106. 2.

℣. Exultábunt lábia mea; ℟. Et ánima mea, quam redemíſti, allel. *Pſ.* 70. 23.

AD II. VESPERAS.

In Cruce Domini Jeſu, ſit noſtra ſpes & gloriatio.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. A. Mihi abſit gloriári, niſi in Cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, allel. *Gal. 6. 14.*

Ant. t. 7. a. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum: ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus, allel. 1. *Petr.* 2. 24.

Ant. t. 8. g. Vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto, allelúia. *Rom. 6. 6.*

Ant. t. 5. a. Si mórtui ſumus cum Chriſto; ſimul étiam vivémus cum Chriſto, allelúia. *Rom. 6. 8.*

Ant. t. 6. f. Verbum Crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt, allelúia. 1. *Cor.* 1. 18.

Capitulum. Hebr. 12. 1. 2.

CUrrámus ad propóſitũ nobis certamen, aſpiciéntes in auctórem fídei & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gaudio ſuſtínuit Crucem, confuſióne contémptâ.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

SIgnum novi Crux fœderis,
Crux, orbis arca náufragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.
Telis rubéntem flammeis
Ultóris exármas manum;
Placátur, ut te réſpicit,
Iras & oblivíſcitur.
Lethále ſi vulnus ferat
Inférnus anguis mórſibus:
Læſi ſimul te víderint,
Repéntè tu medéberis.
Ara ſub illa, par Deo,
Se conſecrávit hóſtia:
Hâc ſede læſum Filius
Placávit orátor Patrem.
Crux ſancta, Crux amábilis,
Crux tincta Chriſti ſánguine,
Hauríre da nos lárgiùs
Vitam, Dei de fúnere.
Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

℣. Dóminus fuit memor noſtrî: ℟. Redémit nos ab inimícis noſtris, allel. *Pſ.* 135. 23. 24.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Chriſto confixus ſum Cruci; in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit ſemetipſum pro me, allel. *Gal.* 2. 19. 20.

Commem. ſequent.

DIE IV.

SANCTÆ MONICÆ, VIDUÆ.

Simplex.

Oratio.

DEus mœréntium conſolátor, & in te ſperán-

rium ſalus, qui beátæ Mónicæ pias lácrymas in converſióne filii ſui Auguſtíni misericórditer ſuſcepíſti; da nobis utriúſque interventu peccáta noſtra deploráre, & grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre; Per, &c.

Lectio iij.

Ex Lib. Confeſſ. S. Auguſtini.

Monica ſancti Auguſtíni dupliciter mater, quæ eum & mundo & cœlo pepérerit, Patrícium cónjugem, cui velut Dómino ſervíerat, extrémo ejus vitæ témpore ad Chriſtum addúxit. Lapſo in Manichæórum hæreſim fílio, cùm pro ejus converſióne multis lácrymis Deum deprecarétur, audívit à quodam Epíſcopo: Fíeri non poteſt ut fílius iſtárum lacrymárum péreat. Terrâ maríque illum ſecúta Medioláni innótuit Ambróſio, qui Auguſtíno gratulátus eſt quòd eam matrem habéret. Ibi cùm ad memórias Sanctórum, ſicut in Africâ ſolébat, pultes cum pane & mero attuliſſet, atque ab oſtiário prohiberétur; ubi hoc Epíſcopum vetuíſſe cognóvit, tam piè obſecúta eſt, ut ipſe mirarétur Auguſtínus quòd tam fácilè accuſátrix pótiùs conſuetúdinis ſuæ, quàm diſceptátrix illíus prohibitiónis effécta fuíſſet. Rédiens in Africam cum Auguſtíno, qui ejurátâ hæreſi, ab Ambróſio baptizátus fúerat; cùm ad óſtia Tiberína conſtitiſſet, ſic filium eſt allocúta: Fili, nullâ jam re delécťor in hac vita; quid hîc fáciam adhuc, & cur hîc ſim néſcio, jam conſúmptâ ſpe hujus ſæculi: unum erat propter quod in hac vita aliquántulum immorári cupiébam, ut te Chriſtiánum cathólicum vidérem, priùſquam mórerer; cumulátiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te étiam, contémptâ felicitáte terrénâ, ſervum ejus vídeam. Quinto poſt die in febrem íncidit; & aſtántem íntuens Auguſtínum cum fratre ejus Navígio: Ponétis hic, inquit, matrem veſtram; illud autem vos rogo, ut ad altáre Dñi meminéritis meî. Die nono ægritúdinis ſuæ, ætátis anno quinquagéſimo ſexto ánimam Deo réddidit. Tum Evódius, ſuccinénte totâ domo, cantáre cœpit Pſalmum (Miſericórdiam & judícium cantábo tibi, Dómine.) Juxta ſepúlchrum póſito cadávere, priùſquam deponerétur, oblátum eſt pro eâ, ut refert Auguſtínus, ſacrifícium prétii noſtri Deo ad ejus altáre, cui ipſa nullíus diéi prætermiſſióne ſervíerat, & unde nóverat diſpensári víctimam ſanctam, quâ delétum eſt chirógraphum contrárium nobis.

Die vi.

SANCTI JOANNIS, Apostoli ante portam Latinam.

Semiduplex.

Omnia de Communi Apoſtol. (obſervato ritu Paſchali,) exceptis quæ ſequuntur.

Capitulum. Iſ. 43. 1. 2.

HÆc dicit Dóminus: Noli timére, quia redémi te. Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non combureris.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

URbem Romúleam quis
furor íncitat?
Chriſti Diſcípulus Cæſare
júdice
Damnátus rápitur; nil
venerábilis
Frontis canítiẹs movet.
In fervens ólei conjícitur
mare:
Nil æſtus nócuit, flamma
ſed hóſpiti
Parcit blanda ſuo: ceu pugil
úngitur,
Hinc & fórtior éxilit.
Edícto ſtériles pulſus in ínſulas,
Exul tunc sócio perfrúitur
Deo:
Hîc ventúra videt, quæ
cálamo notans
Sublúſtri nébula tegit.
Sic nos Chriſtus amet, ſic
dóceat pati;
Diſcamúſque mori, ſimus
ut & necis
Sacræ partícipes: non áliis
patet
Cœlum conditiónibus.
Patri máxima laus, máxima
Filio;
Amborúmque ſacro máxima
Flámini:
Hæc eſt certa fides, fóntibus è tuis
Quam divínitùs háuſimus.
Amen.

℣. In Deo ſperávi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo, allel. *Pſ.* 55. 11.

Ad Magnif. Ant. t. 7. a. Flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus Sanctus Iſrael Salvátor tuus, allel. *Iſ.* 43. 2. 3.

Oratio ut in Laudibus.

AD NOCTURNUM.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex libro primo ſancti Hierónymi Presbyteri adversùs Joviniánum.

JOánnes unus ex diſcípulis, qui minimus tráditur fuiſſe inter Apóſtolos, & quem fides Chriſti vírginem repérerat, virgo permánſit; & ídeò plus amátur à Dómino, & recúmbit ſuper pectus Jeſu: & quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérroget. Et poſt reſurrectiónem, nuntiánte Maríâ Magdaléne quòd Dóminus reſurrexíſſet, utérque cucúrrit ad ſepúlchrum, ſed ille prævénit. Cùmque eſſent in navi, & piſcaréntur in-

lacu Genézareth, Jeſus ſtabat in líttore, nec ſciébant Apóſtoli quem vidérent: ſolus virgo vírginem agnóſcit, & dicit Petro: Dóminus eſt. Eſt Joánnes, & Apóſtolus, & Evangeliſta, & Prophéta; Apóſtolus, quia ſcripſit ad Eccléſias ut magiſter; Evangeliſta, quia librum Evangélii cóndidit, quod, excépto Matthæo, álii ex duódecim Apóſtoli non fecérunt; Prophéta, vidit enim in Patmos inſula, in qua fúerat à Domitiáno príncipe ob Dómini Martyrium relegátus, Apocalypſim, infiníta futurórum myſtéria continéntem. Refert autem Tertulliánus quòd Romæ miſſus in fervéntis ólei dólium, púrior & vegétior exíverit, quàm intráverit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 10. 35.

IN illo témpore; Acceſſérunt ad Jeſum Jacóbus & Joánnes filii Zebedæi, dicéntes: Magíſter, vólumus, ut quodcúmque petiérimus, fácias nobis. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Homil. 66. in Matth.

ZEbedæi filii ad Jeſum accedéntes, de primo concéſſu alloquúntur. Nam quóniã propè Jerúſalẽ erant, credebátque regnũ Dei jamjam eventúrum, quod hujus vitæ ac ſæculáre opinabántur, hæc poſtulábant, ut ob honórẽ faciliùs étiam ómnia perícula poſſent evitáre; proptérea Chriſtus ab his eos cogitatiónibus abdúcens, perícula, ſánguinem, necémque ipſam expeténdam eſſe jubet. Poteſtis, inquit, bíbere cálicem quem ipſe bibo? Nec turbétur quiſquam, ſi ádeò imperféctos dícimus Apóſtolos fuiſſe. Nondum enim myſtérium crucis erat conſummátum, nondum grátia Spíritûs in corda ipsórum infúſa. Quare ſi ſtúdia virtútis ipsórum díſcere cupis, quales poſt datam grátiam Spíritûs fúerint, consídera; & vidébis omnem ab illis turbatiónẽ ánimi fuiſſe ſuperátam. Hac enim de cauſa eórum modò imperféctio revelátur, ut apértè percípere poſſis, quales súbitò per grátiam effécti fúerint.

Ad Bened. Ant. t. 8. g. Dómine, adjútor & protéctor factus es mihi; & in médio ignis non ſum æſtuátus, allelúia. *Eccli. 51. 2. 6.*

Oratio.

DEus, qui conſpicis, quia nos úndique mala noſtra pertúrbant: præſta, quæſumus, ut beáti Joánnis Apóſtoli tui & Evangeliſtæ conféſſio glorióſa nos protegat; Per, &c.

Ad Horas br. omnia ut in Comm. Apoſtol.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS.

JUſſu tyranni pro fide
Pulſus Joánnes éxulas,

Fertur volátu libero
Mens celſa ſuper ſidera.
Illìc revélat ſe tibi
Qui mortuus vivit Deus,
Agnus ſalútis hóſtia,
Et morte devíctâ leo.
Arcána ſe vatem docet
Regni ſui myſtéria:
Pandit cruóre Mártyrum
Ubíque ſpargéndâ fidem.
Da, Chriſte, nos tecum mori;
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere:
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Ad Magnif. *Ant. t.* I. *D.* Ego Joánnes, párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Chriſto Jeſu fui propter verbum Dei, & teſtimónium Jeſu, allelúia. *Apoc.* I. 9.

Commem. ſequens.

DIE VII.

SANCTÆ DOMITILLÆ, VIRGINIS ET MARtyris.

Simplex. Oratio. Deus, qui, inter &c. *pag.* lj.

Comm. S. Gibriani Solitarii.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, &c. *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex Euſeb. L. 3. *Hiſt. C.* 18. *& Hieron. Epiſt. ad Euſtoch.*

Tempóribus Domitiáni doctrína fidei noſtræ tantópere florébat, ut Scriptóres étiam à religióne noſtra alieniſſimi, & perſecutiónem & martyria noſtrórum monuméntis ſuis trádere non dubitarent. Qui quidem étiam tempus ipſum perſecutiónis accurate notavérunt. Scribunt enim anno principatûs Domitiáni quinto & décimo, Fláviam Domitillam Flávii Cleméntis, ejus qui tunc témporis Romæ conſul fuit, ex ſorore neptem, unà cum áliis plúrimis ob confeſſiónem Chriſti in ínſulam Póntiam fuiſſe deportátam. Adſtipulátur étiam Hierónymus, dum ait, Paulam delátam ad eámdem ínſulam, quam clariſſimæ quondam fœminárum, ſub Domitiano príncipe, pro confeſſióne nóminis Chriſtiáni Fláviæ Domitillæ nobilitávit exílium, vidiſſe céllulas in quibus illa longum martyrium dúxerat.

DIE VIII.

S. STANISLAI, EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex. Oratio Fac nos, Dómine, &c, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex ejus vita auctore Longin, ex Hiſt. Polon. & aliis apud Bolland.

Stanísłaus in Cracoviénſi provincia, paréntibus ortus pietáte & génere conſpícuis, virtútibus ómnibus jam matúrus adoléſcens, Pariſios ſtudiórum causâ miſſus eſt, ibíque ſepténnio commorátus, eâ viſus eſt morum caſtitáte quam lau-

dárent viri pii, eâ ingénii facilitáte quam mirarentur docti, eâ índolis comitáte quam omnes diligerent. In Pátriam revérſus, erogato paupéribus ampliſſimo património, Canónicus Eccléſiæ Cracoviénſis factus, & Présbyter ordinátus, concionatóris officiũ tanto perfécit cum audiéntium fructu, ut ómnium votis, mórtuo Epíſcopo ſuffectus fúerit, invítus licèt & relúctans: quo in múnere ómnibus ſe dedit exémplum bonórum óperum, ſollícitus quàm máximè omnes Diœcéſis ſuæ partes ſíngulis annis perluſtráre, egénos páſcere, lánguidos reficere, peregrínos hóſpites excípere, Clericórum mores inſtitúere, ac in primis ſanctæ rerum ſacrárum adminiſtratióni diligénter providére. Viri autem ſancti in Paſtorali curâ zelus enítuit, atque ánimi fortitúdo, cùm Boléſlaum Polóniæ regem privátim corréptum ac ſæpiùs mónitum, tandem in crudelitáte & libídine contumácem à communióne remóvit. Unde furens rex, arrépto gladio, conténto curſu ad Eccléſiã pergit, Pontíficem ſacra faciéntem aggréditur, ſtantem ad altáre in cápite letháliter vúlnerat, & paríetem moriéntis cérebro reſpérgit. Nec adhuc quiéſcit regis ímpii furor. Etenim, ne ſacrum corpus ad ſepultúram detur, plures in partes ſciſſum per agros diſpérgi jubet; ſed fruſtrà: ſparſa membra cólligunt viri pii, & in Sacéllo ſancti Michaelis condunt; unde in Eccléſiam Cathedralem póſtmodũ tranſláta tantis coruſcárunt miráculis, ut iis permótus Innocentius quartus, beáto Mártyri Sanctórũ honóres decréverit.

DIE IX.

IN TRANSLATIONE SANCTI NICOLAI, Myrénſis Epíſcopi.

Simplex. Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem tuũ innúmeris decoráſti miráculis; tribue, quæſumus, ut ejus méritis & précibus à gehénnæ incéndiis liberémur; Per, &c.

Lectio iij.

Ex Joanne Archidiac. Barii Translationi S. Nicol. auctore coævo.

Ex nóminis celebritáte, & miraculórum famâ, ſub Magni título cólitur toto terrárum orbe Nicoláus Myrénſis Epíſcopus. Sacrum ipsíus corpus Myræ, ubi ſepúltum fúerat, diu jácuit; donec Barénſibus quibuſdam mercatóribus mirabiliũ quæ ibi fíeri audíerant famâ permótis, in mentẽ venit ſacrũ hoc pignus in pátriam ſecũ advéhere. Hi anno ſalutis milléſimo octogéſimo ſéptimo,

Myram ádeunt, ubi ſancti Nicolái reliquias ſacro liquóri ex eis profluénti immérſas in urna repériunt, & extráctas návibus impónunt; ægrè conſentiéntibus tribus monachis, quibus ſolis ſacrárum reliquiárum crédita erat cuſtódia; & Bárium Apuliæ in Itália civitátem aſpórtant. Mox Barienſium civium impénſis, ſub ipsíus invocatióne magnífica cœpit ædificári Basílica quam Urbánus ſecúndus conſecrávit, & in ea ſacrum cóndidit corpus, quod ibi in hunc uſque diem cólitur. Extat in oppido ſancti Nicolái de Portu nuncupáto dicáta in illíus honórem Eccléſia, ſtructúrâ & arte ſpectábilis, peregrinórum célebris frequéntiâ, quæ Sancti relíquias, unum ex dígito artículum, habére ſe gloriátur.

Die x.

SANCTI GREGORII, Nazianzéni, Epiſc. Conſtantinopolitáni, & Eccléſiæ Doctóris.

Duplex 3. Claſ.

Oratio. Deus, qui pópulo, *pag.* xxix.

Comm. SS. Epimachi & ſociorum, Martyrum.

Oratio Martyris tui, &c. *pag.* xvii.

Lectio j. de Script. occur. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex ipſius S. Greg. Carm. & Oration. ac ex antiq. Script. Eccleſiaſt.

Gregórius, ob ſingulárem divinárum litterárum ſciéntiam Theologus nuncupátus, Ariánzi in Cappadócia ſecúnda natus eſt, Gregório patre, qui Nazianzénæ Eccléſiæ Epíſcopus fuit, & Nonnâ matre, quæ nondum in lucem édtium Deo conſecrávit. Adoléſcens Cæſaréam primùm, deinde Alexandríam, hinc Athénas diſcéndi ſtúdio, venit: ubi amicítiam íniit cum Basílio, & ab Atheniénſibus eloquéntiæ profeſſor eſt deſignátus. In pátriam revérſus, Préſbyter à patre, invítus licèt, ordinátus, mox ne ab eódem Epíſcopus conſecrarétur, fugit in Ponti ſolitúdinem, ubi cum Basílio monáſticæ vitæ inſtitúta cóndidit. Imperánte Juliáno, Naziánzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui ab Ariánis decéptus confeſſióni Ariminénſi ſubſcrípſerat, addúxit ut ſubſcriptiónem revocáret, eúmque mónachis, & majóri gregis parti quæ ab ipſo deſciverat, reconciliávit. Saſimórum Eccléſiæ à Basílio præféctus, ne cauſa eſſet diſſídii Basílium inter & Anthimum Tyanénſem Epíſcopum de Saſimórum óppido, Epiſcopátu ceſſit, & Naziánzum in auxílium patris eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo recéderet. Conſtantinópolim ad reſtaurándam hujus civitátis Eccléſiam miſſus, Ariános & A-

pollinariſtas expugnávit: multíſque ob hæreſi ad fidem revocátis, lapídibus ab fidem Trinitátis appetítus, orat pro perſecutóribus, & ut ſeditióſus tráhitur ad judíciũ; ſed absólvitur. Tantis perfúnctum labóribus Petrus Alexandrínus Conſtantinopolitanórum Epíſcopum per lítteras inſtítuit: at paulo-poſt mutáto consílio ad eam ſedem Máximum Cynicum; Clero & plebe repugnántibus, evéxit. Convocátâ deínde Conſtantinopolitánâ Synodo, Máximus dejícitur, Gregórius verò confirmátur: ſed adveniéntibus Ægypti & Macedóniæ Epíſcopis, qui negárent citra ſuum conſénſum Conſtantinópoli dari potuíſſe Epíſcopum, Gregórius in Concílio, ſtúdio pacis, ſe ábdicans, dixit: Si vobis ullo modo diſsídii cauſa ſum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero, projícite me in mare, & hæ tumúltuum procéllæ conquiéſcent. Poſt hæc à Synodo diſcédens, cùm Nectárius ei ſubſtitútus eſſet, Ariánzum ſe recépit: unde Cæsaréam proféctus, in laudem Basílii nuper defúncti oratiónem fúnebrem hábuit. De hinc Nazianzũ Præſule orbátam aliquámdiu adminiſtrávit; éique ab hæreſi purgatæ præficiéndum curávit Eulalium. Rus deinde ſeceſſit, ubi mónachi vitam agens graviſſimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis ac vigiliis ſuperávit. Demum, Theodóſio imperánte, decéſſit; multis ſuper ægros & energúmenos patrátis in vita miráculis.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 5. 13.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? ad níhilum valet ultrà, niſi ut mittátur foràs, & conculcetur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Nazianzéni.

Oratione 32. habitâ Conſtant. in Concil. 150. Epiſc.

HAbétis, ô viri, noſtri in hanc urbem adventûs apológiam: quæ ſi laudem mereátur, Deo, & vobis, quorum accítu huc véni grátiam hábeo. Sin autem ſpem veſtram minùs implévi, ſic quoque grátiam hábeo. Non enim omníno vituperánda eſt, ut mihi perſuádeo, ac vobis id affirmántibus fidem haud ábrogo. Numquid pópulum hunc per avarítiam circũvénimus? Numquid privátis utilitátibus conſulúimus? quemádmodum multos fácere vídeo. Numquid Eccléſiam moléſtiâ affécimus? Labórum præmium mihi date... Diuturnis laboribus nos leváte, ac recreáte.

ac recreáte. Móveat vos hæc caníties. ſit apud vos honori noſtra peregrinatio. Alium ſubrogáte, qui puris ſit mánibus, qui voce non inerudítâ, qui ómnibus in rebus vobis obſequi, curáſque Eccleſiaſticas ſimul perférre poſſit... Videbit ſibi Dóminus paſtórem ad præfectúram, quemadmodum ovem vidit ad holocáuſtum.. Ego autem his verbis extrémum vos ſalutábo... Filioli, depóſitum, quæſo, cuſtodite.

In Veſp. à Capitulo de ſequent.

DIE XI.

S. GENGULPHI, IN BURGUNDIA Martyris.

Duplex 3. Claſ.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Gengúlphi Mártyris tui méritis & interceſſione lætíficas: concéde propítius; ut qui tua per eum beneſícia póſcimus, dono tuæ grátiæ conſequámur; Per, &c.

Lectio 1. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex ejus vita apud Bolland.

GEngúlphus, cui natále ſolum Burgúndia, parentes altâ proavórum série nobiles, prima virtútum sémina ſuſcepit puer, adauxit adoléſcens. Quâ enim ætáte júvenes calcáto virtútis fœdere per médias ruunt voluptátes indómiti, is ut vitam ſummæ cautélæ præsídiis contra vim impoténtis adoleſcéntiæ muníret, non ſe iis, quibus frui potuiſſet, deliciis addíxit; non eas quæsivit júvenū confabulationes, quæ mentis puritátem ſuis detúrpant illécebris, ſed piórum dúmtaxat virórum delectátus consórtio, jocos aversátus & lúdicra, orationi aſsíduus, legis Chriſtiánæ ſtudioſiſſimus, eam præ ſe tulit morum integritátem, quæ ómnibus exémplum fieret. Nec parùm virtútes alias decorávit illa creſcens cum ipſo miſericórdia, ex qua, ampliſſimi patrimónii hæres factus, óptimam bonórum partem paupéribus ſublevándis impéndit. Uxorem duxit géneris quidem nobilitáte ſibi non imparem, ſed longè diſsímilem móribus. Dum enim ipſe in Pipíni Francórum Regis exércitu militans, ſic ſtrénui militis partes adímplet, ut nulli deſit Chriſtiani viri officio, illam, ſpretâ conjúgii fide, adúltero palàm adhærére non púduit. Ad ſua revérſus nihil non movit, ut infídam ad melióra revocáret: verùm creſcénte in dies nefáriæ mulíeris audáciâ, ab ea diſcéſſit, ut totum ſe pietátis & miſericórdiæ opéribus devovéret. Veriti autem uxor pérfida, & ipsíus adulter, ne ſanctus vir ſceleri débitas ab eis pœnas expoſceret, de ipsíus morte consilium inter ſe habuérunt: datâque occaſióne in ejus cubiculum ir-

ruens adúlter, Gengúlphum nil tale ſuſpicátū, & famulórū miniſtério deſtitútum gládio confódit. Lethálitér vulnerátus, áliquot tantùm ſupervíxit dies, & ſacro Domínici córporis & sánguinis munítus Viático, juſtítiæ & caſtitátis conjugális Martyr óbiit, & ſepúltus in Basílica quam in honórem ſancti Petri ſuis súmptibus conſtrúctam copióſo cenſu dotáverat. Tanto autem poſt mortem cláruit miraculórum & ſanctitátis nómine, ut ſub ipsíus invocatióne multæ per divérſa loca conſtrúctæ fúerint Eccléſiæ: inter quas una Tulli visítur ſtructúrâ & antiquitáte célebris, quam ſanctíſſimus Leucórum Præſul Gerárdus ſub finem décimi ſæculi, beáto Mártyri eréxit, & Canonicórum collégio decorávit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 19. 3.

IN illo témpore; Acceſsérunt ad Jeſum Pharisæi tentántes eum, & dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem ſuam, quacúmque ex cauſâ? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Ex Epiſt. 84. ad Oceanum.

PRæcépit Dóminus uxórem non debére dimítti, exceptâ causâ fornicatiónis; &, ſi dimiſſa fúerit, manére innúptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequénter redúndat in fœminas: neque enim adúltera uxor dimitténda eſt, & vir mœchus retinéndus. Si qui meretríci júngitur, unū corpus facit; ergo & quæ ſcortatóri impuróque ſociátur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papiniánus, áliud Paulus noſter præcipit. Apud illos, viris impudicítiæ fræna laxántur; & ſolo ſtupro atque adultério condemnato, paſſim libído permíttitur; quaſi culpam dígnitas fáciat, non volúntas. Apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris; & eádem sérvitus pari conditióne censétur.

In Veſperis comm. ſequent.

DIE XII.

S. EPIPHANII, SALAMINÆ Epiſcopi.

Semiduplex. Oratio. Da Eccléſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Comm. SS. Nerei, Achillei, atque Pancratii, Martyrum.

Oratio. Exáudi, Dómine, *pag.* xvij.

Lectio ij.

Ex Sozom. Lib. 61. Cap. 32. Hieron. Epiſt. 62. Cap. 4. & ex ipſius Sancti ſcriptis.

EPiphánius in Palæſtína natus, adoléſcens ad virtútem à præſtantíſſimis mónachis inſtitútus eſt. Hiſque magíſtris cum áttigit vitæ perféctæ gradum, quo apud Ægyptios, Palæſtínæ

& Cyprios, & mónachus & monachórum pater floréré merúerit. A Cypriis eléctus, ut Salamínæ (quæ tunc Conſtántia vocabátur) totíus ínſulæ Metrópolis onus Epiſcopále ſuſciperet, ex ſedis dignitáte, eruditiónis præſtántia, & virtútum nitóre, máximam per univérſum orbem nóminis celebritátem adéptus eſt. Quo témpore Valens Imperátor Ariánam hæreſim totis promovébat víribus, Epiphánio ſummus fuit labor, non ſolùm Eccléſiam ſuam, ſed & totam Cyprum ínſulam ab hæreſis contagióne tuéri. Quin & hoc mirum máximè, quod hærétici certo impérii favóre audáces, dum álios Epíſcopos ſuis expéllerent ſédibus, Epiphánium licèt notum & fortíſſimum veritátis aſſertórem, veneráti, ipſum numquam ággredi, aut ſede ſuâ movére tentáverint. Hanc autem veneratiónem apud omnes obtínuit non ſolùm ex doctrínæ & virtútis nómine: ſed & ex illa in primis charitáte, quâ in egénos ſic fuit liberális, ut ſuis facultátibus pénitus absúmptis, Eccléſiæ bona impéndere non recusáret. Cum Apollinariſtis quoque, Antidicomarianitánis, & Collyridiánis hæréticis ſejúnctim congréſſus eſt: deínde omnes ſui témporis hæreſes uno ópere & collátis víribus impugnávit. Ardéntem ex pietáte zelum hábuit, quem facíliùs exerebat, ſi quos veritáti repugnáre nóverat aut ſuſpicarétur; ita ut nec magno Chrysóſtomo pepércerit, Theóphili calúmniis decéptus. Fuit illi cum Athanáſio, Basílio, Damaſo, Hilarióne familiáritas; cum Hierónymo ſumma conjúnctio, cujus Pauliniánum fratrem Presbýterum ordinávit, & hábuit. Móritur Arcádio príncipe, anno quadringentéſimo tértio, insígni vitæ converſatióne, & mirácúlis, apud Græcos & Latínos multùm commendátus.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 7. 15.

In illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Atténdite à falſis Prophétis, qui véniunt ad vos in veſtiméntis óvium, intrínſecus autem ſunt lupi rapáces. Et réliqua.

Homília ſancti Epiphánii Epíſcopi.

Hær. 28. vel 48. Num. 1. & 3.

Joánnes Apóſtolus ſic in Epíſtola ſua nos ádmonet: Probáte ſpíritus, ſi ex Deo ſunt. Et turſus: Audíſtis quia Antichríſtus venit; & nunc antichríſti multi ſunt. E nobis exiérunt; ſed non erant è nobis. Si enim è nobis fuíſſent, mansíſſent útique nobíſcum... Quocirca verum eſt illos è Sanctórum grege non eſſe: ab iis enim

contendéndi ſtúdio receſſérunt, & erroris ac fabulárum auctóres ſpíritus conſectáti ſunt.... Quámdiu Prophétis opus fuit, & veri Spíritûs inſtinctu, cum ánimi firmitáte atque conſtántiâ, & eórum quæ loqueréntur intelligéntiâ ſanctiſſimi viri ſua omnia reſponſa, & orácula dedérunt: iidémque pro cuíque conceſſorum à ſancto Spíritu donórum, ac fidei ratione, commúnem ad utilitátem illo ipſo Spíritu repleti ſunt. Quid ígitur ab illis (hæréticis) eſt ad hóminum utilitátem prædíctum, aut quæ hábita fidei rátio? Nonne ejúſmodi pótiùs habéndi illi ſunt, de quibus locútus eſt Dóminus: Atténdite à falſis Prophétis qui véniunt ad vos in veſtiméntis óvium, intrínſecus autem ſunt lupi rapâces.

In Veſperis Commem. de ſeq.

DIE XIII.

S. MAMERTI, VIENNENSIS Epiſcopi.

Simplex.

Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex Sidonio Apoll. Alcimo, Avito, Greg. Tur. Adone, &c.

Mamértus Hílari Papæ tempóribus, circa annum quadringentéſimũ ſexagéſimum ſecúndum Viennénſis poſt Simplícium Epiſcopus, ipsâ Reſurrectiónis Domínicæ vigíliâ, deflagrante regalis Palatii arce, cùm cives facultátibus ſuis, domibúſque metuéntes ex Eccléſia diſceſſiſſent, ipſe ſolus in ea rémanens, lácrymis & oratiónibus ignem extínguere méruit. Sed jam antea ferè per anni ſpátium frequéntes terræ motus, plures ejúſdem civitátis domos & Baſílicas concúſſerant: insóliti quoque sónitus noctúrni, & lupi, urſi, ac cervi per urbem oberrántes, exitiále quiddã & ferále minitabántur. Quæ flagélla ut avérteret, eâdem nocte, cívibus poſt extínctum incéndium ad Eccléſiam revérſis, ánimo concépit inſtitúere Litanías uſitatis ſolemnióres. Haſque póſtea indíxit tríduo ante Aſcenſiónem Dómini celebrándas in jejúniis, compunctióne cordis, précibus, & eleemóſynis; ad quas univérſis fidélibus concurréntibus, cóorta ceſſávit calámitas. Eas ſupplicatiónes mox totâ Gálliâ præſcríptas & obſervátas, Roma ipſa Leónis tértii auctoritáte ampléxa eſt.

DIE XIV.

S. PACHOMII, IN THEBAIDE ABBATIS.

Simplex. Oratio. Omnípotens ſempitérne, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Superioris ævi Monacho, apud Bolland. ex Sozom. & aliis.

Illúſtris prorſus apud magni nóminis Scriptóres,

ſinque monuméntis ſacris, ſeu græcis ſeu Latínis, eſt Pachómii memória. Is in ſuperióri Thebäide paréntes hábuit gentíles. Vigéſimo ætátis anno, Chriſtianórum benéficam in mílites expértus charitátem, vovit, ubi primùm milítiâ, cui aſcríptus erat, ſolverétur, ſe Chriſto adhæsúrum. Igitur libertáte adéptâ, baptíſmum ſuſcépit, moxque erémum ádiens, Palemónem in vitæ auſteritáte, & monáſticâ diſciplínâ inſtitutórem hábuit. Tanto magíſtro par diſcípulus, ad locum Nilo próximum, cui Tabénnæ nomen, penetrávit, in quo ampliſſima Monaſtéria iis ædificávit, qui plúrimi ad eum ſanctióris vitæ deſidério úndique confluébant. Unus ómnia regébat Pachómius, una ómnibus régula, unus qui neceſſária providéret œcónomus, una ad públicas preces Ecclésia, nullus inter eos qui Clericátûs offício fungerétur: in ſolemnitátibus ex vicínis locis advocabántur Presbyteri, qui ſacra perágerent & ſacrum Chriſti corpus & ſánguinem Mónachis miniſtrárent. Conſtrúxit étiam in advérſa Nili ripa Monaſtérium, in quo vírgines Deo dicátæ, prævià & regente Pachómii ſoróre, mónachos æmulabãtur. Multa prophético ſpíritu prædíxit, infírmos curávit, nec ei défuit donum linguárum, quo plures divérſæ natiónis hómines inſtrúeret. Obiit ætáte gravis, áſpero vivéndi genere conféctus, anno Chriſti circiter trecentéſimo quadragéſimo octavo.

Die xvi.

SS. QUADRAGINTA QUATUOR MONACHORUM ex Laura ſancti Sabæ, Martyrum.

Simplex.

Oratio.

Deus, qui in córdibus Mártyrum tuórũ flammas tantæ dilectiónis accendíſti, ut mundi terróres vincerent: da nobis eúmdem tuæ charitátis afféctum, ut te unum poſſidére cupiéntes, te unum amíttere metuéntes, ómnia mundi próſpera & advérſa æquáliter deſpiciámus; Per, &c.

Lectio iij.

Ex Epíſtola Antíochi Mónachi ad Euſtáchium Præpóſitum Monaſtérii Atalínæ civitátis Ancyræ in Galátia.

In Biblioth. Patrum. Tom. 1, edit. Par. 1624.

De laudábili horum Monachórum vita in præſentiárum ágere, id témporis non póſtulat. Illud tantùm dicam quòd hómines erant revéra divíni, cùm in exercitatióne ſpiritáli, & monáſtica vita, & labóribus quos pro pietáte ſuſtulérunt, à juventúte ſua inſenúerint; ſenes quidem venerándi, & canos capíllos habébant, ſed

mente magis præſtábant & humilitáte, ómnibus bonis ornáti, & divino repléti amóre... Cùm Iſmaelítæ ad noſtram Lauram acceſſiſſent, & univérſa ſacra vaſa Eccléſiæ diripuiſſent, pleríque patres quàm primùm aufugérunt. Remanſérunt autem in Laura, qui fortióres fúerant Chriſti ſervi, ſacrū illū locum deſtitúere nullo pacto voléntes. Bárbari verò cùm illos comprehendiſſent, multos dies inhumanè tractárunt, & torméntis afflixérunt, pecúnias hoc pacto ſeſe inventúros ſperántes, apud quos nihil hujus ſæculi reperiebátur. Simul autem atque intellexérunt ſuâ ſe tandem ſpe ac propóſito excidiſſe, in efferatiſſimam verſi rábiem, ad unum membrátim Beátos illos concidérunt. Qui & lætítiâ incredibili perfúſi, ac proínde álacri vultu renidéntes, ómni cum gratiárum actióne ánimas reddidérunt Dómino. Córpora verò pluſquam trágicè cæſa, cùm non paucos dies in humum disjécta ſine ſepultúræ beneficio jacuiſſent, ab Arábia illò uſque properávimus... Modéſtus prætérea & ipſe vir ſanctiſſimus ſanctas compléxus relíquias in Patrum ſuperiórum depóſuit conditóriis... Númerus ſanctórum Patrum, quos tyránnica ſuſtulit impréſſio eſt quadragínta quátuor.

DIE XIX.

S. PETRI COELESTINI, PAPÆ.

Simplex. Oratio. Da Eccléſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Comm. S. Yvonis Trecorenſis Presbyteri.

Oratio. Dñe Deus, *pag.* xxxv.

Lectio j. ex Scrip. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij. de S. Cœleſtino. Ex ejus vita auctore Petro de Alliac. Anton. & aliis.

Cœleſtinus quintus, Petrus de Murone ante Pontificátum dictus, piis paréntibus ex Apúlia oriúndus, à téneris annis desérta pétiit. Tanta fuit ejus vitæ aſpéritas, ut dies ferè noctéſque ánimum orationibus & legéndo Pſaltério inténderet, jejuniiſque, labóre mánuum, ac cilício, adhibitâ étiam caténâ férreâ corpus domáret. Cùmque multi ad eum tantæ ſanctitátis famâ permóti confluerent, Congregatiónē Cœleſtinórum ſub régula ſancti Benedicti, ſtatútis étiam arctióribus ádditis, inſtítuit. Poſt mortem Nicolái quarti, cùm Sedes Apoſtólica biénnio & ámpliùs vacáſſet, ad Pontificátum ínſcius & invítus evéctus eſt; cui ſe dignitáti imparē exíſtimans, poſt ſex círciter menſes eam abdicávit, ut rerum divinárum contemplatióni libériùs vacaret. Cùmque desérta repéteret, deténtus & in cuſtódiam miſſus, poſt multas ærúmnas, patiéntiæ corónam

felíci morte proméruit; quē miráculis conſpícuum Clemens quintus in Sanctórum númerum rétulit.

Lectio iij. de S. Yvone.

Ex probationibus ad ejus Canonizationem factis 27. annis ab ejus morte.

YVo in Diœcéſi Trecorénſi natus, Júdicis Eccleſiáſtici munus multis annis íntegrè & laudabíliter implévit. Deínde curam animárum hábuit in prima Paróchia per annos octo, in ſecúnda per decem. Ubíque viſus eſt páuperum, viduárũ, orphanórum, omniúmque qui fúerint ope deſtitúti modò pater amantíſſimus, modò acérrimus defénſor. Quin & omnes facultátes ſuas páuperum eſſe exíſtimans, paſtorálem domum égenórum fécerat commúne hoſpítium. Interim ipſe ſibi durus, vino ábſtinens, cibi parcíſſimus, auſtéro indútus cilício, oratióni aſſíduus, conciónes quas bis terque in die habébat multis præparábat effúſis in conſpéctu Dómini précibus & lácrymis. Unde audítus eſt tantâ virtúte evangelizans, ut ipſe Dei Spíritus per ipſum loqui viderétur. Tandem multis in ſuâ & parochianórum ſalúte curándâ labóribus perfúnctus, poſt ſe & ómnia ſua ad commiſſum ſibi miniſtérium impénſa, móritur anno milléſimo treſcentéſimo tértio, Párochis poſt ſe relínquens ſanctitátis & paſtorális curæ exémplum mirábile.

DIE XXIV.

S. VINCENTII LIRINENSIS, PRESbyteri & Monachi.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Monac.

Oratio. Deus, qui nos, *p.* xl.

Lectio iij.

Ex ipſius operibus, S. Eucher. Lugd. Epiſc. Gennad. &c.

VIncéntium intra mœnia ſua natum, & ſancti Lupi Trecénſis Epíſcopi germánum fratrem noſtra hæc ſibi víndicat Leucórum cívitas. Is várias in ſæculo expértus turbas & temp eſtátes, rerum humanárũ pertæſus, mundo valedíxit, & in Monaſtérium Lirinénſe tunc témporis in ínſula maris mediterránei celebérrimum ſeceſſit, ut Deo totus vacáret. Nec mínimum ipſe dicto Monaſtério nomen cóntulit; quippe qui ſe ibi pietáte exhibúerit virum, inquit ſanctus Euchérius Lugdunénſis Epíſcopus, intérno gemmárum ſplendóre perſpícuum; nec minùs doctrínâ, quàm virtútibus florúerit. Sub Peregríni título, celáto ex humilitáte próprio nómine, librum áureum édidit, in quo luculénter & sólidè certa ſtátuit princípia, tum confutándis ómnium hæréſeon novitátibus, tum cathólicæ veritáti aſſeréndæ in ævũ protutúra. Obiit Theodóſio & Valentiniáno regnántibus.

In Martyrológio Románo his commendátur verbis ipſíus memória: In Monaſtério Lirinénſi, ſancti Vincéntii Presbyteri, doctrinâ & ſanctitáte conſpícui.

DIE XXV.

SS. DONATIANI ET ROGATIANI, in Aremorica Martyrum.

Simplex. Oratio. Exáudi, Dómine, &c. *pag.* xvij.

Comm. S. Urbani, Papæ, per Antiph. de Communi unius Pontificis. Oratio. Omnípotens Deus, &c. *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex eorum Actis apud Ruinart.

Donatiánus & Rogatiánus fratres, Nannétis in Aremórica propter Chriſti religiónem in perſecutióne Diocletiáni, & Maximiáni comprehenſi ſunt: ille ætáte matúrior ac jam baptizatus; hic júnior & catechumenus tantum. Quare Donatianus poſtquam interrogatus, Chriſtianum ſe coram Præſide conféſſus eſt; ſtatim convíctus desértæ religiónis públicæ, in carcerem conjícitur. Rogatiánus verò blandítiis & illécebris tentátur, ne à deórum cultu témerè recéderet, aut baptíſma Chriſtianórum expéteret. Sed cùm Præſidi in utróque conſentíre conſtánter recusáret, in eámdem cuſtódiam cum fratre detrúſus eſt, qui cùm illum mœſtum ſenſiſſet quòd ſacro baptíſmate nondum tinctus in mortis diſcrímine verſarétur, & ſacerdótis fuga omnem ſpem illíus ſuſcipiéndi præcidíſſet, orávit Dóminum, ut pura fides illi baptíſmatis vicem præſtáret, & ſacraménti grátiam ſánguinis obtinéret effúſio. Quo facto, cùm ambo poſtrídie ante Præſidem dedúcti eſſent, eódem jubénte, in catáſtâ equúlei ſuspénſi, crudéliter laniáti ſunt. Sed nihilóminus Chriſtum intrépidè confiténtes, lanceâ militári perfoſſi, tandem cæſis capítibus, Martyrium conſummavérunt. Horum précibus, Nannéticam civitátem ab obſidióne Barbarórum liberátam Clodovæi Regis tempóribus ſcribit ſanctus Gregórius Turonénſis Epíſcopus.

DIE XXVI.

S. PHILIPPI NERII, PRESBYTERI.

Simplex.

Omnia de Communi unius Presbyteri. Oratio. Deus, qui ad plebis, *pag.* xxxv.

Lectio iij.

Ex ejus vita auctoribus Gallon. & Barnab. apud Bolland.

Philíppus Nérius piis paréntibus Floréntiæ natus, amplâ pátrui hæreditáte dimíſſâ, Romam ſe cóntulit, ubi pœniténtiæ & pietátis quibuſcumque exercítiis Philosóphiæ & Theológiæ ſtúdium ſummâ cura

laude addidit. Anno ætátis trigeſimo ſexto Presbyter ordinátus, totum ſe tríbuens procurándæ animarum ſaluti, confeſſiónibus audiendis ad extrémum uſque diem aſſiduus, innúmeros propè filios Chriſto pépeiit; atque ut verbi divini quotidiano pábulo, ſacramentórum frequéntiâ, & áliis enutriréntur pietátis exercitatiónibus, Oratórii Congregatiónē inſtítuit. Nullum omíſit charitátis officium quo egénos & páuperes proſecútus non fúerit, álios cibis & veſtiméntis refíciens, hospítio álios excípiens, modò adoleſcéntibus, ſive ad lítteras, ſive ad artes diſcéndas neceſſária ſubminiſtrans auxília, modò religiónem íngredi voléntibus liberáliter ſubvéniens. Quàm autem altas in eo radíces égerit Chriſtiána humílitas, haud dúbiè aſſéruit tum ſumma illa quâ injúrias excépit patiéntia, tum ea invincíbilis conſtántia, quâ dignitátes étiam primárias non ſemel ultrò oblátas recusavit. Vigíliis, jejúniis & labóribus conféctus, anno Chriſti milléſimo quingentéſimo nonagéſimo quinto, poſtquam Sacrum máximâ ſpíritûs exultatióne perégit, quâ horâ ipſe prædíxerat, obdormívit in Dómino: quem Gregórius décimus quintus miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

D i e xxvii.

S. JOANNIS PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex. Oratio. Omnípotens, &c. *pag* xj.

Lectio iij.

Ex hiſtoria Theodor. Regis Goth. Theophan. Chron. Greg. mag. Dialog. Lib. 3. & aliis.

Joánnes Etrúſcus, ex patre Conſtantio, Eccléſiam rexit, dum in Oriénte imperáret Juſtínus sénior; ad quem compellénte Theodoríco Rege Gothórum Ariáno, qui tunc Itáliam obtinébat, Conſtantinópolim proféctus eſt. Máximo cum honóre pium Pontíficem ſuſcépit Imperátor, & Chriſti vicáriam in eo agnóſcens, ſummámque poteſtátem ei concéſſam venerátus, pronus in terram prócidit. De Joánne illud mirábile, inquit Gregórius magnus, à noſtris ſenióribus narrári ſolet, quòd in Conſtantinopolitána urbe, ad portam quæ vocátur Aúrea, véniens, populórum turbis ſibi occurréntibus, in conſpéctu ómnium rogánti cæco lumen réddidit, & manu ſuperpóſitâ oculórum ténebras fugávit. Illum à Juſtíno reverténtem Ravénnæ cum dolo ſuſcépit Theodorícus, & in cárcerem detrúdit; ubi ſqualóre & inédiâ conféctus móritur, anno ſalútis quingentéſimo vigéſimo ſexto. Corpus ejus Ravennâ Romam delátum in

Baſílica ſancti Petri ſepúltum eſt.

Die xxviii.

S. GERMANI, EPISCOPI PARISIENSIS.

Simplex. Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Venant. Fortunat. Pictav. Epiſc.

Germánus honéſtis paréntibus apud Æduos natus, ſacro Presbyterátûs órdine ſuſcépto, factus eſt ex monacho primùm Abbas ſancti Symphoriáni Auguſtodunenſis, deinde Pariſiénſis Epíſcopus. In Epiſcopátu nihil de ea remíſit vitæ auſteritáte, quam in monaſtério égerat. Horâ noctis tertiâ, Eccléſiam ingréſſus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de Clero per tres vigílias ſibi ínvicem ad pſalléndum ſuccedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo ſemper áliquid in privátis conférret collóquiis; Lectiónes ſacras ad menſam ádhibens, & dum iter ágeret, curſum Canónicum nudo perſólvens cápite. Mira ejus in páuperes fuit beneficéntia; quæ ei Childebértũ Regem ita conciliávit, ut ex ærário público ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam ſubminiſtráret. Quem apud Cellas in pago Melodunénſi ægrotántem ſanitáti reſtitúerat, in hujus miráculi memóriam & gratitúdinem ipſam villam Rex Eccléſiæ Pariſiénſi donávit. Caribértum reprehéndit, quòd uxóris ſorórem duxíſſet, eíque ſacris interdíxit. Sedit in Concíliis Pariſiénſibus tértio & quarto, & in Turonénſi ſecúndo. Multis clarus miráculis, prænuntiáto mortis die, in pace quiévit, anno quingentéſimo ſeptuagéſimo ſexto. Corpus ejus in Baſílica ſancti Vincéntii ſepúltum eſt: quæ nunc ſancti Germáni à Pratis ex ejus nómine dícitur.

Die xxix.

S. MAXIMINI, TREVIRENSIS EPISC.

Simplex.

Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex Hieron. Chronol. ad ann. 343. Athan. Apolog. 1. Hilar. fragm. ex variis Concilis, & aliis Script.

Maximínus ſub Conſtantíno, & fílio ejus Conſtánte, Trevirénſem inſígnem Galliárum rexit Eccléſiam. Jam claro notus erat nómine, cùm Arianórum criminatiónibus relegátum magnum Athanáſium ſuſcépit, non ut éxulem, ſed ut orthodóxæ fidei víndicem; cujus zelum in Ariános imitátus, eórum maledícta & anathémata cum Athanáſio, Paulo, Oſio, Júlio, excipe-

te méruit. Honorificè quoque ſuſcépit ſanctum Paulum Conſtantinopolitánum pro fídei negótio è ſua ſede pulſum. Cùm autem Ariáni, ex quo causâ ſuâ in Concílio Nicæno eccíderant, nihil non movérent, ut Conſtántem, & Júlium Románum Pontíficem Athanáſii defenſóres ártibus ómnibus captárent, utrúmque Maximínus tutum præſtitit ab eórum inſídiis, ſúbdolum ſemper ſuſpicátus quidquid Verbi divíni Conſubſtantialitátem apértè non confiterétur. Concílio Mediolanénſi, & poſt biénnium Sardicénſi ſuâ apud Conſtántem auctoritáte & précibus convocáto intérfuit, effecítque ut Athanáſius, & Paulus ſuis ſédibus redderéntur. Obiit vir zeli verè Apoſtólici circa annum trecentéſimum quadragéſimum nonum.

D I E X X X.

S. FELICIS, PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Euſeb. Hiſt. L. 7. Cap. 30. Concil. Epheſ. Vincent. Lirin. & aliis apud Papeb.

Felix commúni cleri & pópuli ſuffrágio ad Sedem Románam poſt ſanctum Dionyſium evéctus eſt, imperánte Cláudio. Ad Máximum Alexandrínum Epíſcopum ſcripſit Epíſtolam, in qua erróres Pauli Samoſaténi jam in Concílio Antiochéno anathémate percúſſos, ipſe damnávit. Illíus verbis & auctoritáte póſtmodum uſus eſt ſanctus Cyríllus Alexandrínus advérsùs Neſtórium. Exortâ ſub Aureliáno Imperatóre gravi perſecutióne, fidéles ad perferénda fórtiter pro Chriſti nómine torménta hortátus eſt Felix, & ipſe certáminis ſtádium ingréſſus, hóſtium fídei victor éxtitit. Eum Mártyrem vocant ſanctus Cyríllus Alexandrínus, & Patres Concílii Epheſíni œcuménici. Eccléſiam rexit annis círciter quinque, & in cœmetério Callíſti ſepúltus eſt.

FESTA JUNII.

DIE II.
SS. POTHINI,
LUGDUNENSIS EPISC.
& ſociorum Martyrum.

Semiduplex.

Oratio. Mártyris tui Pothíni, *pag.* xvij.

Commem. SS. Marcellini & Petri, Martyrum.

Oratio. Exáudi, *pag.* xvij.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Ex Epíſtola Eccleſiárum Viennénſis & Lugdunénſis ad Eccléſias Aſiæ & Phrygiæ.

Lectio ij. apud Euſeb. Hiſt. L. 5. Cap. 1.

BEatíſſimus Pothínus Eccléſiæ Lugdunénſis Epíſcopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix ſpíritum trahens, ſed præ cupiditáte Martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quò à milítibus perlátus, proſequéntibus ipſum magiſtrátibus civitátis, & univérsâ plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipſe Chriſtus eſſet, egrégium édidit teſtimóniũ. Interrogátus à Præſide quiſnam eſſet Chriſtianórum Deus, reſpóndit: Si dignus fúeris, cognóſces. Poſt hæc inhumánè raptátus, & innúmeris plagis affèctus eſt; cùm ii quidem qui própiùs aſtábant, cálcibus & pugnis illũ contumelióſè appéterent; qui verò lóngiùs diſtábant; quidquid ad manum erat, in ipſum conjícerent; omnes dénique graviſſimi piáculi reos ſe exiſtimárent, niſi pro ſua quiſque parte ei petulánter inſultárent. Exinde vix adhuc ſpirans, in cárcerem projéctus eſt, tandémque poſt bíduum ánimam exhalávit. Matúrus verò néophytus, & Sanctus Diacónus Viennénſis cum Blandína ancilla, pluribúſque áliis ducti ſunt ad béſtias in amphiteátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus conſuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, & beſtiárum ipſos trahéntiũ morſus, ipſam poſtrémò férream cathédram, cui ſuperpóſita Mártyrum membra cùm torreréntur, illórum nares moleſtíſſimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti ſunt. Blandína autem ad palum ſuſpenſa, béſtiis objécta eſt. Quæ cùm in crucis ſpéciem ſuſpénſa cerneretur, Deóque intentíſſimè ſupplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui ſub ſorôris persóna cérnerent illum qui pro ipſis crucifíxus eſt. Cùmque nulla tunc béſtia corpus ejus attigíſſet, depóſita ex ſtípite rurſus in cárcerem conjícitur,

in áliud certámen reſerváta. Ineúnte ſolémni apud nos mercátu, Præſes beatíſſimos Mártyres ad tribúnal addúci jubet, tamquam in theatrali pompa eos pópulis oſténtans. Cùmque illos dénuò interrogáſſet, quicúmque cives Románi repérti ſunt, cápite truncávit, réliquos trádidit béſtiis. Poſt hos omnes, último tandem ſpectaculórum die, Blandína rurſus illáta eſt, unà cum Póntico adoleſcénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus qui dem cuncta ſupplícia generóſe perpéſſus, emíſit ſpíritum. Beáta verò Blandína, poſt flagra, poſt béſtias, poſt ſartáginem, retículo inclúſa, tauro objécta eſt; à quo diu in altum jactáta, tandem & ipſa inſtar víctimæ juguláta eſt.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 6. 17.

In illo témpore; Deſcéndens Jeſus de monte, ſtetit in loco campéſtri, & turba diſcipulórum ejus, & multitúdo copióſa plebis ab omni Judæa, & Jerúſalem, & Marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 1. Off. Cap. 15. & 16.

Non poteſt quis præmium accípere, niſi legitimè certáverit: nec eſt glorióſa victória, niſi ubi fúerint laborióſa certámina. Nonne injúſtus eſt, qui antè quærat præmium, quàm certámen fúerit abſolútū? Ideòque Dóminus in Evangélio ait: *Beáti qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam, quóniam ipſórum eſt regnum cœlórum. Beáti eſtis, cùm vobis maledícent hómines, & perſequéntur, & dicent omne malum advérsùm vos propter juſtítiam. Gaudéte & exultáte, quóniam merces veſtra copióſa eſt in cœlo;* futúram, non præséntem; in cœlo, non in terra, mercédem promíſit eſſe reddéndam. Quid álibi poſcis, quod álibi debétur? Quid præprópere corónam éxigis, ántequam vincas? Quid detérgere púlverem? quid requiéſcere cupis? quid epulári geſtis, ántequam ſtádium ſolvátur? Adhuc pópulus ſpectat, adhuc athlétæ in ſcámmate ſunt, & tu jam ótium petis.

In Veſperis à Capitulo de ſequenti: commemoratio præcedentis.

DIE III.

SANCTÆ CLOTILDIS, REGINÆ FRANCORUM Viduæ.

Semiduplex.

Oratio.

Reſpice, Dómine, ad Francórum benígnus impérium: & quibus per devótam ſanctæ Clotíldis inſtántiam donum fídei contulíſti, iiſdem nunc per ejus interceſſiónem tribue ſincé-

rum Chriſtiánæ pietátis affectum; Per, &c.

Lectio ij.

Ex Hiſt. Franc.

CLotíldis, Chilperíci Burgundiónum regis fília, poſt paréntum necem, à pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovæo adhuc éthnico in cónjugem trádita eſt. Cùm primogénitum peperíſſet, eum, toleránte magis quàm approbánte Clodovæo, baptizári juſſit. Quo infánte in albis defúncto, id ægrè ádmodum tulit Clodovæus, ac baptíſmo imputávit, áſſerens deos pátrios ob contémptum núminis ſui irátos, ſibi fílium eripuíſſe. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non uſquequáque judicávit indígnã, ut de útero meo génitũ regno ſuo dignarétur aſcíre. Alterũ fílium génuit Regína, & hunc quoque baptizári vóluit: qui cùm ægrotáre cœpiſſet, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit. At Regina non ceſsábat hortári virum, ut abjectâ idololatríâ, Deum verum cóleret. Sed ille ſuperſtitióni Francórum adhæſit; donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens ſuórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Chriſti imploráto, de hoſtibus triumphavit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei geſtæ cognóvit, ſanctum advocávit Remígium, à quo Rex baptizátus, & chríſmate ſacro inúnctus eſt. Poſt mortem Clodovæi, Turónos ádiit Clotíldis; ibíque ad ſepúlchrum ſancti Martíni, ſummâ pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemóſynis aliíſque piis opéribus inténta, munífica erga Eccléſias & Monaſteria. Clodoméris in bello Burgúndico occíſi fílios, nepótes ſuos, Theodovàldum, Guntárium, & Clodoáldum ſummâ curâ educávit. Tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum; & Paríſios inter pſalléntium choros transláta, ſepúlta eſt à fíliis Childebérto & Clotário Régibus ad latus Clodovæi, in ſacrário Baſílicæ ſancti Petri, ubi corpus ſanctæ Genovéfæ quiéſcit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 13. 44.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc: Símile eſt regnũ cœlórum theſáuro abſcóndito in agro: quem qui invénit homo, abſcóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérſa quæ habet, & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 11. in Evang. n. 1.

ECce regnum cœlórum theſauro abſcóndito in

agro comparátur: quem qui invénit homo abſcóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérſa quæ habet, & emit agrum illũ. Theſáurus, cœléſte eſt deſidérium: ager verò in quo theſáurus abſcónditur, diſciplína ſtúdii cœléſtis. Quem profécto agrũ vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta ſua terréna deſidéria per diſciplínæ cœléſtis cuſtódiam calcat: ut nihil jam quod caro blandítur, libeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, ſpíritus perhorréſcat.

DIE V.

SANCTI BONIFACII, MOGUNTINI EPISCOPI & Martyris.

Simplex.

Oratio. Fac nos, Dñe, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex ejus vita auctore Willibaldo, Otholono, & apud Mabill. ſæc. 2. Bened.

Bonifácius in majóri Británnia nóbili génere natus, à patre ſepténnis in Monaſtérium ductus, pietáte & rerum divinárum ſciéntiâ excélluit. Présbyter ordinátus, creſcénte in dies illíus famâ, eò quòd ſingulárem in tractándis negótiis Eccleſiáſticis exhibéret perítiam, ipſe ſibi fugâ conſuléndum ratus, obténtâ Abbátis licéntiâ, Fríſiam áppulit, Evangélium infidelibus annuntiaturus. Sed meſſe nondum matúrâ, in pátriam redíre cógitur. Abbas eléctus, ut onus refúgiat, Romam proficíſcitur: ubi à Gregório ſecúndo benignè excéptus, in Germániam míttitur, qui Evangélium prædicáret. Ob insígnem Evangélii fructum, Romam poſt annum revocátus, conſecrátur Epíſcopus, & Apoſtólici Legáti dignitáte auctus, remíttitur in Germániam. Vix credibile eſt quantis labóribus opus Evangélicum provéxerit. Sedem Moguntínam ſuſcípere coáctus, cùm illam Eccléſiam annos aliquot ſanctíſſimè adminiſtráſſet, ſuffécto in locum ſuum ſancto Lúllio Epíſcopo, ipſe ad prædicándum Fríſiis Evangélium íterum progréditur. Ibi cùm innúmeros propè ad Chriſti fidem convertíſſet, Martyrio coronátur, anno Chriſti ſeptingentéſimo quinquagéſimo quinto.

DIE VI.

S. NORBERTI, MAGDEBURGENSIS EPISC. Ordinis Præmonſtrat. Inſtitutoris.

Duplex 4. Claſ.

Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Commem. S. Claudii Veſuntini Epiſcopi.

Oratio. Omnípotens Deus, *pag.* xxiv. *Lectio ij.*

Ex ipſius vita, auctore beato Hug. ipſius diſcipulo & ſucceſſore.

Norbértus, Sanctis, Clíviæ óppido, in Dic-

céſi Colonienſi nóbili ortus proſápiâ, liberalibus diſciplínis óptimè erudítus adoleſcens, Eccleſiáſticæ milítiæ aſcriptus, ſacris initiátus eſt. Nec adhuc vícerat tunc mūdi illécebras, cùm iter quondam fáciens, crepitánte tónitrus fragóre, fulgurantibus è cœlo crebris ígnibus, & ruénte haud procul fúlmine térritus, & humi ſtratus, ad melióra ſe convértere propóſuit. Extémplo, relíctâ Imperatóris aulâ, abdicátis benefíciis Eccleſiáſticis, & património in páuperes erogáto, auſteriórem vitam ampléctitur, pelliceâ melóte indútus, ſemel in die ad véſperam ſolo ſe paſcens cibo quadrageſimali, nudíſque pédibus, & laceiâ veſte ſub brumali frigore incédens. Inſuper & in verbi divíni prædicatione contínuus, ópere & ſermone ſic potens factus eſt, ut innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, diſſidéntes ad concordiam revocáverit. Cùm eſſet Laudúni, à Bartholomæo Epiſcopo rogátus ne à ſuâ Diœcéſi diſcéderet, deſértum in ea locum, qui Præmonſtratus dicebatur, ſibi delegit, ex quo totus Ordo, quem ibi ſub régulâ ſancti Auguſtíni inſtituit, nomen accépit. Antuérpiam accerſítus, graſſántem in ea urbe Sacramentáriam, & Adamíticam Tanchelini hæreſim profligávit. Qui multò antè ei oblátum ſibi Cameracénſem Epiſcopátum recusáverat, ad Magdeburgénſem ſedem Lotharii Imperatoris précibus, & Legati Apoſtolici juſſu poſtea raptus, Eccleſiáſticam diſciplínam, præſertímque ſacrórum miniſtrórum cœlibatum conſtánter propugnavit. Remis in Concílio, Innocéntium ſecúndum egrégiè adjuvit, & Romam cum áliis Epiſcopis profectus, ſchiſma Petri Leonis compreſſit, Innocéntio ſuæ Sedi réddito. Exáctis in Pontificátu annis ferè octo, ábiit ad Dóminum anno milléſimo centéſimo trigéſimo quarto; & à Gregório decimo tértio in númerum Sanctórum aſcríptus eſt, miraculis ante & poſt mortem illuſtris.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 24. 42.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcítis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Serm. de Paſtorib. 46. n. 2. T. 5. edit. Ben.

NOs quos in iſto loco, de quo periculóſa ratio rédditur, Dóminus ſecundùm dignationem ſuam, non ſecúndùm méritum noſtrum conſtituit, habémus duo quædam; unum quòd Chriſtiani

ſumus;

ſumus; álterum, quòd Præpóſiti ſumus. Illud quòd Chriſtiáni ſumus, propter nos eſt: quòd autẽ Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo quòd Chriſtiáni ſumus, atténditur utílitas noſtra: in eo quòd Præpóſiti, non niſi veſtra. Sunt autẽ multi Chriſtiáni, & non Præpóſiti, qui pervéniunt ad Deũ faciliòri fórſitã itínere, & tantò fortè expedítiùs ambulántes, quantò minórem sárcinam portant. Nos autem, excépto quòd Chriſtiáni ſumus, unde ratiónem reddémus Deo de vita noſtra, ſumus étiam Præpóſiti, unde ratiónem reddémus Deo de diſpenſatióne noſtra. Ad hoc iſtam difficultátem propóno, ut compatiéntes nobis, orétis pro nobis.

Die viii.

S. MEDARDI, Noviomensis Episcopi.

Semiduplex.

Oratio. Da Eccl. *pag.* xxiv.

Lectio ij.

Ex Fortunato Pictav. Greg. Turon. & aliis.

MEdárdus, apud Salentíacum, in pago Viromanduénſi natus, à paréntibus piè inſtitútus, magna dedit à primis annis futúræ ſanctitátis indícia. Cùm enim ſcholas adhuc puérulus frequentáret, páuperis nudi miſértus, túnicam ſuam éxuit, ut illum veſtíret. Cibos étiam in prándium ſibi datos non ſemel egénis diſtríbuit, jejúnus ipſe diem ad véſperam uſque tradúcens. His & áliis præmatúris quibus elucébat virtútibus jam laudándus júvenis, Viromanduénſi Epíſcopo tráditus eſt, ut in Clericórum númerum aſcriberétur. Creſcéntibus autem cum ætáte méritis & doctrínâ, ad altióres gradus aſcéndit. Présbyter conſecrátus, promovéndæ animárum ſalúti totus incúbuit, verbo Dei inſtans, aſsíduè próximi neceſſitátibus próvidens, ſuámque diligénter in ómnibus paſtorális curæ negótiis Epíſcopo cónferens óperam. Longè olébant præcláræ ipsíus virtútes, cùm Viromanduórum Epiſcopátum, multórum iterátis précibus victus, regéndum ſuſcépit; ac ſedem, eò quòd Augúſta Viromanduórum à Vándalis & Hunnis eſſet evérſa, Noviómi in óppido munítò, collocávit. Interim ſanctus Eleuthérius, Tornacénſis Epíſcopus móritur. Poſt cujus exéquias, cùm clerus & pópulus Tornacénſis Medárdum ſibi dari Epíſcopũ poſtuláſſent, ſancto Remígio cæteríſque Provínciæ Epíſcopis annuéntibus, Rege & regni procéribus ſuâ auctoritáte rem promovéntibus, utriúſque Eccléſiæ curam ſuſcépit, Epiſcopális ſedis honóre utríque ſerváto, quamvis Tornacénſes ab eo témpore, per annos círciter ſexcéntos, non álium

quàm Novioménſes habúerint Epíſcopos. Flandros, gentem tunc ferócem convértit ad Chriſtum. Obiit conſummáto óperis curſu & plenus diérum; eúmque Clotárius ſummo cum honóre apud Sueſſiónas ſepelíri juſſit.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 12. 35.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et réliqua.

Homília ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. de Confeſſ. & Diſpenſat. Domini.

JUbens Dóminus lumbos noſtros præcíngi, concupiſcéntiam carnis ſine dúbio præcépit refrænári. Imperans autem ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut & lúmine veræ fídei ſplendeámus, & ſanctæ charitátis opéribus ferveámus. Jubens ut ſint lumbi noſtri præcíncti, mandat ut mala deſidéria atque ópera fugiámus. Jubens ut ſint lucérnæ noſtræ ardéntes, monet ut bona dicámus, atque faciámus... Lumbos noſtros ipſe præcíngat Dóminus: lucérnas noſtras ipſe ardére fáciat, ardentéſque cuſtódiat; ut nec frigéſcat noſtra cháritas, nec áliqua nobis dominétur iníquitas: ſed Dóminus ac Redémptor noſter... nobis donet ut quod ab illo audímus, rectè intelligámus, & ſicut opórtet faciámus; vobíſque faciéndum ſermóne ſufficiénti & cóngruo prædicémus.

DIE XI.

SANCTI BARNABÆ, GENTIUM APOSTOLI.

Duplex 3. Claſ.

Omnia de Communi Apoſtol. exceptis iis quæ ſequuntur.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

COelo datur quiéſcere,
Terris relíctis, Bárnaba:
Solémnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.
Quem propter, agro véndito,
Opes cadúcas déſeris,
Magno repéndens fœnore
En fundus ipſe ſit tuus.
Hujus moléſtam ſæculi,
Ponéndo ſpontè sárcinam,
Levis fiébas, qui Deum
Totum per orbem pérſones.
Da, Chriſte, nos tecum mori;
Tecum ſimul da súrgere;
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléſtia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. a.* Bárnabas, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & póſuit an-

te pedes Apoſtolórum, allelúia. *Act. 4. 36. 37.*

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD NOCTURNUM.

Lectio 1. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex Actibus Apoſtolorum & Uſuardo.

Barnabas, qui & Joſeph Levítes, Cyprius génere, agro véndito quem poſſidébat, prétium áttulit ad pedes Apoſtolórum: ad quos & póſtea Paulum addúxit recèns convérſum. Jèrosólymis Antiochíam miſſus ab Eccléſia, quæ audíerat quoſdam ibi diſcípulos Dominum Jeſum Græcis annuntiaſſe, cùm vidíſſet grátiam Dei, gavíſus eſt, & hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dómino; profectus eſt inde Tharſum, ut quæreret Paulum, quem cùm inveníſſet, perdúxit Antiochíam: & annum totum conversáti ſunt ibi in Eccléſia, & docuérunt turbam multam; ita ut cognominaréntur primùm Antiochíæ diſcípuli, Chriſtiáni. Ortâ fame ab Agabo prædíctâ, collectas eleemóſynas ad fratres in Judæa habitántes, cum Paulo détulit. Quo expléto miniſtério revérſi ſunt, aſsúmpto Joánne, cui cognomen erat Marcus. Cùm autem Antiochíæ in Eccléſia cum cæteris prophétis & doctóribus miniſtrárent Dómino, & jejunárent, dixit Spíritus ſanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod aſsúmpſi eos. Tunc jejunántes & orántes, imponentéſque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seléuciam venérunt, inde Cyprum: ac multas prætérea urbes, regionéſque peragrárunt; prædicántes Evangélium, & conſtituéntes per ſíngulas Eccléſias Presbyteros. Cùm autẽ Lyſtris propter claudum à Paulo ſanátum pro diis haberéntur, vocaréntque turbæ Barnabam, Jovem; Paulum verò, Mercúrium, vix deterruérunt turbas ne ſibi immolárent. Revérſi Antiochíam, ortâ ibi ſeditióne propter Judæos qui volébant gentes ad Deũ convérſas circumcídi, rem ad Apóſtolos retulérunt, qui in Concilio Jeroſolymitáno ſuper ea re decrétum ſtatuérunt, remiſerúntque eos ad Eccléſiam Antiochíæ adjunctis Judâ & Silâ, ſcribéntes per manus eórum. Poſtremò Bárnabas digréſſus à Paulo, unà cum Marco navigávit Cyprum; multíſque perfúnctus pro Chriſto labóribus, glorioſo fine quiévit. Refert Alexánder Cyprius corpus ejus in ínſula Cypro, Zenóne imperánte, repertum eſſe, ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, ipsíus Barnabæ manu conſcríptum.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 10. 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum: eſtóté ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & símplices ſicut colúmbæ. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. in Ev. Matth. Cap. 10.

QUod dicit: Ecce ego, auctóritas & fortitúdo eſt Deitátis: & quia oves meæ eſtis, mitto vos, & volo ut manſuetúdinem & humilitátem habeátis, ne propter ſeditiónem lupórum, id eſt, perſecutórum, patiéntiam & conſtántiam veſtram perdátis. Eſtóte ergo prudéntes ſicut ſerpéntes, & símplices ſicut colúmbæ. Devítent insídias per ſimplicitátem, non fáciant... Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre... Ac ſi apértè membris ſuis infirmántibus dicat, Nolíte terréri, vos ad certámen accéditis; ſed ego prælior: vos verba éditis; ſed ego ſum qui loquor.

Ad Bened. *Ant. ſ.* 1. *d.* Bárnabas hortabátur omnes in propóſito cordis permanére in Dño; quia erat vir bonus & plenus Spíritu ſancto, & fide, allelúia. *Act.* 11. 23. 24.

Oratio.

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu ſancto ad opus vocatiónis & converſiónis géntium aſsúmere dignátus es: concéde, ut mémores óperis & charitátis ejus, Evangélio Chriſti quod prædicávit, dignè converſári mereámur; Per eúmdem.... in unitáte ejúſdem, &c.

AD II. VESPERAS.

Hymnus *ex Sanct. Vict.*

TU ſacra per jejúnia
Tu públicas inter preces,
Jubénte ſancto Spíritu,
Chriſti creáris núntius.

Quas non adis mundi plagas
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo ſpíritus,
Vos una junxit cháritas.

Quam veſtra gens Chriſti fidem
Luci rebéllis réppulit,
Nil hæſitántes bárbaris
Portáſtis illam géntibus.

Fac, Chriſte, noſtris ſe tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis ſuæ
Cœléſte donum réſpuant.

Da, Chriſte, nos tecum mori;
Tecum ſimul da súrgere;
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Ad Magnif. *Ant. ſ.* 5. *a.* Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Domini noſtri Jeſu Chriſti, allelúia. *Act.* 15. 25. 26.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS VERNA.

TEMPORE PASCHALI.

In I. Veſperis, *ſola ſumitur, antiphona prima de I. Veſperis cujuſque communis SS. reliqua ut in quolibet officio, addendo,* Alleluia, *ad antiphonas,* ℟. *&* ℣.

In Officio nocturno, *Invitator. ut in communi, addendo,* Alleluia. *Tres antiphonæ,* ℟. ℟. ℟. *&* ℣. *ex uno nocturno juxta rubricam; ſcilicet die Dominica, feria* 2. *& feria* 5. *ex* 1. *noct: feria* 3. *& ſexta ex* 2. *noct. feria* 4. *& ſabbato ex* 3. *noct. ſingulis autem antiph.* ℟. *&* ℣. *additur* Alleluia. *In ſimplicibus dicitur tantùm una antiph. ad noctur.*

Ad Laudes, *omnia ut per annum, addito* Alleluia, *ad antiphon. &* ℣.

Ad Horas br. *in* ℟. *br. additur duplex* Alleluia, *à quibus poſt* ℣. *fit reclamatio.*

Ad II. Veſperas, *ut in communi, additis* Alleluia, *ad antiph. &* ℣.

COMMUNE APOSTOLORUM.

In Com. ad totum Officium ſemper dicuntur Pſalmi de Feria, niſi aliter notetur in Proprio.

AD I. VESPERAS.

Prophetiæ vel figuræ de Apoſtolis prænuntiantes.

Ant. t. 1. *d.* QUi ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras? *Iſ.* 60. 8.

Ant. t. 5. *A.* Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. 6. *f.* Locútus es, Dómine, cum eis, & dediſti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Eſd.* 9. 13.

Ant. *t.* 3. *a.* Ecce venérunt: ponent Dómino glóriam, & laudem ejus in Inſulis nuntiábunt. *Iſ.* 42. 9. 12.

Ant. *t.* 8. *g.* Ædificábunt desérta à ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes diſſipátas. *Iſ.* 61. 4.

Capitulum. *Iſ.* 66. 12. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus . . . Mittam ex eis qui ſalváti fúerint, ad gentes, . . ad Inſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros donum Dómino. ℞. Deo grátias.

℞. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit Deus cum illis, & * Judícia ſua oſténdit illis. Et † Magnália honóris ejus vidit óculus illórum: & mandávit illis unicuíque de próximo ſuo. ℣. Póſuit Deus in Eccléſia primùm Apóſtolos; * Judícia. Glória. † Magnália. *Eccli.* 17. 10. 11. 12. 1. *Cor.* 12. 28.

HYMNUS.

QUos Chriſtus ténebras
péllere méntibus,
(Ceu biſſéna novi lúmina fœderis)
Doctóres fídei mittit Apóſtolos,
Feſto cármine pángimus.
Ut nubes plúviis denſa ſalúbribus,
Veri fœta cohors tránſvolat æquora:
Chriſtum voce tonat; fálſaque córruunt,
Verbi fúlmine, númina.
Velóces óperi, quo páritur ſalus,
Plures per lácrymas, dum ſtérili ſacrum
Fundunt ſemen agro, ſpem ſimul áureæ
Meſſis córdibus ínſerunt.
Nec torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati; móllia ſpérnere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm bene dédocent!
His Chriſti réferunt dógmata móribus,
Naſcentíſque gregis partúriunt fidem,
Quam, ne degéneri pectore décidat,
Fuſo ſánguine nútriunt.
Heu! noſtris ſua vox áuribus ínſonans
Hortátur; nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per eos ſata,
Da, Numen, frúticet fides.
Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio:
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, ferunt lumen Apóſtoli
Fines orbis ad último.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur;

℟. Et mirabília tua narrabunt. *Pſ.* 144. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 1. *D.* Exúrge, Jerúſalem, & vide collectos filios tuos ab Oriēte ſole uſque ad Occidéntem in verbo ſancti gaudéntes Dei memóriâ. *Baruch.* 5. 5.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Chriſtum Apoſtolórum Magiſtrum & Dóminum * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13. *Pſalmus* 94. Veníte. *Pag* 2.

IN I. NOCTURNO.

Apoſtolorum vocatio, & electio.

Ant. t. 2. *D.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis. *Iſ.* 61. 6.

Ant. t. 2. *d.* Vocabúntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum *Iſ.* 61. 3.

Ant. t. 8. C. Aſcéndent ſalvatóres in montem Sion: & erit Dómino regnum. *Abdiæ.* 1. 21.

℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii:

℟. Conſtitues eos príncipes ſuper omnem terram. *Pſ.* 44. 17.

Pater noſter, &c.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Laudémus viros glorióſos, & paréntes noſtros in generatióne ſua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à ſæculo, * Homines magni virtúte, & prudéntiâ ſuâ prædíti, & imperántes pópulis ſanctíſſima verba. ℣. Vocávit Jeſus ad ſe quos vóluit; & venérunt ad eum: & fecit ut eſſent duódecim cum illo, * Hómines magni ... *Eccli.* 44. 1. 2. 3. 4. *Marc.* 3. 13. 14.

℟. 2. Póſuit Dóminus óculum ſuum ſuper corda illórum, oſténdere illis magnália óperum ſuórum, * Ut nomen ſanctificatiónis collaúdent, & magnália enárrent óperum ejus. ℣. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. * Ut nomen ... *Eccli.* 17. 7. 8. *Luc.* 6. 13.

℟. 3. Qui dat laſſo virtútem: * His fortitúdinem & robur multíplicat: † Aſſúment pennas ſicut áquilæ; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non defícient. ℣. Ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret. .. * His fortitúdinem ... Glória ... † Aſſúment. *Iſ.* 40. 29. 31. 1. *Cor.* 1. 28.

IN II. NOCTURNO.

Apoſtolorum miſſio; & ipſis data poteſtas:

Ant. t. 4. *A.* Seminábo eos in pópulis; & confortábo eos in Dómino; & in nómine ejus ambulábunt. *Zach.* 10. 9. 12.

Ant. t. 2. *D.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fáci-

te: leváte ſignum, prædicáte, & nolite celare. *Jerem.* 50. 2.

Ant. t. 1. *d.* In doctrínis glorificáte Dóminum; in Inſulis maris nomen Dómini Dei Iſrael. *Iſa.* 24. 15.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95. 3.

Pater noſter, &c.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion: levavérunt vocem; óculo ad óculum vidébunt. * Conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: parávit bráchium ſanctum ſuũ in óculis ómnium géntium. ℣. Duódecim Apóſtolos miſit Jeſus; præcípiens eis, dicens: Euntes prædicáte: quia appropinquávit regnum cœlorum. * Conſolátus. *Iſ.* 52. 8. 9. 10. *Matth.* 10. 5. 7.

℟. 5. Aperíte portas, & ingrediátur gens juſta, cuſtodiens veritátem. * Vetus error abiit: Servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te ſperavimus. ℣. Egreſſi circuíbant per caſtélla, evangelizantes & curántes ubíque. * Vetus error.... *Iſ.* 26. 2. 3. *Luc.* 9. 6.

℟. 6. Ite, ángeli velóces, ad gentem convúlſam; * Ad pópulum terríbilem, poſt quem non eſt álius. † Omnes habitatóres orbis, cùm elevátum fúerit ſignum in móntibus, vidébitis. ℣. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio luporum. * Ad pópulum. Glória. † Omnes. *Iſ.* 18. 2. 3. *Matth.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Apoſtolorum prædicatio: & fructus.

Ant. t. 7. *D.* Elécti mei non laborabunt fruſtrà, quia ſemen benedictórum Dómini eſt. *Iſa.* 65. 23.

Ant. t. 5. *F.* Sanctificábunt ſanctum Jacob, & Deũ Iſrael prædicabunt. *Iſ.* 29. 23.

Ant. t. 3. *a.* Pópulus, quem ignóro, ſérviet mihi: filii alièni audítu auris obédient mihi. 2. *Reg.* 22. 44. 45.

℣. Dominus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Pater noſter, &c.

Evang. & Homil. ut in Proprio.

℟. 7. Nova bella elégit Dominus: qui própriâ voluntate obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino: qui ſedétis in judício, loquímini. * Salvátæ ſunt relíquiæ pópuli, Dóminus in fortibus dimicavit. ℣. Magnificabat eos pópulus, augebatur credéntium in Dómino multitudo. * Salvatæ ſunt. *Judic.* 5. 8. 9. 10. 13. *Act.* 5. 13. 14.

℟. 8. Spiritum tuum bonum dediſti, Dómine, qui docéret eos. * Et dediſti eis regna, & populos, & partítus es eis ſortes: & multiplicáſti filios eórum ſicut ſtellas cœli. ℣. Salútem

de qua exquiſiérunt Prophétæ, evangelizavérunt, Spíritu ſancto miſſo de cœlo. * Et dedi illi . . 2. *Eſd.* 9. 20. 22. 23. 1. *Petri.* 1. 10. 12.

℟. 9. Magnificavit Dóminus fácere cum eis. * Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina ſua. † Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos. ℣. Illi pertransíbant narrántes converſiónem géntium, & faciébant gaudium magnum. * Eúntes . . . Glória. † Veniéntes. *Pſ.* 125. 2. 6. *Act.* 15. 3.

Te Deum *dicetur.*

AD LAUDES.

Apoſtolorum virtutes: & per eos facta judicia.

℣. *Sacerdotalis.* Póſuit in eis Dóminus verba ſignórum ſuórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Pſ.* 104. 27.

Ant. t. 1. *A.* ISti hómines ſervi Dei excélſi ſunt, qui annúntiant vobis viam ſalútis *Act.* 16. 17.

Ant. t. 5. *A.* Dedit illis Jeſus virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. *Luc.* 9. 1.

Ant. t. 2. *D.* Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequentibus ſignis. *Marc.* 16. 20.

Ant. t. 6. *f.* Erat manus Dómini cum eis; multúſque númerus credéntium convérſus eſt ad Dóminum. *Act.* 11. 21.

Ant. t. 7. *C.* Loquebántur verbum Dei cum fidúcia: & grátia magna erat in ómnibus. *Act.* 4. 31. 33.

Capitulum. Heb. 2. 3. 4.

CUm inítium accepíſſet ſalus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtáte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus.

℣. Glóriam regni tui dicent; ℟. Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam. *Pſ.* 144. 11. 12.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* In fundaméntis civitátis ſanctæ Jerúſalem nómina duódecim Apoſtolórum Agni. *Apoc.* 21. 14. *Oratio ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ, quod ſemper obſervatur.

Ant. Iſti hómines.

Capitulum. Regi ſæculórũ, &c. *Canon, ut in Proprio de Tempore, reliqua ut in Pſalterio.*

AD TERTIAM.

Ant. Dedit illis.

Capitulum. Act. 5. 12.

PEr manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe.

In Duplicibus. ℟. Ecce dedi vobis poteſtátem ſuper omnem virtútem inimíci. * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte autem, quòd nómina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen.. Glória † Gau-

dete . . . *Luc.* 10. 19. 20. *Soph.* 3. 20.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum *Pſ.* 138. 17.

In Semiduplicibus, & per Oct. ℟. *br.* Príncipes populórum congregáti ſunt * Cum Deo Abraham: (*rep.*) Príncipes: ℣. Quóniam dii fortes terræ, vehementer eleváti ſunt (*rep.*) Cum Deo. Glória. (*reſum.*) Príncipes. *Pſ.* 46. 10.

℣. Nimis honorificáti ſunt &c. *ut ſuprà.*

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Ant. Prædicavérunt

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 19. 20.

POſuit Deus in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit ſonus eórum. (*rep.*) In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. (*rep.*) Exívit. Glória.. (*rep.*) In omnem. *Pſ.* 18. 5.

℣. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

AD NONAM.

Ant. Loquebántur.

Capitulum. Eph. 2. 19. 20.

FRatres, Jam non eſtis, hóſpites & ádvenæ: ſed eſtis cives ſanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum, & Prophetárum, ipſo ſummo angulári lápide Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Annuntiavérunt * Opera Dei. (*rep.*) Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. (*rep.*) Opera. Glória. (*reſum.*) Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Narrábimus mirabília tua. *Pſ.* 74. 2.

AD II. VESPERAS.

Apoſtolorum labores, & ipſorum poſt paſſionem gloria.

Ant. *t.* VIrtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act.* 4. 33.
3. *A.*

Ant. *t.* 5. *F.* Ibant gaudéntes, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act.* 5. 41.

Ant. *t.* 1. *d.* Tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15. 26.

Ant. *t.* 8. *G.* Apóſtoli Eccleſiárum, Glória Chriſti. 2. *Cor.* 8. 23.

Ant. *t.* 6. *f.* Exúlta ſuper Babylónem, cœlum, & ſancti Apóſtoli; quóniam judicávit Deus judícium veſtrum de illâ. *Apoc.* 18. 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 9.

DEus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tamquam morti deſtinátos: quia ſpectáculũ facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

Hymnus. *Ex Sanct. Vict.*

Quem miſit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
Amóris hic fidos ſui
Vos éligit Vicários.

Occíſus Agnus à lupis,
Vos miſit agnos ad lupos:
Mores feríllos éxuunt,
Agni repénte de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piâſtis ſánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta ſurréxit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.

Quam ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigatis créſcere;
Fruménta nos cœleſtibus
Matúra condes hórreis.

Uni ſit & Trino Deo
Suprémalaus, ſummũ decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſrael. *Matth.* 19. 28.

Oratio ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Certanti pro juſtitia adfuturum ſe promittit Deus.

Ant. t. 1. *d.* Juſtus quaſi leo confidens, abſque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. t. 3. *E.* In tentatióne Deus illum conſervábit, non illidétur quaſi in procélla navis. *Eccli.* 33. 1. 2.

Ant. t. 2. *d.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & ſciens ſperántes in ſe. *Nahum.* 1. 7.

Ant. t. 7. *D.* Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quod vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Ant. t. 5. *A.* Uſque in tempus ſuſtinébit patiens, & póſtea rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Joſue. 1. 9.

Ecce præcípio tibi, confortáre, & eſto robúſtus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum eſt Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus. ℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino, * Erit Dóminus fidúcia ejus. † Non timébit cùm vénerit æſtus. ℣. Si propter Dei conſciéntiam ſúſtinet triſtítias, pátiens injúſtè. * Erit Dóminus. Glória. † Non timébit. *Jerem.* 17. 7. 8. 1. *Petri* 2. 19.

Hymnus.

Martyr ſancte, tibi débita nós decet
Virtútis mémores prómere cántica;
Quem nec blandítiis, nec pótuit minis

Fallax víncere ſæculum.
Mundi ſpernis opes, flúxaque gaúdia;
Diras nec métuis carníficum manus:
Enſes, flagra, rotas, ómnia pérpeti,
Victrix te dócuit fides.
Ut Chriſto móriens, quà póteris tuâ
Reddas morte vices, víctima víctimæ,
Tu' pœnas ávidâ mente præóccupas,
Divínæ necis æmulus.
I nunc, ſancte pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant præmia mílitem:
Præſens Chriſtus adeſt: hoc duce, non cades,
Ni victâ nece fórtior.
Æternùm cita mors vívere Martyri
Quòd ſpondet, próperas, Martyr, ovans mori,
Palmam dum móriens conſéqueris tibi,
Firmas, noſque mori doces.
Et nos chriſtíadæ, blanda per ótia
Vitæ delícias quærimus anxii,
Noſtram ſegnítiem dúriùs íncrepat
Fuſo ſánguine víctima.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Juſtus cùm cecíderit, non collidétur: ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuâ. *Pſ.* 36. 24.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce Deus ſalvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus. *Iſ.* 12. 2.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit Propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Chriſtum qui dat vincénti manna abſcónditum; * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 17. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Firmus Martyris ad pugnam ſe præparantis animus.

Ant. t. 1. *A.* Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13. 5.

Ant. t. 7. *D.* Prompto ánimo pro ſanctíſſimis légibus, honéſtâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6. 28.

Ant. t. 8. *G.* In quocúmque loco fúeris, Dómine, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. *Reg.* 15. 21.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam; ℟. Quia Deus ſuſcéptor meus es. *Pſ.* 58. 10.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. E cœlo membra iſta poſſídeo; ſed * Propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me

ea receptúrum ſpero. ℣. Ego non ſolum alligári, ſed & mori parátus ſum, propter nomen Dómini Jeſu. * Propter Dei leges. 2. *Mach.* 7. 11. *Act.* 21. 13.

℟. 2. Angúſtiæ ſunt mihi úndique: ſed * Mélius eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. * Mélius. *Dan.* 13. 22. 23. *Act.* 20. 23. 24.

℟. 3. Ille glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad ſupplícium; patiénter ſúſtinens, * Deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Magis éligens afflígi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. * Deſtinávit. Glória. * Deſtinávit. 2. *Mach.* 6. 19. 20. *Heb.* 11. 25.

IN II. NOCTURNO.

Martyris in tormentis & in morte conſtantia.

Ant. t. 8. *C.* Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vinceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Torménta ſuſcépit; ita ut mirarentur, quòd tamquam nihilum dúceret cruciátus. 2. *Mach.* 7. 8. 12.

Ant. t. 3. *a.* Mundus óbiit, per omnia in Dómino confidens. 2. *Mach.* 7. 40.

℣. Deo ſubjécta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61. 6.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, manifeſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberári, * Duros córporis ſuſtíneo dolóres: ſecúndùm ánimā verò propter timorem tuum libénter hæc pátior. ℣. Pátior, ſed non confúndor. Scio enim cui crédidi. * Duros. 2. *Mach.* 6. 30. 2. *Tim.* 1. 12.

℟. 5. Nequáquam ut mori ſolent ignávi mórtuus eſt; ſed * Sicut ſolent cádere coram fíliis iniquitátis, ſic corruíſti. ℣. Confortátus fide, dans glóriam Deo. * Sicut. 2. *Reg.* 3. 33. 34. *Rom.* 4. 20.

℟. 6. Hanc tentatiónem * Ideò permíſit Dóminus evenire illi, ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequénter. * Ideò. Glória. * Ideò. *Tob.* 2. 12. 2. *Cor.* 11. 23.

IN III. NOCTURNO.

Per Deum Martyris victoria.

Ant. t. 8. *C.* Honeſtávit illum in laboribus, & complévit labores illius. *Sap.* 10. 10.

Ant. t. 3. *A.* In fraude circumvenientium illum affuit illi. *Sap.* 10. 11.

Ant. t. 2. *D.* Intrávit in

ánimâ ſervì Dei, & ſtetit contra reges horréndos in porténtis & ſignis. *Sap.* 10. 16.

℣. Tu, Dómine, adjuvíſti me; ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Factus es mihi adjútor, Dómine, & liberáſti me * A rugiéntibus præparátis ad eſcam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi áſtitit, & confortavit me, & liberátus ſum de ore leónis, * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 3. 4. 5. 2. *Tim.* 4. 17.

℟. 8. Poſt tempeſtátem, tranquíllum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum, exultatiónē infúndis. * Sit nomen tuum, Deus Iſrael, benedíctum in ſæcula.

℣. Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus dedit conſolatiónem ætérnam, & ſpem bonam in grátia. * Sit nomen. *Tob.* 3. 22. 23. 2. *Theſ.* 2. 15.

℟. 9. Deus à peccatóribus liberávit eum, deſcenditque cum illo in fóveam, & * In vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant. ℣. Erat Deus cum eo: & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * In vínculis. Glória. * In vínculis. *Sap.* 10. 13. 14. *Act.* 7. 9. 10.

In Duplicibus & Semiduplicibus dicitur Te Deum; *& ſic in omni alio Communi.*

AD LAUDES.

E cælo miſſæ conſolationes quæ Martyris animam lætificant mediis in tribulationibus.

℣. *Sacerdotalis.* Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, ℟. Et exultábo manè miſericórdiâ tuam. *Pſ.* 58. 17.

Ant. t. 1. *D.* Non fácio ánimâ meâ pretioſiórem quàm me, dúmmodo consúmmem curſum meum. *Act.* 20. 24.

Ant. t. 3. *A.* Pláceo mihi in perſecutiónibus, in anguſtiis pro Chriſto. 2. *Cor.* 12. 10.

Ant. t. 8. *G.* Replétus ſum conſolatióne, ſuperabúndo gaúdio in omni tribulatióne 2. *Cor.* 7. 4.

Ant. t. 6. *f.* Magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. *Phil.* 1. 20.

Ant. t. 8. *C.* Omnia detriméntum feci, ut Chriſtum lucrifáciam. *Philip.* 3. 8.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 4.

Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33. 7.

Ad Bened. *Ant.* t. 5. *F.* Qui perdíderit ánimâ ſuam propter me, & Evangélium, ſalvam fáciet eam. *Marc.* 8. 35.

Oratio ſi ſit Pontifex.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui in Sanctórum tuórum virtúte es mirábilis; da nobis Beáti N. feſtivitátem cóngruis honóribus, & ſédulâ imitatióne celebráre; qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod miniſtério geſſit, teſtimónio comprobávit, & quod prædicavit ore, confirmávit exémplo: Per eúmdem Dóminum, &c.

Alia Oratio ſi ſit Pontifex.

FAc, nos, Dómine Deus, imitári ſacerdotálē conſtántiam Beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervántes, quam dócuit, ejúſdem corónæ consórtes efficiámur; Per Dóminum, &c.

Oratio pro Martyre tantùm.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, interceſſióne ejus & exémplo, in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio pro Martyre tantùm.

DEus qui beátum Martyrem tuum N. virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti; tribue, quæſumus, nos ex ejus imitatióne pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus advérſa formidáre; Per Dóminum, &c.

Si facienda ſit commemoratio alterius Martyris ſimpl. fiet per Ant. ad Magnif. *& ℣. ex primis Veſperis; quod ſervatur in omni alio Communi.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 5. 3. 4. 5.

TRibulátio patiéntiam operatur: patiéntia autē probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confúndit.

℟. *In Duplic.* Probávit me Dóminus quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus, * Viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. ℣. Ad cognoſcéndum Chriſtum, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. * Viam ejus. Glória. * Viam. *Job.* 23. 10. 11 *Philip.* 3. 10.

℣. In Deo ſperávi, ℟. Non timebo quid fáciat mihi homo. *Pſ.* 55. 11.

In Semid, & Simpl. ℟. *br.* Si conſíſtant advérſùm me caſtra, * Non timebit cor meum. Si conſíſtant. ℣. Si exurgat advérsùm me prælium. * Non timébit. Gloria. Si. *Pſ.* 26. 3.

℣. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea, ℟. Quem timebo? *Pſ.* 26. 1.

Oratio ut in Laudibus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 3. 5.

QUi vicerit, veſtietur veſtiméntis albis, & confitebor nomen ejus corā Patre meo & coram Angelis ejus.

℟. *br.* Super ſalutáre tuum, Dómine, * Exultábit veheménter. Super. ℣. Deſidériū cordis ejus tribuíſti ei. *

Exultábit. Glória. Super. *Pſ.* 20. 2. 3.

℣. Lætificábis eum in gaúdio, ℟. Cum vultu tuo. *Pſ.* 20. 7.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 8. 18.

FRatres, Exíſtimo quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

℟. *br.* Magna eſt glória ejus * In ſalutári tuo. Magna. ℣. Glóriam & magnum decórẽ impónes ſuper eum.* In ſalutári. Glória. Magna. *Pſ.* 20. 6.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

AD II. VESPERAS.

Vincit & coronatur Martyr.

Ant. 1. 8. *G.* PRopter opus Chriſti uſque ad mortem accéſſit, tradens ánimã ſuam. *Philip.* 2. 30.

Ant. 1. 7. *C.* Divítias æſtimans impropérium Chriſti, aſpiciebat in remuneratiónem *Hebr.* 11. 26.

Ant. 1. 3. *e.* Expectábat fundaménta habéntem civitatem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10.

Ant. 1. 5. *f.* Deus juſtum oppreſſum à nefandórum injúria erípuit. 2. *Petr.* 2. 7.

Ant. 1. 6. *F.* Data eſt ei coróna, & exivit vincens ut vinceret. *Apoc.* 6. 2.

Capitulum. Jacob. 1. 12.

BEatus vir, qui ſuffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromíſit Deus diligẽtibus ſe.

HYMNUS. *ex Sant. Vict.*

EX quo, ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor;
Homo redémptus æmulum
Deo litávit ſánguinem.

Non jam crucis Chriſti pudet:
Quin ſurgit ingens glória
Deum fateri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iſte plenus ſpíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dexterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

Paráta ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnam volat:
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da ſuſtinére pro tuo,
Quodcúmque durũ, nómine.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fíli, par Patri,
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus ſit glória. Amen.

℣. Poſuiſti, Dómine, in cápite ejus coronam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

Ad Magn. *Ant.* 1. *D.* Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. In réliquo repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ. 2. *Timoth.* 4. 7. 8.

Oratio ut ſuprà ad Laudes, niſi ſit propria.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Tribulatione, electorum ſuorum virtutem probat Dominus.

Ant. t. 8. *D.* PRobat hómines juſtos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. t. 3. *A.* Quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos Deus, & in témpore erit reſpéctus illórum. *Sap.* 3. 6.

Ant. t. 2. *D.* In paucis vexáti, in multis bene diſponentur, quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5.

Ant. t. 1. *f.* Etſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4.

Ant. t. 7. *D.* Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte, ut conflentur, & dealbéntur uſque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11. 33. 35.

Capitulum. Iſ. 51. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis: ſicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis: Salus autem mea in ſempitérnum erit.

In Duplic. ℟. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & timémus te; ne confúndas nos: & * Erue nos in mirabílibus tuis; & da gloriã nómini tuo: & confundantur omnes qui oſténdunt ſervis tuis mala.

℣. Datum eſt béſtiæ bellũ fácere cum ſanctis. * Erue nos. Glória. * Erue nos. *Dan.* 3. 41. 42. 43. 44. *Apoc.* 13. 7.

HYMNUS.

CHriſti quis mémoret prælia mílitum?
Palmis illa nitet turba viréntibus,
Victorúmque gerit præmia nóbiles
Multo sánguine láureas.
Aptántur mánicæ, vérbera, cómpedes:
Illi ſupplícium delícias putant;
Subdunt ſe gládiis; & súperat fides
Armis fórtior ómnibus.
Qui vincéndo cadunt, áſpice mílites,
Non indígna, Deus, númine múnera;
Quot proſtráta jacent córpora Mártyrum,
Hæc ſunt tot tibi víctimæ.
Et vos quæ, púgiles, glória múnerat,
Cùm veſtros cíneres plebs colit óſculis?
Ultor nempe Deus penſat honóribus
Summis oppróbriũ necis.
Tortóri nócuit, prófuit & furor
Victis, queis títulos, nomen & áddidit;
Quos delére cupit, cónſecrat ínſcius
Fuſo sánguine Mártyres.

Vincéndi genus hoc Martyribus novum :
Victis eſt ſua laus, eſt ſua glória ;
Victi dum cáditis, fúneris è ſinu
Victâ morte resúrgitis.
Sit laus ſumma Patri, ſummaque Filio ;
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Per quem magnánimi prælia ſúſtinent
Contémptâ nece Mártyres.
Amen.

℣. Cuſtódit Dóminus ánimas Sanctórum ſuorum, ℟. De manu peccatoris liberábit eos. *Pſ.* 96. 10.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Agnóſcent qui derelícti ſunt, quoniam glória magna eſt ſequi Dóminum. *Eccli.* 23. 37. 38.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Dominum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus. 2. *Timoth.* 2. 5.

IN I. NOCTURNO.

A Martyribus rogatur, & à Deo promittitur auxilium in tribulatione.

Ant. t. 5. *E.* Convenérunt advérsùm nos, ut nos diſpérdant. Quómodo potérimus ſubsiſtere, niſi tu, Deus, ádjuves nos ? 1. *Mach.* 3. 52. 53.

Ant. t. 8. C. Qui oſténdunt ſervis tuis mala, confundántur in omnipoténtia tua ; & ſciant quia tu es Dóminus Deus ſolus. *Dan.* 3. 44. 45.

Ant. t. 1. *A.* Dómine, réſpice ad noſtram humilitátem, & fáciem ſanctórum tuórum atténde, & oſténde quóniam non derelínquis præſuméntes de te. *Judith.* 6. 15.

℣ Da nobis auxílium de tribulatióne ; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

℟. 1. Dóminus Deus veſter in médio veſtri eſt, * Et pro vobis contra adverſários dimicábit, ut éruat vos de perículo.

℣. Quóniam eſtis fílii, miſit Deus ſpíritum Fílii ſui in corda veſtra. * Et pro vobis. *Deuter.* 20. 4. *Gal.* 4. 6.

℟. 2. Æmulatóres eſtóte legis, & date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum. Et * Cogitáte quia omnes qui ſperant in Dominum, non infirmántur. ℣. Fidélis eſt Deus, qui confirmábit vos, & cuſtódiet à malo. * Cogitáte, 1. *Mach.* 2. 50. 61. 2. *Theſſ.* 3. 3.

℟. 3. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitatem. * Et ✝ Spíritū vobis íterū cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut vosmetípſos deſpícitis propter leges ejus. ℣. Non injúſtus Deus ut oblivifcátur operis veſtri, & dilectiónis quam oſtendíſtis in nomine ipsíus. * Et ſpíritum. Glória. ✝ Spíri-

tum. 2. *Mach.* 7. 23. *Hebr.* 6. 10.

IN II. NOCTURNO.

Pugnæ firmo ſe animo devovent Martyres.

Ant. t. 6. *f.* Propítius ſit nobis Deus: non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítias Dei, ut eámus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2. 21. 22.

Ant. t. 3. *a.* Paráti ſumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. 2. *Mach.* 7. 2.

Ant. t. 7. *a.* Moriámur omnes in ſimplicitáte noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quòd injúſtè pérditis nos. 1. *Mach.* 2. 37.

℣. Non diſcédimus à te, vivificábis nos; ℟. Et nomen tuū invocábimus. *Pſ.* 79. 19.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Abſit à nobis ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis: * Dómino Deo noſtro ſerviémus, & obediéntes érimus præcéptis ejus. ℣. Quis nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulátio? An angúſtia? An fames? An perſecútio? An gládius? neque mors, neque vita póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. * Dómino. *Joſue.* 24. 16. 24. *Rom.* 8. 35. 38. 39.

℟. 5. Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & conſolábitur in nobis: * Potius eſt ab homínibus morti datos ſpem expectare à Deo, íterùm ab ipſo reſuſcitandos. ℣. Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam, módicum paſſos ipſe perfíciet. * Pótius eſt. 2. *Mach.* 7. 6. 14. 1. *Petr.* 5. 10.

℟. 6. Nos ergo non ulciſcámur nos pro his quæ pátimur, ſed * Reputántes hæc ipſa ſupplícia eſſe flagélla Dómini, quibus quaſi ſervi corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónem noſtram, eveníſſe credámus. ℣. Ecce beatificámus eos qui ſuſtinuérunt; quóniam miséricors Dóminus eſt. * Reputántes. Glória. * Reputántes. *Judith.* 8. 26. 27. *Jacob.* 5. 11.

IN III. NOCTURNO.

Martyrum in doloribus & in morte fortitudo.

Ant. t. 2. *D.* Convaluérunt ánimis; non ſolùm hómines, ſed & béſtias feroc iſſimas, & muros férreos paráti penetráre. 2. *Mach.* 11. 9.

Ant. t. 8. *G.* Ibant prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miſerántem ſuper eos Dóminum. 2. *Mach.* 11. 10.

Ant. t. 6. *f.* Placuérunt Deo, per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. *Judith.* 8. 23.

℣. Multæ tribulatiónes juſtórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Pſ.* 33. 20.

Evang. & Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dedíſti nos tamquam oves eſcárum: poſuíſti nos oppróbrium, ſubſannatiónem

& deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Hæc ómnia venérunt ſuper nos, * Nec obliti ſumus te. ℣. Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.* Nec oblíti. Pſ. 43. 12. 14. 18. Rom. 8. 36.

℟. 8. Benedíctus Deus eórum; éruit ſervos ſuos qui crediderunt in eum: * Et tradidérunt córpora ſua ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. ℣. Ludíbria, & vérbera expérti ſunt, inſuper & víncula, & cárceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. * Et tradiderunt. Dan. 3. 95. Hebr. 11. 36. 37.

℟. 9. Ecce bellum advérsùs ſanctos, donec venit antiquus dierum, & judícium dedit ſanctis Excélſi,* Et † Regnũ obtinuerunt ſancti. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtítiam, adépti ſunt repromiſſiónes. * Et regnũ. Glória. Regnum. † Dan. 7. 21. 22. Hebr. 11. 33.

AD LAUDES.

Poſt paſſionem & victoriam Martyribus gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Clamavérunt juſti, & Dominus exaudivit eos: ℟. Ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. Pſ. 33. 18.

Ant. t. 1. F. Qui ſpontè obtuliſtis ánimas veſtras ad periculum, benedícite Dómino. Judic. 5. 2.

Ant. t. 8. G. Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. Philip. 1. 29.

Ant. t. 3. A. Magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónum, oppróbriis, & tribulatiónibus ſpectaculum facti. Hebr. 10. 32. 33.

Ant. t. 5. A. Exultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificátâ, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animárum. 1. Petr. 1. 8. 9.

Ant. t. 6. f. In vobis gloriámur in Eccleſiis Dei pro patiéntia veſtra, & fide in omnibus perſecutiónibus veſtris. 2. Theſſ. 1. 4.

Capitulum. Jac. 1. 2. 3. 4.

Omne gaúdium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: ſciéntes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet.

℣. In te, Dómine, ſperavérunt, ℟. Et liberáſti eos. Pſ. 21. 5.

Ad Bened. Ant. t. 1. D. Sicut ſócii paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis. 2. Cor. 1. 7.

Oratio ſi ſint Pontifices.

Deus, cujus grátiâ ſancti Mártyres, & Pontifices N. & N. mundi nec blandítiis, nec terróribus devícti ſunt: da nobis, ut te ſolum diligéntes, próſperis mundi, vel advérſis non vincamur;

támur; Per Dóminum, &c.

Alia Oratio.

BEatórum Mártyrū tuórum & Pontíficum N. & N. nos quæſumus, Dómine, feſta tueántur, & eórum commendet orátio veneránda; Per, &c.

Oratio pro Martyribus tantùm.

EXaúdi, Dómine, Mártyrum tuórum N. & N. victórias celebrántes, ut, córdibus ex eórum paſſióne ſuccénſis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tui N. & ſociórum ſolémnia recenſentes, súpplices te, Dómine, deprecamur; ut in tua charitáte radicáti, & fundáti, paſſiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ, quæ revelánda eſt in nobis, voléntí & invícto ánimo ſuſtineámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. I. *Petr.* 4. 14.

SI exprobramini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus ſpíritus, ſuper vos requiéſcit.

In Dupl. ℟. Juſti decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, * Et Victrícem manum tuam laudavérunt páriter. ℣. In multo experiménto tribulatiónis, abundántia gaúdii ipsórum fuit. Et victrícem. Glória. * Victrícē. *Sap.* 10. 20. 2. *Cor.* 8. 2.

℣. Vox exultatiónis & ſalútis, ℟. In tabernáculis juſtórum. *Pſ.* 117. 15.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Exúltent juſti * In conſpéctu Dei: Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætitia.* In conſpéctu Dei. Glória. Exúltent. *Pſ.* 67. 4.

℣. Próteges eos, Dómine, ℟. In tabernáculo tuo. *Pſ.* 30. 21.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21. 4.

ABſtérget Deus omnem lacrymā ab óculis ſanctórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abiérunt.

℟. *br.* Ad te clamavérunt, * Et ſalvi facti ſunt: Ad te. ℣. In te ſperavérunt, & non ſunt confúſi, * Et ſalvi. Glória. Ad te. *Pſ.* 21. 6.

℣. In ætérnum exultábunt: ℟. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22. 14.

BEáti qui lavant ſtolas ſuas in sánguine Agni: ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem.

℟. *br.* Lætáti ſumus pro diébus, * Quibus nos humiliáſti. Lætati. ℣. Annis, quibus vídimus mala. * Quibus. Glória. Lætati. *Pſ.* 89. 15.

℣. Transívimus per ignem & aquam: ℟. Et eduxíſti nos in refrigérium. *Pſ.* 65. 12.

AD II. VESPERAS.

Martyrii glória : & Martyrum merces.

Ant. t. 1. A. HI ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas in ſánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Ant. t. 5. *F.* Ipſi vicérunt, & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem : proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12.

Ant. t. 4. *E.* Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ : & dictum eſt illis ut requiéſcerent. *Apoc.* 6. 11.

Ant. t. 3. *A.* Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. t. 7. *D.* Lætabūtur coram te, Dómine, ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ. *Iſ.* 9. 3.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 17.

ID quod in præsenti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

QUam, Chriſte, ſignáſti viam,
Primus, profúſo ſánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

Foſſus manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra cónvolas,
Et membra trunci, Mártyres
Addunt triúmpho ſe tuo.

Omnes in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt :
Accépta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora ſúpplicant.

Audíre, ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat :
Audi tuos, qui ſánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, ſi tyránnus déficit,
Ne blandiéndo móllius
Frangat volúptas péctora
Ipſis tyránnis ſævior.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Confitebúntur nómini tuo, Dómine : ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Ad Magnific. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce quómodo computáti ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. *Sap.* 5. 5.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS CONF. CHRISTI.

(*Qui ſcilicet coràm Tyranno paſſus, in pacè tamen obiit.*)

Omnia de Communi, ſecundùm dignitatem Sancti, exceptis quæ notantur infrà.

AD I. VESPERAS.

Hymnus.

Ecquis magnánimus ſé pugil exhibet?
Fit verbum gladius, fit clypeus fides;
Athletamque Dei præparat árdua
Ad certámina véritas.

Reges ante feros impávidus volat,
Teſtatúrque fidem, nil métuit mori,
Os, viresque, ſui pollíciti memor,
Præſens ſuppéditat Deus.

Fruſtrà barbáries explícuit cruces;
Nil torménta movent: ore ſerénior,
Et fidens ánimi, promptus ad ómnia
Pœnas inter ovat ſuas.

Perpeſſis tua jam ſat cruciátibus
Commendáta fides: ſúſcipit hóſtiam,
Ceu mactata foret, Chriſtus, & impias
Tortórum cóhibet manus.

Oſténtas lácero córpore vulnera,
Tamquam pulchra tuæ ſtémmata gloriæ:
Aptatúrque ſacro, digna labóribus
Merces, laúrea vértici.

Patri máxima laus; máxima Fílio
Sit par, ſáncte, tibi laus quoque, Spíritus;
Fac mentes répleat lúmine véritas,
Urat péctora cháritas.
Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor;
℟. Et ego deſpíciam inimícos meos. *Pſ.* 117. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* I. *D.* Dómine, protéctor factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne, & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

Deus, pro cujus nómine beatus N. Conféſſor tuus (& Póntifex) paſſiónes invíctâ fide ſuſtínuit; da nobis ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc ſæculo, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum patiéntiæ & ſolátii * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Reliqua ut in Officio ſecundùm dignitatem Sancti.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Ant. & Capitulum ut in Communi pro dignitate Sancti.*

℣. Propter verba labió-

rum tuórum, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſ.* 16. 4.

Ad Benedic. *Ant. t.* 8. *G.* Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Matth.* 10. 32.

Oratio ut ſuprà.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS.

COnféctor ictus ſi tibi
déficit,
Nil inde laudi detráhitur
tuæ:
Mortem volúntas antevértit
Martyrium facit hæc volúntas.
O ter beátos! dura quibus
pati
Pro Chriſtiáno nómine
cóntigit;
Sunt nempe truncis iſta
membris
Eméritæ monuménta
palmæ.
Sunt & futúri pígnora præmii:
Diláta merces mox redit
aúctior;
Sic, Chriſte, vis nos ire
cœlo:
Matéries datur hæc
triúmphis.
Fac ſimus, & nos nómine
pro tuo
Semper paráti fúndere
sánguinem:
Quam corde toto veritátem
Crédimus, hanc fateámur ore.
Sit laus Paréntì, ſit quoque
Fílio,
Tibíque ſit par glória,
Spíritus
Trinúmque dum vox confitétur,
Vera fides venerétur
unum.
Amen.

℣. Paulò minùs conſummavérunt me in terra: ℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Pſ.* 118. 87.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, confeſſus bonam confeſſiónem coram multis téſtibus. 1. *Tim.* 6. 12.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

In Pontificis electione conſilia Domini.

Ant. t. 3. *a.* QUæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. t. 8. *G.* Ipſum elégit Dóminus Deus, ut ſtet, & miníſtret nómini Dómini. *Deut.* 18. 5.

Ant. t. 1. *D.* Geſtábit judícium filiórum Iſrael in péctore ſuo, in conſpéctu Dómini ſemper. *Exod.* 28. 30.

Ant. t. 5. *F.* Erit ipſi pactum ſacerdótii ſempitérnu, quia zelátus eſt pro Deo ſuo. *Num.* 25. 13.

Ant. t. 1. *F.* Quemcúmque elégerit Dóminus, ipſe erit ſanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus.

℟. *In Duplic.* Locútus es ſanctis tuis, Dómine, & dixíſti: Invéni ſervum meum: * Oleo ſancto meo unxi eum; † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus teſtimonium pérhibens dixit; Invéni virum ſecúndùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Pſ.* 88. 20. 21. 22. *Act.* 13. 22.

HYMNUS *Ex Guill. Ep. Santon.*

CHriſte, Paſtórum caput atque princeps,
Præſulis Feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu;
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocánte,
Sumpſit honórem.

Strénuum bello púgilem ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu; poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

Fit gregis paſtor, pater atque forma
Lætus impéndit ſua, ſeque; ſervus
Omnium, curis gravis, omnibúſque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem pro pópulo ſuo. *Eccl.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum Paſtórum príncipem; * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Non niſi vocatus, ſibi ſumit honorem, Pontifex.

Ant. t. 2. *D.* Vocávit eum Dóminus, & ait ei: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas

pópulū meū. *Ex.* 3. 4. 7. 10.

Ant. t. 8. *G.* Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſrael: ſcito quòd míſerim te. *Judic.* 6. 14.

Ant. t. 3. *a.* Perge ígitur: tu eris in his quæ ad Deum pértinent. *Exod.* 4. 12. 16.

℣. Elégit Dominus ſervum ſuum, ℞. Paſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77. 70. 71.

Lectiones ex Scriptura occur.

℞. 1. Elégi eum ex ómnibus mihi in ſacerdótem * Ut aſcenderet ad altáre meū, & adoléret mihi incénſum, & miniſtráret in conſpectu meo. ℣. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tamquam Aáron: * Ut aſcénderet. 1. *Reg.* 2. 28. 30. *Hebr.* 5. 4.

℞. 2. Speculatórem dedi te dómui Iſrael: * Aúdiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me: ℣. Deus præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & audíres vocem ex ore ejus: quia eris teſtis illíus ad omnes hómines eórum quæ audíſti. * Aúdiens. *Ezech.* 33. 7. *Act.* 22. 14. 15.

℞. 3. Cum párvulus eſſes in óculis tuis, caput in tríbubus Iſrael factus es. * Unxit te Dóminus ſuper Iſrael, & miſit te. ℣. Qui vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, ſecúndū propóſitum ſuum, & grátiam. * Unxit. 1. *Reg.* 15. 17. 18. 2. *Tim.* 1. 9.

IN II. NOCTURNO.

Vocationi ſuæ fidelis, paſcit oves verbo & exemplo.

Ant. t. 2. *d.* In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. t. 7. *D.* In fide ſua probátus eſt Prophéta, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

Ant. t. 1. *A.* Juſtítiam & fidem conſervávit genti ſuæ, & exquiſivit omni modo exaltare pópulum ſuum. 1. *Mach.* 14. 35.

℣. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: ℞. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℞. 4. Unxit illum óleo ſancto: * Et dedit illi Dominus in præcéptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſrael; ℣. Hic erat edóctus viā Dómini, & fervens ſpíritu loquebatur. * Et dedit. *Eccli.* 45. 18. 21. *Act.* 18. 25.

℞. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me: à fácie nóminis mei pavébat. * Lex veritátis fuit in ore ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant. * Lex. *Malach.* 2. 5. 6. *Hebr.* 3. 5.

℞. 6. Iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et † Multos avértit ab iniquitate. ℣. Hortabátur

omnes in propóſito cordis permanére in Domino; quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto. * Et multos. Glória. ✝ Multos. *Malach.* 2. 6. *Act.* 11. 23. 24.

IN III. NOCTURNO.

Pontificis pro ovibus labores.

Ant. t. 6. f. Paſcébat ſervus tuus gregem, & veniébat leo, & eruébam, perſequébar, & percutiébam. 1. *Reg.* 17. 34. 35.

Ant. t. 8. C. Die noctúque æſtu urébar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab óculis meis. *Gen.* 31. 40.

Ant. t. 2. D. Sic in domo tua ſervívi tibi, pro grégibus tuis. *Gen.* 31. 41.

℣. Exítus aquárum deduxérunt óculi mei; ℟. Tabéſcere me fecit zelus meus. *Pſ.* 118. 136. 139.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem; * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque. * Et ſuper. *Iſ.* 21. 8. *Act.* 20. 31.

℟. 8. Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Libentíſſimè impéndam, & ſuperimpéndar ipſe pro animábus veſtris. * Et docébo. 1. *Reg.* 12. 23. 2. *Cor.* 12. 14. 15.

℟. 9. Factus ſum infírmis infírmus: ómnibus ómnia factus ſum, ut omnes ſácerem ſalvos. * Omnia ſácio propter Evangélium; ut párticeps ejus efficiar. ℣. Zelátus ſum bonum: proptérea bonam poſſidébo poſſeſſiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. 22. 23. *Eccli.* 51. 24. 29.

AD LAUDES.

Quanti ex ejus zelo & laboribus fructus.

℣. *Sacer.* Juſtítia ejus manet in ſæculū ſæculi, ℟. Cornu ejus exaltabitur in glória. *Pſ.* 111. 9.

Ant. t. 7. D. SAcérdos magnus in vita ſua ſuffúlſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. t. 2. d. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 4.

Ant. t. 5. A. Invéntus eſt perféctus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. t. 8. G. Zelándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. 54.

Ant. t. 6. f. Hic eſt fratrū amátor, & pópuli Iſrael: hic eſt qui multum orat pro pópulo. 2. *Mach.* 15. 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro; quia fi-

délem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ ℞. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & in diebus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 3. 4

Oratio.

EXaúdi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beati N. Pontíficis feſtivitate deférimus: & ejus, qui tibi dignè méruit famulari, intercedéntibus méritis, ab omnibus nos absólve peccatis; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens Deus, qui beátum N. Antíſtitem populo tuo præéſſe, & quibus præerat verbo & exemplo prodéſſe voluíſti, eódem intercedénte Paſtóres Eccléſiæ tuæ cum grégibus ſibi commiſſis dirige in viam ſalútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtute perficiant; Per, &c.

Alia Oratio.

DA Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita ſancti Epiſcopi N. pietátem tuam pro ipſa ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant; Per, &c.

A D T E R T I A M.

Capitulum. Act. 20. 18. 19. 20.

VOs ſcitis, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino, cum omni humilitáte, & lácrymis: quomodo nihil ſubtraxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos.

℞. *In Dupl.* In bonitáte & alacritáte ánimæ ſuæ * Plácuit Deo pro Iſrael: ídeò ſtátuit illi teſtaméntū pacis, príncipem ſanctórū & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Exémplum fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide. * Placuit. Glória. * Plácuit. *Eccli.* 45. 29. 30. 1. *Tim.* 4. 12.

℣. Dedúxit eos in viam rectam; ℞. Ut irent in civitatē habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

In Semid. ℞. *br.* Dedúxit eos * In viam rectam. Dedúxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. * In viam. Gloria. Dedúxit *Pſ.* 106. 7.

℣. Abſtulit ſicut oves pópulum ſuum: ℞. Et deduxit eos in ſpe. *Pſ.* 77. 52. 53.

A D S E X T A M.

Capitulum Act. 20. 26. 27.

COntéſtor vos, quia mundus ſum à ſánguine ómnium. Non enim ſubterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis.

℞. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. Pavit

℣. Et in intellectibus mánuum ſuárum dedúxit eos.* In innocentia. Glória. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Edúxit eos de ténebris. ℟. Suſcépit eos de via iniquitátis eórum. *Pſ.* 106. 14. 17.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 31. 32.

NOcte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrũ. Et nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus * Chriſtum ſuum. Salvum. ℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. * Chriſtum. Glória. Salvum. *Pſ.* 19. 7.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui. ℟. Impleat omnes petitiónes tuas. *Pſ.* 19. 4. 7.

AD II. VESPERAS.

In cœlis coronatur Pontifex: & memoria ejus in benedictione eſt in terris.

Ant. t. 3. a. FIdélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam. *Math.* 24. 45.

Ant. t. 6. f. Hic eſt qui fuit in Eccléſia cum patribus noſtris: qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 5. *A.* Erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. t. 7. *D.* Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 9.

Ant. t. 1. *Irreg.* Euge, ſerve bone & fidélis, intra in gaúdium Dómini tui. *Math.* 25. 21.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 1. 2.

IMitatóres meî eſtóte, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia meî mémores eſtis.

HYMNUS. *Guill. Epiſc. Sant.*

JEſu, Sacerdotum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos ſibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque paſcua
Victúmque præbet; aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam ſentit erránte jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes beſtias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimã
Pro plebe Paſtor innocens,
Secúmque devótum gregem
Pius ſacérdos ímmolat.

Supréme Chriſte Pontifex,
Jugis tibi ſit gloria,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Dabis eum in benedic-

délem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ ; ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis ; & in diebus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 3. 4.

Oratio.

Exaúdi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beati N. Pontíficis feſtivitate deférimus : & ejus, qui tibi dignè méruit famulari, intercedéntibus méritis, ab omnibus nos absólve peccatis ; Per, &c.

Alia Oratio.

Omnípotens Deus, qui beatum N. Antíſtitem populo tuo præéſſe, & quibus præerat verbo & exemplo prodéſſe voluíſti, eódem intercedénte Paſtóres Eccléſiæ tuæ cum gregibus ſibi commíſſis dirige in viam ſalútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cupiant, & totâ virtute perficiant ; Per, &c.

Alia Oratio.

Da Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita ſancti Epíſcopi N. pietátem tuam pro ipſa ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant ; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 20. 18. 19. 20.

Vos ſcitis, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino, cum omni humilitáte, & lácrymis : quomodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos.

℟. *In Dupl.* In bonitáte & alacritáte animæ ſuæ * Plácuit Deo pro Iſraël : ídeò ſtátuit illi teſtaméntũ pacis, príncipem ſanctórũ & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Exémplum fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide. * Plácuit. Glória. * Plácuit. *Eccli.* 45. 29. 30. 1. *Tim.* 4. 12.

℣. Dedúxit eos in viam rectam ; ℟. Ut irent in civitatẽ habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

In Semid. ℟. *br.* Dedúxit eos * In viam rectam. Dedúxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. * In viam. Gloria. Dedúxit *Pſ.* 106. 7.

℣. Abſtulit ſicut oves pópulum ſuum : ℟. Et deduxit eos in ſpe. *Pſ.* 77. 52. 53.

AD SEXTAM.

Capitulum Act. 20. 26. 27.

Contéſtor vos, quia mundus ſum à ſánguine ómnium. Non enim ſubterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. Pavit

℣. Et in intellectibus mánuum ſuárum dedúxit eos.* In innocentia. Glória. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Edúxit eos de ténebris. ℟. Suſcépit eos de via iniquitátis eórum. *Pſ.* 106. 14. & 17.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 31. 32.

NOcte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrũ. Et nunc commèndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus * Chriſtum ſuum. Salvum. ℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. * Chriſtum. Glória. Salvum. *Pſ.* 19. 7.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui. ℟. Impleat omnes petitiónes tuas. *Pſ.* 19. 4. 7.

AD II. VESPERAS.

In cœlis coronatur Pontifex: & memoria ejus in benedictione eſt in terris.

Ant. t. 3. *a.* FIdélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam. *Math.* 24. 45.

Ant. t. 6. *f.* Hic eſt qui fuit in Eccléſia cum patribus noſtris: qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 5. *A.* Eruditus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. t. 7. *D.* Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 9.

Ant. t. 1. *Irreg.* Euge, ſerve bone & fidélis, intra in gaúdium Dómini tui. *Matth.* 25. 21.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 1. 2.

IMitatóres meî eſtóte, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia meî mémores eſtis.

HYMNUS. *Guill. Epiſc. Sant.*

JEſu, Sacerdotum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos ſibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua
Victúmque præbet; aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errántẽ jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes beſtias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimã
Pro plebe Paſtor innocens,
Secúmque devótum gregem
Pius ſacérdos ímmolat.

Supréme Chriſte Pontifex,
Jugis tibi ſit gloria,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Dabis eum in benedic-

tionem, ℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

AD I. VESPERAS.

Non niſi ex Dei ſapientiâ ſapiens fuit, qui in Eccleſiâ Doctor.

Ant. t. 1. *A.* BEatus vir qui excogitat vias ſapiéntiæ in corde ſuo, vadens poſt illam quaſi inveſtigátor. *Eccli.* 14. 22. 23.

Ant. t. 8. *C.* Aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum, & exaltábit illum apud próximos ſuos. *Eccli.* 15. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Denudábit Dóminus abſcónſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam & intelléctum juſtítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. t. 7. *D.* Ipſe tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ, & in oratióne confitebitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

Ant. t. 6. *f.* Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Eccli. 4. 28 29.

NE retíneas verbum in témpore ſalútis. In lingua enim ſapiéntia dignóſcitur: & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſensáti.

℟. *In Duplic.* In médio Eccleſiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs. ℣. Non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis: * Adimplébit .... Glória. * Adimplébit. *Eccli.* 15. 5. 1. *Cor.* 2. 4.

HYMNUS. *ex Sanct. Vict.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, Vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!

Hi ſemper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fídei virgíneū decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus íntegra.

Infámes ábolent relliquias deûm:
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúſerat hæreſis.

Patrum caníties, tot venerabiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:

Quæ ſunt priſca, docent; quæ nova, súbruunt: Servant depóſitum Dei.
Vicíſtis ſtygias, vos quibus hæreſes, Hæc nos accípimus tela ſupérſtites: His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu His armis quoque víncimus.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas, Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas, Nullo vocis egens, corda doces, ſono Et te méntibus ínſeris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *d.* Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſæculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fontem ſapiéntiæ, Verbum Dei in excélſis: * Veníte, adorémus. *Ec.* 1. 5. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Per orationem, veram à Deo ſapientiam obtinet Eccleſiæ Doctor.

Ant. t. 7. *D.* Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea; & efflóruit tamquam præcox uva. *Eccli.* 51. 18. 19.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut ſciam ſuſtentáre eum, qui laſſus eſt, verbo. *Iſa.* 50. 4.

Ant. t. 6. *f.* Beátus homo, qui invénit ſapiéntiam: mélior eſt acquisítio ejus negotiatióne argénti. *Prov.* 3. 13. 14.

℣. Fac, Dómine, erudítos corde ℟. In ſapiéntia. *Pſ.* 89. 12.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1. Sápiens cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum: apériet os ſuum in oratióne. * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter.. * Si enim. *Eccli.* 39. 6. 7. 8. *Jacob.* 1. 5.

℟. 2. Optávi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. ℣. Exíſtimo ómnia detriméntum eſſe, propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. * Et divítias. *Sap.* 7. 7. 8. *Philip.* 3. 8.

℟. 3. Ante templum poſtulábam pro ſapiéntia, & excépi illam. * Danti mihi ſapiéntiam, dabo glóriam. † Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: & in ipſa laudábo eum. ℣. Ut innotéſcat per Eccléſiá multifórmis ſapiéntia Dei. * Danti mihi. .. Glória. .. † Dedit. . . *Eccli.* 51. 19. 24. 23. 30. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Cum ſapientia, omnia alia bona evenere Doctori.

Ant. t. 7. A. Implévit eum Dóminus Spiritu Dei, & intelligentiâ, & ſciéntiâ, & omni doctrínâ. *Exod.* 35. 31.

Ant. t. 6. f. Divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia; timor Dómini ipſe eſt theſaúrus ejus. *Iſ.* 33. 6.

Ant. t. 8. C. Perféctio tua, & doctrína tua, Domine, viro ſancto tuo, quem probáſti. *Deut.* 33. 8.

℣. Bonum mihi lex oris tui, ℟. Super míllia auri & argénti. *Pſ.* 118. 72.

Lectiones ut in Propr. Sanct.

℟. 4. Super ſalútem & ſpéciem diléxi ſapiéntiam, & propóſui pro luce habére illam. * Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ deſúrsum eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, plena miſericordiâ & frúctibus bonis... * Venérunt... *Sap.* 7. 10. 11. *Jac.* 3. 17.

℟. 5. Sapiéntia ómnium bonórum mater eſt; quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico. * Infinítus enim theſaúrus eſt, quo qui uſi ſunt, partícipes facti ſunt amicítiæ Dei...

℣. Potéſtis legentes intellígere prudéntiam meam in myſtério Chriſti. * Infinítus. *Sap.* 7. 12. 13. 14. *Epheſ.* 3. 4.

℟. 6. Sapiéntia & fortitúdo Dómini ſunt: ipſe revélat profúnda & abſcóndita. * Tibi, Deus, confíteor, teque laudo; † Quia ſapiéntiam & fortitúdinem dediſti mihi. ℣. Secúndum revelatiónem notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſcripſi... * Tibi, Deus... Glória. † Quia... *Dan.* 2. 20. 22. 23. *Epheſ.* 3. 3.

IN III. NOCTURNO.

Plebem docet verbis, & ſcriptis.

Ant. t. 7. D. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuávis eſt. *Eccli.* 37. 22.

Ant. t. 8. C. Surrexit quaſi ignis, & verbum ipſíus quaſi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

Ant. t. 3. a. Poſtquàm ſe ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis, & prophetárum; vóluit & ipſe ſcríbere quæ ad doctrínam & ſapiéntiam pértinent. *Prolog. Eccli.*

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquetur judíciũ. *Pſ.* 36. 30.

Evang. & Homil. ut in Propr. Sanct.

℟. 7. Cùm eſſet ſapiéntiſſimus, dócuit pópulum. * Quæsívit verba utília, & conſcrípſit ſermónes rectíſſimos, ac veritáte plenos. ℣. Potens exhortári, & eos qui contradícunt, argúere. * Quæsívit... *Eccle.* 12. 9. 10. *Tit.* 1. 9.

℟. 8. Vidit principátum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repóſitus; * Fuit cum princípibus, & fecit juſtítias Dómini, & judícium ſuum cum Iſrael. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens

quæ ſunt de Dómino Jeſu.* Fuit. *Deut.* 33. 21. *Act.* 28. 31.

℟. 9. Sciéntia ſapiéntis tamquam inundátio abundábit; & * Conſilium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. Os prudéntis quæritur in Eccléſiâ, & † Verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. ℣. Scriba doctus in regno cœlórum profert de theſaúro ſuo nova & vétera. * Conſílium. Glória... † Verba... *Eccli.* 21. 16. 20. *Matth.* 13. 52.

Te Deum.

AD LAUDES.

De ſapientia Doctori gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerdot.* Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. 148.

Ant. t. 3. *a.* ERudítus es in juventúte tua; & implétus es, quaſi flumen, ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. t. 2. *d.* Sicut érudit fíliū ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. t. 7. *D.* Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. t. 1. *A.* Ad ínſulas longè divulgátū eſt nomen tuum; in interpretatiónibus miratæ ſunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18.

Ant. t. 6. *f.* Beáti qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiā tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

Capitulum. Eccli. 24. 46.

DOctrínam quaſi prophetíam effúndam, & relínquam illam quærentibus ſapiéntiam, & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℣. Narrabo nomen tuū frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

Ad Benedictus. *Ant. t.* 1. *d.* Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ ſalútis beatum N. miníſtrum tribuíſti: præſta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſſorem habére mereámur in cœlis; Per, &c.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus N. ſervívit, tibi, ut eodem nos repléti, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum.... in unitáte ejúſdem, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum 2. *Tim.* 3. 14. 15.

TU verò pérmane in iis quæ didicíſti, & crédita ſunt tibi; ſciens à quo didíceris, & quia ab infantia ſacras litteras noſti.

℟. *In Dupl.* Invénti ſunt ſermónes tui, Dómine, & comédi eos * Et † Factum eſt mihi verbum tuum in gáudium & in lætítiam cordis mei. ℣. Accépi librum,

& devorávi illum ; & erat in ore meo tamquam mel dulce.... * Et factum.... Glória. ✝ Factum eſt... *Jer.* 15. 16. *Apoc.* 10. 10.

℣. Quàm dúlcia faúcibus meis eloquia tua! ℟. Super melori meo. *Pſ.* 118. 103.

℟. *br. In Semid.* Scrutábor* Legem tuam, Dómine. Scrutábor.... ℣. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. * Legem.... Gloria.... Scrutabor. *Pſ.* 118. 34.

℣. Juſtítiæ Dñi rectæ, ℟. Lætificántes corda. *Pſ.* 18. 9.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 6.

HÆc præpónens frátribus, bonus eris miníſter Chriſti Jeſu, enutrítus verbis fídei, & bonæ doctrínæ, quam aſſecútus es.

℟. *br.* Annuntiávi juſtítiã tuam * In ecclésia magna... Annuntiavi... ℣. Ecce lábia mea non prohibebo, Domine, tu ſciſti; * In ecclésia. Glória.... Annuntiávi..... *Pſ.* 39. 10.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : ℟. Dico ego ópera mea regi. *Pſalm.* 44. 2.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 3. 4.

SI quis áliter docet, & non acquiéſcit ſanis ſermónibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecúndum pietátem eſt, doctrínæ; ſupérbus eſt, nihil ſciens.

℟. *br.* Super ſenes intelléxi : * Quia mandáta tua quæsívi. Super.... ℣. A judíciis tuis non declinávi. * Quia.... Glória.... Super. *Pſ.* 118. 100. 102.

℣. Super inimícos meos prudéntẽ me fecíſti mandáto tuo; ℟. Quia in ætérnum mihi eſt. *Pſ.* 118. 98.

AD II. VESPERAS.

Quia populos erudivit, ideò memoria illius erit in benedictione.

Ant. 1. VIr éloquens, potens in Scriptúris, hic erat edóctus viam Dómini. *Act.* 18. 24. 25.

Ant. 1. 6. *f.* Erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. 1. 8. *G.* Fervens ſpíritu loquebátur, & docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu. *Act.* 18. 25.

Ant. 1. 7. *D.* Bonus homo de bono theſáuro cordis ſui profert bonum. *Luc.* 6. 45.

Ant. 1. 4. *E.* Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccleſia. *Eccl.* 39. 14.

Capitulum. Eph. 3. 4. 8. 9.

POteſtis legentes intellígere prudentiam meam in myſterio Chriſti? Mihi data eſt gratia hæc, illumináre omnes quæ ſit diſpensatio ſacramenti abſcónditi a ſæculis.

HYMNUS *Ex Sanct. Vict.*

JAm nunc, quæ númeras
tot tibi víndices,
Effer ſidéreum, Relligio, caput.

Quot ſunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.
Cùm per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi ſúſcitas.
Quando ſparſa lues úndique críminum,
Hi gliſcens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Firmant inſtábiles, & dúbios regunt:
Monſtrant tuta procul líttora naúfragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixére tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprimas:
Quos terris cólimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in judício: ℟. In ætérnum non commovébitur. *Pſ.* III. 1. 5. 6.

Ad. Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Qui docti fúerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmamẽti: & qui ad juſtítiã erúdiunt multos, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PRESBYTERI.

AD I. VESPERAS.

Sacerdotii officia, & Sacerdotis dotes.

Ant. t. 1. *d.* Ipſum elégit Dóminus offérre ſacrifícium Deo, in memóriam placáre pro pópulo ſuo. *Eccli.* 45. 20.

Ant. t. 2. *D.* Miniſtrábit in nómine Dómini Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus. *Deuter.* 18. 7.

Ant. t. 3. *A.* Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 3.

Ant. t. 4. *E.* Labia ſacerdótis cuſtódient ſciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. *Malach.* 2. 7.

Ant. t. 6. *f.* In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illius erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Num. 16. 5.

Notum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & Sanctos applicábit ſibi; & quos elégerit, appropinquábunt ei.

In Dupl. ℟. Dedit illi Dóminus ſacerdótium. * Complévit manus ejus, & unxit

illum óleo ſancto. ✝ Factum eſt illi in teſtamentum, fungi ſacerdótio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine ejus. ℣. Ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia... * Complevit... Glória. ✝ Factum.... *Eccli.* 45. 8. 18. 19. *Hebr.* 5. 1.

HYMNUS.

O Tuâ dignum pietáte munus!
Chriſte, cùm per te légitur Sacerdos
Ille, qui primum decus & miníſtris
Reddit & aris.

Quàm pavens, ſanctas procul à tumúltu,
Cùm dapes Chriſti meditatur Agni,
In quibus manat ſacer incruénto
Fúnere ſanguis!

Thure fumantes quis hic inter aras?
Quanta majeſtas ſedet ore ſancto!
Nec minus fervent calefácta puris
Péctora flammis.

Quæ Dei numquam temeránda jura
Víndicat ſacris animóſus armis,
Si ſcelus gliſcit, calet intus igne
Elias alter.

Nec ſacrum durus ſedet ad tribúnal;
Súblevat triſtes miſerátus caſus
Cháritas, clemens, aliíſque mater,
Dum ſibi judex.

Quas relaxávit, luit ipſe noxæ
Innocens pœnas; aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo
Non ſua fletu.

Lúminis ſplendor, Patris una Proles,
Chriſte, te pronus venerátur orbis;
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui; ℟. Et holocaúſtum tuum pingue fiat. *Pſ.* 19. 4.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Quaſi thus ardens in igne, in aſcénſu altáris ſancti, glóriam dedit ſanctitatis amíctum. *Eccli.* 50. 9. 12.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Sacerdótem in ætérnum Jeſum Chriſtum; * Venite, adorémus. *Hebr.* 5. 6.

IN I. NOCT.

Innocens móribus, & à Deo vocatus venit ad miniſterium.

Ant. t. 3. *E.* Qui habúerit máculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accédet ad miniſtériū. *Lev.* 21. 17. 18.

Ant. t. 2. *D.* Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis pópuli

pópuli glorificábor. *Lev.* 10. 3.

Ant. t. 8. C. Ingrédere tu: te enim vidi juſtum coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur ſine mácula. *Pſal.* 14. 1. 2.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Adhæſit Dómino, & non recéſſit à veſtígiis ejus, fecítque mandáta ejus. * Unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, ſapiénter ſe agébat. ℣. Homo iſte juſtus, & timorátus, expéctans conſolatiónem Iſrael. * Unde. 4. *Reg.* 18. 6. 7. *Luc.* 2. 25.

℟. 2. Præcépit Dóminus: * Accéde ad altáre, & ímmola: offer holocaúſtum, & deprecáre pro te, & pro pópulo. ℣. Novi ópera tua, & fidem, & charitátem tuam, & miniſtérium, & patiéntiam tuam. * Accéde. *Lev.* 9. 6. 7. *Apoc.* 2. 19.

℟. 3. Quia ſanctus es Dño Deo tuo, te elégit Dñs. * Et † Scies, quia Dóminus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidélis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus ſe. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangeliſtæ, miniſtérium tuũ imple. * Et ſcies. Glória. † Scies. *Deut.* 7. 6. 9. 2. *Tim.* 4. 5.

IN II. NOCTURNO.

Ejus pro plebe orationes & ſacrificia.

Ant. t. 7. *A.* De Sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, & incéndat ſacrifícium. *Jerem.* 33. 18.

Ant. t. 5. *F.* Exorábit pro peccátis, & continébit ſe ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Rogánte pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Lev.* 4. 20.

℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: ℟. In potentátibus ſalus déxteræ ejus. *Pſalm.* 19. 7.

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 4. Oblátio juſti impínguat altáre, * Et odor ſuavitátis eſt in conſpéctu Altíſſimi. ℣. Multùm enim valet deprecátio juſti aſsídua. * Et odor. *Eccli.* 35. 8. *Jac.* 5. 16.

℟. 5. Diléctus à Dómino Deo ſuo, in fide ſua probátus eſt: & * Invocávit Dominum omnipoténtem in oblatióne Agni invioláti. ℣. Sacérdos non ſecúndùm legem mandáti carnalis factus. * Invocávit. *Eccli.* 46. 16. 17. 19. *Hebr.* 7. 16

℟. 6. Obtulit holocaúſtum Dómino: & * Clamávit ad Dóminum pro Iſrael, & † Exaudívit eum Dóminus, ℣. Unam pro peccátis ófferens hóſtiam, * Clamávit. Glória. † Exaudívit 1. *Reg.* 7. 9. *Heb.* 10. 12.

IN III. NOCTURNO.

Sacerdotis zelus.

Ant. t. 8. *G.* Scitis quòd docúerim vos præcépta, atque juſtítias, ſicut mandávit mihi Dóminus Deus meus. *Deuter.* 4. 5.

Ant. t. 7. *C.* Zelo zelátus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Iſrael. 3. *Reg.* 19. 10.

Ant. t. 2. *D.* Cogitávit cor meum mecum: increpávi, & dixi: Quare non in timóre Dei noſtri ambulátis? 2. *Eſd.* 5. 7. 9.

℣. Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſal.* 118. 158.

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 7. Operátus eſt bonum, & rectum, & verum coram Dómino Deo ſuo, * In univérſa cultúra miniſtérii domûs Dómini juxta legem & cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tamquam fámulus. * In univérſa. 2. *Paral.* 31. 20. 21. *Hebr.* 3. 5.

℟. 8. Quæsívit bona genti ſuæ: & * Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquisívit, & abſtulit omnem iníquum & malum. ℣. Exémplum bonórum óperum, in doctrina, in integritate, in gravitáte. * Confirmávit. 1. *Mach.* 14. 4. 14. *Tit.* 2. 7.

℟. 9. Avértit iram meam à filiis Iſrael; * Quia zelo meo commótus eſt contra eos, ut non ipſe delérem filios Iſrael in zelo meo: † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Juſtítiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitútus. * Quia. Glória. † Ecce. *Numer.* 25. 11. 12. *Hebr.* 11. 7. Te Deum. *In Duplic. & Semiduplic.*

AD LAUDES.

Opera ſancta Sacerdotis laudantur.

℣. *Sacerdot.* Domus Aáron, benedícite Dómino: ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Pſal.* 134. 19. 20.

Ant. t. 7. *A.* Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt. 3. *Reg.* 17. 24.

Ant. t. 1. *A.* Ecce docuíſti multos: & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermones tui. *Job.* 4. 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli.* 48. 10.

Ant. t. 6. *F.* Tu aſſecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patientiam. 2. *Tim.* 3. 10.

Ant. t. 7. *A.* Beatus ille ſervus, quem cùm venerit Dóminus ejus, invénerit ſic facientem: ſuper omnia bona ſua conſtítuet eum. *Matth.* 24. 46. 47.

Capitulum. 1. *Tim.* 5. 17.

Qui bene præſunt Preſbyteri, dúplici honore

digni habeántur; máximè qui labórant in verbo & doctrína.

℣. Exáltent eum in Eccléſia plebis: ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſalm.* 106. 32.

Ad Benedíctus. *Ant. t.* 1. *D.* Plúrimam hóſtiam óbtulit, per quam teſtimóniū conſecútus eſt eſſe juſtus; teſtimónium perhibénte munéribus ejus Deo. *Hebr.* 11. 4.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuū *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur à pópulo, ſegregáſti: præſta, quæſumus, ut ejus exémpla ſectántes, genus eléctum, regále ſacerdotium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis éffici mereámur; Per, &c.

Alia Oratio.

DEus, qui ad plebis tuæ ſalútem, & ad miniſtrórum tuórum decus & exémplum, fidélem fámulum tuū *N.* Sacerdótio tuo aſſociáre voluíſti; concéde, quæſumus, ut ejus méritis & exémplis adjúti, ita exhibeámus nos in ómnibus fidéles miníſtros, ut prærogatívæ dignitátis adjungátur cúmulus ſanctitátis; Per te, Jeſu Chriſte Salvátor mundi, Qui vivis, &c.

A D T E R T I A M.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 11. 12.

PRæcipe hæc & doce. Exémplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide, in caſtitáte.

In Dupl. ℟. Juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe, * Parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini; & fáceret & docéret in Iſrael præcéptum. ℣. Potens in Scriptúris, edóctus viam Dómini, & fervens ſpíritu. * Parávit. Glória. * Parávit. 1. *Eſdr.* 7. 9. 10. *Act.* 18. 24. 25.

℣. Veníte, filii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Pſalm.* 33. 12.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Veritátem tuam * Et ſalutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abſcóndi miſericórdiam tuam. * Et ſalutáre. Glória. Veritátem. *Pſalm.* 39. 11.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam, ℟. Domine, tu ſciſti. *Pſalm.* 39. 10.

A D S E X T A M.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℟. *br.* Dómine, diléxi * Decórem domûs tuæ. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, * Decórem. Glória. Dómine. *Pſal.* 25. 8.

℣. Immolávi in tabernáculo ejus ℟. Hoſtiam vociferatiónis. *Pſal.* 26. 6.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 3. 13.

QUi bene miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquírent, & multam fidúciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. Hic ℣. Et miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo. * Benedictiónem. Glória. Hic accípiet. *Pſal.* 23. 5.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsiſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſal.* 64. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex ejus miniſterio multi fructus: & inde ejus corona.

Ant. t. 1. *A.* NAtus eſt homo, firmaméntũ gentis, rector fratrum, ſtabiliméntũ pópuli. *Eccli.* 49. 17.

Ant. t. 5. *A.* Perféctus homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. 2. *Tim.* 3. 17.

Ant. t. 7. *C.* Porréxit manum ſuam in libatióne, & libávit de ſánguine uvæ. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum Excélſo. *Eccli.* 50. 16. 17.

Ant. t. 3. *a.* De omni corde ſuo laudávit Dóminum: & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47. 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Defúnctus adhuc lóquitur: quia teſtimónium hábuit placuíſſe Deo. *Heb.* 11. 4. 5.

Capitulum. 1. *Cor.* 3. 8.

QUi plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquíſque autem própriã mercédem accípiet ſecúndùm ſuũ labórem.

HYMNUS.

QUàm Deo gratus venit hic Miníſter,
Qui nihil mundi maculátus aurâ,
Mille virtútum præeúnte cœtu
Scandit ad aras!

Quos docet nondum ſtábiles alúmnos
Firmat exémplis: potióra dictis
(Inſtar accénſæ facis) anteíbunt
Facta magíſtri.

Hos alit verbis: alit hos & eſcis:
Non ſuum dicit: ſibi vindicáre
Paúperes credit, quaſi commodáti
Pródigus auri.

Quippe veſtígat, meditátus altâ
Mente, theſaúros, ſibi quos latrónum
Nulla fraus tollat, neque dente vermis
Rodat iníquo.

Hunc cadens vidit, réperit renáſcens
Sol humi ſtratum, lácrymis madéntem:
Intimæ menti Deus incubábat
Intimus hoſpes.

Quam ſitit puro bibit ore lucem,
De Deo fœtos relegéndo libros,

Hinc cibus menti Deus, hinc abúndè
Páſcitur uno.
Lúminis ſplendor, Patris una Proles
Chriſte, te pronus venerá tur orbis,
Qui Sacerdotes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam ſalutari; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſal.* 131. 16.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Ubi ſum ego, illìc & Miníſter meus erit. Si quis mihi miniſtráverit, honorificábit eũ Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE UNIUS ABBATIS, MONACHI, CÆNOBITÆ, ANACHORETÆ.

AD I. VESPERAS.

Solitudo, ſalutis locus & ſecuritas.

Ant. t. 8. *C.* QUi hábitant in desérto, ſecúri dórmient in ſaltibus; & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34. 25. 26.

Ant. t. 5. *A.* Dóminus ponet desértum quaſi delícias, & ſolitúdinem quaſi hortum Dómini. *Iſ.* 51. 3.

Ant. t. 7. *D.* Gaúdium & lætítia inveniétur in ſolitúdine, gratiárum áctio & vox laudis. *Iſ.* 51 3.

Ant. t. 3. *a.* Bonum eſt viro, cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua; ſedébit ſolitárius, & tacébit. *Thren.* 3. 27. 28.

Ant. t. 3. *E.* Erit ſicut qui abſcónditur à vento, & celat ſe à tempeſtáte in terra desérta. *Iſ.* 32. 2.

Capitulum. Jerem. 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquiſque ánimam ſuam: nolíte tacére ſuper iniquitátem ejus: quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino.

In Dupl. ℟. Habitábit in ſolitúdine judícium. * Et erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum. ℣. Si vis perféctus eſſe, vade, vende quæ habes, & da paupéribus: & veni, ſéquere me. * Et erit. Glória. * Et erit. *Iſ.* 32. 16. 17. *Matth.* 19. 21.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

FElíces némorum pángimus íncolas
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio ſæcli
Mores læderet íntegros.
Ut te poſsídeant, quem ſítiunt Deum,
Urbes, regna, ſuos, ſe quoque déſerunt:
Totus víluit orbis,
Dum cæléſtia cógitant.

Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent
Prudéntes onus éxuunt.
Ætérnas ut opes, cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt
Confíſi melióribus.
Illis ſumma fuit glória, déſpici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.
Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala
In pœnam ſcélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quærere.
Ætérnus ſit honos ingénito Patri,
Sit par unígeno glória Fílio;
Sacri nexus amóris
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, ℟. A conturbatióne hóminum. *Pſal.* 30. 21.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* In ſolitúdine ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Iſ.* 32. 16. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum qui ductus eſt in desértum à ſpíritu, * Veníte, adorémus. *Matth.* 4. 1.

IN I. NOCTURNO.

Deo vocanti obediens, vadit in ſolitudinem.

Ant. t. 8. *C.* Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi. *Gen.* 12. 1.

Ant. t. 6. f. Surge, ne péreas in ſcélere civitátis: ſalva ánimam tuam: noli reſpícere poſt tergum. *Gen.* 19. 15. 17.

Ant. t. 2. *D.* In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. *Eccli.* 17. 25.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſal.* 56. 2.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. 1. Ecce elongávi fúgiens: & * Manſi in ſolitúdine. Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte: quóniam vidi iniquitátem in civitáte.

℣. Quóniam mundus totus in malígno póſitus eſt. * Manſi. *Pſal.* 54. 8. 9. 10. 1. *Joan.* 5. 19.

℟. 2. Mélior eſt dies una in átriis tuis, Dómine, ſuper míllia: * Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem.

* Elégi. *Pſal.* 83. 11. *Hebr.* 11. 25.

℟. 3. Invénit eum Dóminus in terra deſérta * In loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis; circumdúxit eum, & † Sicut Aquila próvocans ad volándum pullos ſuos & ſuper eos vólitans, expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum. ℣. Juſtum à nefandórum luxurióſa converſatione erípuit: aſpéctu enim & audítu juſtus erat, * In loco.. Glória. † Sicut. *Deut.* 32. 10. 11. 2. *Petr.* 2. 7. 8.

IN II. NOCTURNO.

Perfecta ejus abnegatio.

Ant. t. 8. *G.* Quòd relíqueris paréntes tuos, plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem veníſti. *Ruth.* 2. 11. 12.

Ant. t. 7. *a.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus, & obédias ejus império. *Deuter.* 26. 17.

Ant. t. 4. *E.* Hæc eſt hæréditas ſervórum Dómini, & juſtítia eórum. *Iſ.* 54. 17.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſal.* 32. 12.

Lectiones ut in Proprio Sanct.

℟. 4. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;* Proptérea expectábo eum: bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. ℣. Propter Chriſtũ ómnia detriméntum feci, & árbitror ut ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam. * Proptérea. *Thren.* 3. 24. 26. *Philip.* 3. 8.

℟. 5. Exui me ſtolâ pacis,* Indui autem me ſacco obſecratiónis, clamabo ad Altiſſimum in diébus meis: ſperávi in ætérnum ſalútem: & venit mihi gáudium à ſancto. ℣. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus ſum propter Chriſtum detriménta. * Indui autem. *Baruch.* 4. 20. 22. *Philip.* 3. 7.

℟. 6. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro ſancto tuo, quem probáſti in tentatióne. * Dixit patri ſuo & matri ſuæ; Néſcio vos; & frátribus ſuis: Ignóro vos. ℣. Fide obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: & éxiit, néſciens quò iret. * Dixit. Glória. * Dixit. *Deuter.* 33. 8. 9. *Hebr.* 11. 8.

IN III. NOCTURNO.

Orationes & alia pœnitentiæ opera.

Ant. t. 7. *D.* Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. *Dan.* 9. 3.

Ant. t. 3. *a.* Nomen tuũ, Dómine, & memoriále tuum in deſidério ánimæ. *Iſ.* 26. 8.

Ant. t. 8. *C.* Anima mea deſiderávit te in nocte; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te. *Iſ.* 26. 9.

℣. Propter verba labiorũ tuórum, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſal.* 16. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Secéſſerat in deſértū locum, ibíque * Inter feras vitam in móntibus cum ſuis agébat: ne partícipes eſſent coinquinatiónis. ℣. In omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárum actióne.* Inter feras... 2. *Mach.* 5. 27. *Philip.* 4. 6.

℟. 8. Opéruit cilício carnem ſuam, * Jejunávit, & dormívit in ſacco, & ambulávit demíſſo capite. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditate. * Jejunávit... 3. *Reg.* 21. 27. 2. *Cor.* 11. 27.

℟. 9. Hic multis tempóribus * Continéntiæ propóſitum ténuit, corpúſque & ánimam trádere conténtus pro perſeverántia. ℣. Mortificátus carne, vivificátus autem ſpíritu. * Continéntiæ.. Glória. . * Continéntiæ. 2. *Mach.* 14. 38. 1. *Pet.* 3. 18. Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd totum ſe Deo voverit, abundat conſolationibus.

℣. *Sacerd.* Abſcóndit me Dóminus in tabernáculo ſuo; ℟. In die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui. *Pſal.* 26. 5.

Ant. t. 8. *C.* EGo in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro ſalúte Dño. *Jonæ.* 2. 10.

Ant. t. 1. *F.* Non ſedi in concílio ludéntium: ſolus ſedébam, quóniam comminatióne replésti me. *Jerem.* 15. 17.

Ant. t. 4. *A.* Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ant. t. 6. *F.* Exíſtimo ómnia detriméntū eſſe propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. *Philip.* 3. 8.

Ant. t. 5. *A.* Gaúdeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti, in carne mea. *Coloſ.* 1 24.

Capitulum. Eccli. 51. 35. 36.

VIdete óculis veſtris, quia modicùm laborávi, & invéni mihi multā réquiem. Aſſúmite diſciplínam in multo número argénti, & copióſum aurum poſſidéte in ea.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Pſal.* 141. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Mihi vívere Chriſtus eſt; & mori lucrum. *Philip.* 1. 21.

ORATIO, *ſi ſit Abbas.*

OMnípotens ſempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & interceſſióne beáti N. Abbátis cujus ſolémnia celebrámus, ut purificátis ab omni ſæculi deſidério méntibus, te ſolo dívites eſſe velímus; Per, &c.

ALIA ORATIO, *ſi non ſit Abbas.*

DEus, qui nos, ádmones, exémplo beáti *N.* temporália deſpícere, & ad ætérna feſtináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipſo pro nobis interce-

dénte, impléré valeámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. Cor. 6. 17. 18.

EXite de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus, & immúndum ne tetigéritis; & ego recípiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios.

In Dupl. ℟. Dixit ad illum Dóminus: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & veni in terram quam monſtrávero tibi. * Tunc éxiit. ℣. Velut fílius Altíſſimi obédiens. * Tunc.. Glória. * Tunc. *Act.* 7. 3. 4. *Eccli.* 4. 11.

℣. Dixi; Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ?

℟. Volábo & requiéſcam. *Pſal.* 54. 7.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Extráneus factus ſum * Frátribus meis. Extráneus. ℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. * Frátribus. Glória. Extráneus. *Pſal.* 68. 9.

℣. Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; ℟. Factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto. *Pſal.* 101. 7. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2. 15. 16.

SI quis díligit mundum, non eſt cháritas Patris in eo; quóniam omne quod eſt in mundo, concupiſcéntia carnis eſt, & concupiſcéntia oculórum, & ſupérbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid. ℣. Deus cordis mei & pars mea. * Et à te. Glória. Quid. *Pſal.* 72. 25. 26.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, ℟. Et cálicis mei. *Pſal.* 15. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 26. 27.

EGo ſic curro, non quaſi in incértum; ſic pugno, non quaſi áërem vérberans; ſed caſtígo corpus meum, & in ſervitútem rédigo.

℟. *br.* Cùm mihi moléſti eſſent, * Induébar cilício. Cùm. ℣. Humiliábã in jejúnio ánimam meam. * Induébar. Glória. Cùm mihi. *Pſal.* 34. 13.

℣. Anticipavérunt vigílias óculi mei. ℟. Cogitávi dies antíquos. *Pſal.* 76. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

Enumerantur illius opera in æternum remuneranda.

Ant. 1. 3. a. ISte cuſtodívit ánimam ſuam: & memor fuit Dómini in toto corde ſuo. *Tob.* 1. 12. 13.

Ant. 2. 8. *C.* Abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. *Jonæ.* 3. 6.

Ant 2. 1. *A.* Majóres divítias æſtimans theſaúro Ægyptiórum, impropérium Chriſti, fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 26. 27.

Ant. 2. 7. *C.* Vir erat religióſus, ac timens Deum, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 1. 2.

pit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo, * Hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℣. Qui vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. * Hic accípiet. *Pſ.* 23. 4. 5. 1. *Petr.* 3. 10 11.

℟. 3. Quàm magnus, qui invénit ſciéntiam! ſed non eſt ſuper timéntem Dóminum. * Beátus homo, cui donátum eſt habére timórem Dei: † Cui aſſimilábitur? ℣. Símilis eſt hómini ædificánti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundaméntum ſuper petram. * Beátus. Glória. † Cui. *Eccli.* 25. 13. 15. *Luc.* 6. 48.

IN II. NOCTURNO.

Juſtus, bonis opéribus in dies juſtificatur adhuc.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum currit juſtus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

Ant. t. 3. a. Quaſi lux ſplendens, procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. *Prov.* 4. 18.

Ant. t. 1. *A.* In hora velóci procéſſus illíus fructíſi at. *Eccli.* 11. 24.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri; ℟. Cùm dilatáſti cor meum. *Pſal.* 118. 32.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Lætátum eſt cor meum: ambulávit pes meus iter rectum à juventúte mea. * Zelátus ſum bonum, & non confúndar. ℣. Quæ retrò ſunt oblivíſcens, ad ea verò quæ ſunt prióra exténdens meipſum. * Zelátus. *Eccli.* 51. 20. 24. *Philip.* 3 13.

℟. 5. Auris audiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium reddébat mihi: * Eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem, & pupillum, cui non eſſet adjútor. ℣. In me clarificábant Deũ. * Eò quòd. *Job.* 29. 11. 12. *Gal.* 1. 24.

℟. 6. Ambulávit ſervus tuus in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum: * Cuſtodíſti ei, Dómine, miſericórdiam tuã grandem. ℣. In ſua generatióne cùm adminiſtráſſet voluntáti Dei.* Cuſtodíſti. Glória. * Cuſtodíſti 3. *Reg.* 3. 6. *Act.* 13. 36.

IN III. NOCTURNO.

Eò quòd diléxerit Deum, & in mandatis ejus ambuláre perſeveráverit, hinc maximâ mercede dignus.

Ant. t 7. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

Ant. t. 3. a. Non erat ſimilis ei, & diléctus Deo ſuo erat. 2. *Eſd.* 13. 26.

Ant. t. 2. *D.* Immóbilis in Dei timóre permánſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob.* 2. 14.

℣. Adhæſit ánima mea poſt te; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *Pſal.* 62. 9.

Lectiones ut in Propria Sanctorum.

℟. 7. Sapiéntia juſtum de-dúxit per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei: * Dedit illi ſciéntiam ſanctórũ: honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei juſtítia eſt, & pax in Spíritu ſancto: qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo. * Dedit illi. *Sap.* 10. 10. *Rom.* 14. 17. 18.

℟. 8. Beátus qui in iſtis verſátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ad ómnia valébit; * Quia lux Dei, veſtígium ejus eſt. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit, ſed tránſiit à morte in vitam. * Quia. *Eccli.* 50. 30. 31. *Joan.* 5. 24.

℟. 9. Probátus & perféctus eſt; pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus; fácere mala, & non fecit: * Ideò ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino, & † Eleemóſynas illíus enarrábit omnis Ecclé-ſia ſanctórum. ℣. Factum eſt ut morerétur, & portarétur ab Angelis in ſinum Abrahæ. * Ideò. Glória. † Eleemóſynas. *Eccli.* 31. 10. 11. *Luc.* 16. 22. Te Deum.

AD LAUDES.

Juſto in virtutibus ſuis gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Lux orta eſt juſto, ℟. Et rectis corde lætítia. *Pſal.* 96. 11.

Ant. t. 3. a. TE vidi juſtũ coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

Ant. t. 2. *D.* In veritáte ámbulas, fidéliter facis quidquid operaris. 3. *Joan.* 3. 5.

Ant. t. 8. *G.* Charitatem & fidem habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctos; ut communicátio fidei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 5. 6.

Ant. t. 1. *A.* Oratiónes tuæ, & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Ant. t. 3. a. Beátus ſervus quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem. *Matth.* 24. 46.

Capitulum. 2. *Cor.* 1. 12.

GLória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ, quòd in ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei converſati ſumus in hoc mundo.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec eſt in ſpíritu ejus dolus. *Pſal.* 31. 2.

Ad. Benedic. *Ant. t.* 1. *D.* Serve bone & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. *Matth.* 25. 21.

Oratio.

ADeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris quas in beati N. feſtivitate deférimus; ut qui noſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jacob. 1. 25.

QUi perſpéxerit in legẽ perféctam libertátis, & permánſerit in ea, non audítor obliviósus factus, ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit.

In Dupl. ℟. Spem habens in Deum, reſurrectiónem futúram juſtórum; * In hoc & ipſe ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum, & ad hómines ſemper. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéſſi, & in ſinu meo abſcóndi verba oris ejus. * In hoc. Glória. * In hoc. *Act.* 24. 15. 16. *Job.* 23. 12.

℣. Servávi mandáta tua, Dómine; ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo. *Pſal.* 118. 168.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis.* Qui timet. Glória. Beátus. *Pſal.* 111. 1.

℣. Judícia Dómini vera. ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſal.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. 1. 27.

REligio munda & immaculáta apud Deum, hæc eſt, Viſitáre pupíllos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſæculo.

℟. *br.* Diſpérſit, * Dedit paupéribus. Diſpérſit. ℣. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. * Dedit. Glória. Diſpérſit. *Pſal.* 111. 9.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſal.* 40. 2.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15. 7. 8.

JUſtítia longè abeſt à ſupérbia & dolo, viri mendáces non erunt illíus mémores: & viri veráces inveniéntur in illa, & ſuccéſſum habébunt uſque ad inſpectiónem Dei.

℟. *br.* Non egit dolum * In lingua ſua. Non. ℣. Nec fecit próximo ſuo malum: * In lingua. Glória. Non. *Pſal.* 14. 3.

℣. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum, ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Pſal.* 23. 6.

AD II. VESPERAS.

Operum ſuorum mercedem accipit juſtus.

Ant. t. 6. f. ECce verè Iſraelíta, in quo dolus non eſt. *Joan.* 1. 47

Ant. t. 3. *A.* Vir erat timens Deum, fáciens eleemóſynas multas, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 1. 2.

Ant. t. 3. a. Non prætériit de univérſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. *Joſue.* 11. 15.

Ant. t. 6. f. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

Ant. t. 7. *D.* Diléctus Deo & homínibus; cujus memó-

ria in benedictióne eſt. Símilem illum fecit Dóminus in glória ſanctórum. *Eccli.* 45. 1. 2.

Capitulum. Gal. 6. 8.

FRatres, Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet: quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

Ex S. Victor.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans récipit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suſpírat, oblítus ſuî.

Quid ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules
Cives polo quos déſtinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iſte tardi córporis
Pondus moléſtum ſúſtinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo ſe júngere.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. In memória ætérna erit juſtus. ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſal.* 111. 7. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *A.* Sic glorificávit eum Dóminus, & laudávit eum in benedictiónibus, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 7.

Oratio ut ſupra in Laudibus.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

AD I. VESPERAS.

Promiſſiones Virgini factæ.

Ant. t. 1. *A.* A Modò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jerem.* 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* Non vocáberis ultrà Derelícta; quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 4.

Ant. t. 8. *C.* Eris corona glóriæ in manu Domini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Iſ.* 62. 3.

Ant. t. 7. *D.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

Ant. [illegible]. Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo juſtítiæ, mons ſanctus. *Jerem.* 31. 23.

Capitulum. Oſée 2. 19.

SPonſábo te mihi in ſempitérnum: & ſponſábo te mihi in juſtítia, & judício, & in miſericórdia, & in miſeratiónibus.

In Duplic. ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuã: * Oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui; & concupíſcet Rex decórem tuũ; † Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. ℣. Virgo cógitat

quæ Dómini ſunt ; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. * Oblivíſcere .. Gloria. † Quoniã. *Pſ.* 44. 11. 12. 1. *Cor.* 7. 34.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex S. Victor.

FEſtis læta ſonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, ſúmite tympana,
Cœtus Angélici ; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

Veſtris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor ? fórtiter ámbiit
Sponſo virgínenm, fúndere sánguinem ;
Oblíti méminit [illegible] bene córporis
Præcláræ sítiens necis.

Sic quâ parte minor, ves ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia ſuſtinent
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

Si non ſit Martyr.

HYMNUS.

Ex Sanct. Victor.

VOs ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

Hæc eſt feſta dies cælítibus ſacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponſo ſponſa Deo próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Mortáles thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réſpuit:
Sponſo perpétuo fœdere júngitur,
Sponſæ ſe Deus óbligat.

Ægro vix ſua ſunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil ſonat aúribus;
Morti quod ráperet próvida præripit;
Unus ſit Deus ómnia.

Fac, ô Chriſte! tuæ Vírginis æmulos
Nos inſtáre ſacrâ, quâ gráditur, viâ:
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus:
Da te, Chriſte, ſequi, laúrea Vírginum:
Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant

Flammis, frígida péctora. Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte: ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſal.* 17. 33.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Quid bonum Dómini eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9. 17.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Agnum quem ſequúntur Vírgines * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

IN I. NOCTURNO.

Virginitatis laus.

Ant. t. 1. *a.* Omnis ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. t. 8. *G.* Incorrúptio facit eſſe próximum Deo. *Sap.* 6. 20.

Ant. t. 5. *a.* Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum regem. *Prov.* 22. 11.

℣. Beáti immaculáti in viâ; ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Pſ.* 118. 1.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! * Immortális eſt enim memória illíus, quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines.

℣. Relígio munda apud Deum & Patrem, hæc eſt: Immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſæculo. * Immortális.. *Sap.* 4. 1. *Jac.* 1. 27.

℟. 2. Felix eſt ſtérilis: * Et incoinquináta, quæ neſcívit thorum in delícto, habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárũ. ℣. Reddet Deus iis qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Et incoinquináta.. *Sap.* 3. 13. *Rom.* 2. 6. 7.

℟. 3. Magna facta eſt, & præclárior erat univérſæ terræ Iſrael: * Erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. ℣. In opéribus bonis teſtimónium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt.. * Erat.. Glória.. * Erat.. *Judith.* 16. 25. 26. 1. *Tim.* 5. 10.

IN II. NOCTURNO.

Tota ſponſo Chriſto devota Virgo, in nullo alio lætatur.

Ant. t. 3. *E.* Ego Dilécto meo, & Diléctus meus mihi, qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. t. 4. *E.* Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, tu ſcis quòd numquam lætáta ſit ancílla tua, niſi in te, Dómine Deus. *Eſth.* 14. 14. 16. 18.

Ant. t. 7. *D.* Quia complácui Dómino, ſecúndùm mundítiam mánuum meárũ reddet mihi. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

℣. Deus meus impollúta via ejus: ℟. Protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe. *Pſ.* 17. 31.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me

veſtiméntis ſalútis : * Et indumento juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decorátum corónâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me.*Et induménto .. *Iſ.* 61. 10. *Gal.* 2. 20.

℟. 5. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua.Lex tua meditátio mea eſt. * Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, ut non confúndar. ℣. Secúndùm expectatiónem & ſpem meam magnificabitur Chriſtus in córpore meo. * Fiat.. *Pſal.* 118. 75. 77. 80. *Philip.* 1. 20.

℟. 6. Diléctus meus, eléctus ex míllibus, * Totus deſiderábilis; & † Ipſe eſt amícus meus, filiæ Jerúſalem. ℣. Vivo,jam non ego:vivit verò in me Chriſtus * Totus. Glória. † Ipſe eſt.. *Cant.* 5. 10. 16. *Gal.* 2. 20.

IN III. NOCTURNO.

Virginem ſibi ſponſam aſſumit Chriſtus, & coronat.

Ant. t. 5. *F.* In charitáte perpétuâ diléxi te : ídeo attraxi te, míſerans. *Jerem.* 31. 3.

Ant. t. 6. *f.* Deo placent ópera tua : omni tempore ſint veſtiménta tua candida. *Eccle.* 9. 7. 8.

Ant. t. 8. *G.* Veni de Líbano, ſponſa mea, veni : coronaberis. *Cant.* 4. 8.

℣. Corónat te Dominus in miſericórdiâ, ℟. Et miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dábitur illi ſors in templo Dei acceptíſſima. * Bonórum enim labórum glorióſus eſt fructus, & quæ non cóncidat radix ſapiéntiæ ; ℣. Beáti mundo corde, quóniã ipſi Deum vidébunt. * Bonórum.. *Sap.* 3. 14. 15. *Matth.* 5. 8.

℟. 8. Ingréſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi. * Dedi corónam decoris in cápite tuo ; & profecíſti in regnum : quia perfécta eras in decóre meo. ℣. Scient quia ego diléxi te. * Dedi corónam.. *Ezech.* 16. 8. 12. 13. 14. *Apoc.* 3. 9.

℟. 9. Immortális eſt apud Deum. * Et † In perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminũ præmium vincens. ℣. Gaudio gaudet propter vocem ſponſi. * Et in.. Glória. † In perpétuum.. *Sap.* 4. 1. 2. *Joan.* 3. 29.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quantus Virginis in Deum amor.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini ;

℟. Quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *Pſ.* 148. 12. 13.

Ant. t. 4. *E.* VOx Dilécti mei pulsántis : Aperi mihi, ſoror mea, immaculáta mea. *Cant.* 5. 2.

Ant. t. 7. *A.* Invéni quem

diligit ánima mea: ténui eum; nec dimíttam. *Cant.* 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum; quia fortis eſt ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6.

Ant. t. 5. *F.* Diléctus meus ordinávit in me charitátem; fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis. *Cant.* 2. 3. 4. 5.

Ant. t. 6. *f.* Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Capitulum. Sap. 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

℣. In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, ℟. Laudatiónes tibi. *Pſ.* 55. 12.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Tu ſcis, Dómine, quia númquam concupívi virum, & mundam ſervávi ánimã meã ab omni concupiſcéntia. *Tob.* 3. 16.

Oratio pro Virgine & Martyre.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ miracula, étiam in ſexu frágili victóriam martyrii contuliſti: concede propitiùs, ut qui beátæ N. Virginis & Mártyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur; Per, &c.

Si non ſit Martyr. Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti: concéde ut qui fidélis ſponſæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ converſatiónis ſequámur exémplo; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui mundi contémptum, diligéntibus te inſpiráſti; da nobis in feſtivitáte beátæ N. Vírginis, ejus interceſſióne terrena deſpícere, & tibi ſoli fírmiter adhærére; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquíſque próprium donum habet ex Deo: álius quidem ſic, alius verò ſic. Dico autem non nuptis, & víduis: bonum eſt illis ſi ſic permáneant.

In Duplic. ℟. Audívi vocem de cœlo, & vocem, quam audívi, ſicut citharizántium in cítharis ſuis. Et * Cantábant quaſi cánticum novum, ante ſedem Agni. ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.. * Cantábant.. Glória.. * Cantabant. *Apoc.* 14. 2. 3. *Pſ.* 96. 8.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſ.* 68. 31.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Pſallam, & intélligam * In viâ immaculátâ. Pſallam... ℣. In innocéntia cordis mei, * In viâ.. Glória.. Pſallam.. *Pſ.* 100. 1. 2.

℣. Immíſit in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo noſtro *Pſ.* 39. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 34.

MUlier innúpta, & Virgo cógitat quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid mihi..

℣. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. * Et à te.. Glória.. Quid mihi. *Pſ.* 72. 25. 26.

℣. Quæ eſt expectátio mea? ℟. Nonne Dominus? *Pſalm.* 38. 8.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 11. 2.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos uni viro Vírginem cáſtam exhibére Chriſto.

℟. *br.* Afferéntur regi Vírgines, * In lætítia & exultatióne.. Afferéntur.. ℣. Adducéntur in templum regis. * In lætítia.. Glória.. Afferéntur.. *Pſ.* 44. 15. 16.

℣. Delectavérunt te filiæ regum ℟. In honóre tuo. *Pſ.* 44. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Quænam ſint prudentes Virgines ad nuptias Agni admittendæ.

Ant. *t.* 1. *A.* VIrgines accipiéntes lampades ſuas, exiérunt óbviam ſponſo. *Matth.* 25. 1.

Ant. *t.* 4. *E.* Prudéntes accepérunt óleum in vaſis ſuis, & ornavérunt lámpades ſuas. *Matth.* 25. 4. 7.

Ant. *t.* 2. *d.* Médiâ nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exíte obvìàm ei. *Matth.* 25. 6.

Ant. *t.* 3. *a.* Venit ſponſus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25. 10.

Ant. *t.* 1. *D.* Vírgines ſequúntur Agnum, quocúmque íerit: ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4. 5.

Capitulum. *Iſ.* 56. 4. 5.

HÆc dicit Dóminus: Dabo eis, in domo meà, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen ſempitérnum dabo eis: quod non períbit.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex Sant. Vict.

QUid ſacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino reportas
Hoſte triúmphum.
Móllior fregit neque te volúptas;
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amores.
Líliis ſponſus récubat, roſísque;

Tu, tuo ſemper bene fida
ſponſo,
Et roſas Martyr, ſimul & dedíſti
Lília Virgo.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus;
Fac tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis. Amen.

HYMNUS.

Si non ſit Martyr.

Ex Sant. Vict.

COeléſtis aula pánditur;
En Sponſus; omnes óbviæ
Exíte ſponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.
Hæc nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſínguliś
Jam plénius frui Deo.
Quæ caſta vobis gaúdia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid virgo terris ámbiat?
O virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus;
Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœdera.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit;
℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſalm.* 36. 18. 19.

Ad Magnif. *Antiph. t.* 7. *D.* In reſurrectióne, neque nubent, neque nubéntur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE MULIERIS SANCTÆ VEL VIDUÆ.

AD I. VESPERAS.

Mulieris ſanctæ imago.

Ant. t. 1. *irr.* SIcut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic Mulíeris bonæ ſpécies in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26. 21.

Ant. t. 3. *A.* Grátia ſuper grátiam, Múlier ſancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Ant. t. 3. *E.* Múlier fortis obléctat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. t. 4. *E.* Vana eſt pulchritúdo; Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

Ant. t. 7. *D.* Fundaménta ætérna ſupra petram ſólidam, & mandáta Dei in corde Mulíeris ſanctæ. *Eccli.* 26. 24.

Capitulum. Prov. 31. 10. 11.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri ſui, & ſpóliis non indigébit.

In Duplic. ℟. Pars bona, Múlier bona, * In parte timentium Deum dábitur viro pro factis bonis. ℣. Mulier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor, * In parte. Glória. * In parte. *Eccli.* 26. 3. *Act.* 16. 14.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

ADéſte, ſanctæ Cónjuges,
En illa fortis Fœmina
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

Blandos ut hoſtes vínceret,
Hanc fortitúdo véſtiit:
Ut proſit intuéntibus,
Cœléſtis ornávit decor.

Non vana pompa ſæculi
Senſus fefellit, nec malis
Gliſcens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véſtium,
Non crine torto ſpléndui:
Cultu nitens ſed ſimplice,
Puris placébat móribus.

Se ſub ſerénis vúltibus
Auſtera virtus óccului:
Timet vidéri, ne ſuum,
Dum prodit, amíttat decus.

Prodeſſe quærit ómnibus
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos Vírginum,
Secúnda mater órphanis.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus;
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Deus habitáre facit in domo, ℟. Matrem filiórum lætántem. *Pſ.* 112. 9.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *A.* Fáciat Dóminus hanc Mulíerem, ſicut Rachel & Liam; ut ſit exémplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ruth.* 4. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Deum in quo ſanctæ Mulíeres ſperavérunt; * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

IN I. NOCTURNO.

Mulieris ſanctæ bona in domo ſuâ converſatio.

Ant. t. 1. *irr.* Inítium ſapiéntiæ, timor Dómini, & cum eléctis Fœmínis gráditur. *Eccli.* 1. 16.

Ant. t. 1. *A.* Mulíeris bonæ beátus vir: númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26. 1.

Ant. t. 8. *C.* Fílii, & ædificátio civitátis confirmabit nomen, & ſuper hæc Múlier immaculáta computabitur. *Eccli.* 40. 19.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur; ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24. 13.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. Grátia Mulíeris ſédulæ delectábit virum ſuū, * Diſciplína illíus, datum Dei eſt. ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, diſcat domum ſuam régere: hoc enim ac-

céptum eſt coram Deo. * Diſciplína.. *Eccli.* 26. 16. 17. 1. *Tim.* 5. 4.

℟. 2. Lex cleméntiæ in lingua ejus. * Conſiderávit ſémitas domûs ſuæ, & panem otióſa non comédit. ℣. Quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.. * Conſiderávit .. *Prov.* 31. 26. 27. 1. *Tim.* 2. 10.

℟. 3. Surrexérunt filii ejus, & beatíſſimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. ℣. Vir imágo & glória Dei eſt, Múlier autem glória viri eſt. * Vir.. Glória.. * Vir ejus.. *Prov.* 31. 28. 1. *Cor.* 11. 7.

IN II. NOCTURNO.

Orationi intenta Mulier, à rebus vanis & malorum conſortio longè fugit.

Ant. t. 7. *D.* Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine, ádjuva me, cujus præter te nullus eſt auxiliator álius. *Eſth.* 14. 3.

Ant. t. 6. *F.* Tu ſcis, Dómine, quia virum cum timóre tuo consénſi ſuſcípere. *Tob.* 3. 16. 18.

Ant. t. 8. *G.* Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine, qui conſolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ. *Ruth.* 2. 13.

℣. Meditátio córdis mei, Dómine, ℟. In conſpéctu tuo ſemper. *Pſ.* 18. 15.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Miſericórdia tua, Dómine, ante óculos meos eſt; & complácui in veritáte tuâ: * Non ſedi cum concílio vanitatis; & odívi ecclé-ſiam malignántium: ℣. Corrúmpunt mores bonos collóquia mala. * Non ſedi... *Pſ.* 25. 3. 4. 5. 1. *Cor.* 15. 33.

℟. 5. Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, * Noſti quia óderim glóriam iniquórum, & quòd numquam lætáta ſit ancilla tua, niſi in te, Dómine. ℣. Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte? * Noſti quia.. *Eſth.* 14. 14. 15. 18. 2. *Cor.* 6. 14.

℟. 6. Mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntiâ. * Numquam cum ludéntibus míſcui me: neque cum his, qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Gratias ago Deo, cui ſérvio in conſciéntiâ purâ. * Numquam. Glória. * Numquam. *Tob.* 3. 16. 17. 2. *Tim.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Mulier ſancta virtutibus ſuis & operum gloriâ ſit omnibus in exemplum.

Ant. t. 4. *E.* Indue te decóre ſempitérnæ glóriæ: Deus enim oſténdet ſplendórem ſuum in te. *Baruch.* 5. 1. 3.

Ant. t. 3. *a.* Gaudébit ſuper te Dóminus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. *Soph.* 3. 17.

Ant. t. 6. *f.* Deus det tibi grátiam, ut ſit nomen tuum in número ſanctórum

& juſtórum. *Judith.* 10. 8.

℣. Benedícat tibi Dóminus ex Sion : ℟. Et vídeas bona Jeruſalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Pſ.* 127. 5.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu ſupergréſſa es univérſas. * Fallax grátia, & vana eſt pulchritúdo : Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. ℣. In incorruptibilitáte modéſti ſpíritûs, qui eſt in conſpéctu Dei lócuples, ſanctæ Mulíeres ornabant ſe. * Fallax. *Prov.* 31. 29. 30. 1. *Pet.* 3. 4. 5.

℟. 8. Fecíſti viríliter, & confortátum eſt cor tuum, eò quòd caſtitátem amáveris : * Ideò & manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedícta in ætérnum. ℣. O Múlier, magna eſt fides tua. * Ideò. *Judith.* 15. 11. *Matth.* 15. 28.

℟. 9. Omnia quæ locúta es, vera ſunt, & non eſt in ſermónibus tuis ulla reprehénſio. * Nunc ergo † Ora pro nobis, quóniam Múlier ſancta es, & timens Deum : ℣. Fides tua te ſalvam fecit : * Nunc ergo. Gloria. † Ora. *Judith.* 8. 28. 29. *Luc.* 7. 50.

In Dupl. & Sem. Te Deum.

AD LAUDES.

Enumerantur opera quibus aſſidua fuit Mulier ſancta.

℣. *Sacerdot.* Laudatiónem Dómini loquétur os meum : ℟. Et benedícat omnis caro nómini ſancto ejus. *Pſal.* 144. 21.

Ant. t. 1. *irr.* IN ancílla ſua adimplévit Dóminus miſericórdiam ſuam. *Judith.* 13. 18.

Ant. t. 5. *A.* Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemóſinis, quas faciébat. *Act.* 9. 36.

Ant. t. 3. *a.* Induens ſe cilício, & proſtérnens ſe, clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9. 1.

Ant. t. 6. *f.* Magna facta eſt : erat étiam virtúti caſtitas adjúncta. *Judith.* 16. 25. 26.

Ant. t. 7. *C.* In opéribus bonis teſtimonium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt. 1. *Tim.* 5. 10.

Capitulum. Eccli. 36. 26.

QUi póſſidet Mulíerem bonam, inchoat poſſeſſionem : adjutórium ſecúndùm illum eſt, & colúmna ut réquies.

℣. Ecce ſic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Pſ.* 127. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *irr.* Exultávit cor meum in Dómino, & dilatátum eſt os meum : quia lætáta ſum in ſalutári tuo. 1. *Reg.* 2. 1.

Oratio ſi ſit Martyr.

TRíbue, quæſumus, Dómine, précibus noſtris cum exultatióne provéntum, ut beátæ N. cujus paſſiónem recólimus, conſtántiam imitémur; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tuæ N. nos, Dómine, conféſſio ſancta commúniat, & fragilitáti noſtræ contínuum ímpetret ſubſídium: Per, &c.

Oratio ſi non ſit Martyr.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illúſtra; & beátæ N. précibus & méritis fac nos terréna deſpícere; & amáre cœléſtia; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Judith. 13. 31.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael.

℟. *In Duplic.* Facta eſt quaſi navis inſtitóris de longè portans panem ſuum. * Manum ſuam apéruit ínopi, & palmas ſuas exténdit ad paúperem. ℣. Hoſpítio recépit, ſanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus ſubminiſtrávit: * Manum. Glória. * Manum. *Prov.* 31. 14. 20. 1. *Tim.* 5. 10.

℣. Pauper & inops ℟. Laudábunt nomen tuum. *Pſ.* 73. 21.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Víduam ejus * Benedícens benedícam. Víduam. ℣. Páuperes ejus ſaturábo pánibus. * Benedícens. Glória. Víduam ejus. *Pſ.* 131. 15.

℣. Exultáte in conſpéctu Dei, ℟. Patris orphanorum, & júdicis viduárum. *Pſ.* 67. 5. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 8. 9. 10.

VOlo Mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia, & ſobrietáte ornántes ſe, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veſte pretióſâ: ſed quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

℟. *br.* Deus ſalútis meæ, * In die clamávi. Deus. ℣. Et nocte coram te. * In die. Glória. Deus. *Pſ.* 87. 2.

℣. Apud me orátio ℟. Deo vitæ meæ. *Pſ.* 41. 9.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Pet.* 3. 1. 2.

MUlíeres súbditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per Mulíerum converſatiónem ſine verbo lucrifiant, conſiderántes in timóre caſtam converſatiónem veſtram.

℟. *br.* Perambulábam * In innocéntia cordis mei. Perambulábam.

℣. In médio domûs meæ * In innocéntia. Glória. Perambulábam. *Pſ.* 100. 2.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ℟. Ut ſédeant mecum. *Pſ.* 100. 6.

AD VESPERAS.

De virtutibus ſuis, & gloria Mulieri ſanctæ gratulatur Eccleſia.

Ant. 1. *7. d.* TU glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pó-

puli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Ant. t. 6. *f.* Eo quòd caſtitátem amáveris, manus Dómini confortávit te. *Jud.* 15. 11.

Ant. t. 8. *G.* Benedícta es à Dómino, & prióreṁ miſericórdiam poſterióre ſuperáſti; quia non es ſecúta júvenes. *Ruth.* 3. 10.

Ant. t. 5. *a.* Scit omnis pópulus Mulíerem te eſſe virtútis. *Ruth.* 3. 11.

Ant. t. 7. *c.* Dominus nomen tuum ita magnificavit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 15.

Mulier ſalvábitur per filiorum generationē, ſi permanſerit in fide & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

HYMNUS *Ex Sant. Vict.*

O Jam beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!
Per quos gradus cœlum petit,
His ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos ſolútæ Cónjuges.

Insígnis & nos Fœminæ
Sequi decet veſtígia,
Magnum vel ipſis quæ fuit,
Virtútis exémplum viris.

Queis arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus,
Eóque, quò te vis coli,
Amóre, fac mens te colat.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino.

℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magnif. Ant. t. 7. *a.* Date ei de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PATRONI

Privatæ alicujus Eccleſiæ vel Patronæ,

Aut etiam plurium Patronorum.

Duplex I. *Claſ. Annuale.*

Omnia de Communi convenienṭe, ſecundùm qualitatem Patroni, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro ſecúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 7. *ad* 11.

MAchabæus ſemper confidébat cum omni ſpe auxílium ſibi à Deo aſfutúrum. Et hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi aſfutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & prophetis, ádmonens étiam certamina, quæ fécerant prius, promptióres conſtítuit eos: & ita ánimis eórum erectis, ſimul oſtendébat géntium fallácíā, & juramentorum prævaricatiónem.

Lectio ij. v. 11. *ad* 14.

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis, & exhortatiónibus, expóſito digno fide ſómnio, per quod univérſos lætificávit. Erat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fúerat ſummus Sacerdos, virum bonum & benígnum, verecúndum viſu, modéſtum móribus, & eloquio decórū, & qui à púero in virtútibus exercitátus ſit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Poſt hoc apparuíſſe & alium virum ætate & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

Lectio iij. v. 14. *ad* 18.

REſpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amator, & pópuli Iſrael; hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & universâ ſanctâ civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendiſſe autem Jeremíam déxteram, & dedíſſe Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adverſários pópuli mei Iſ-

rael. Exhortáti itaque Judæ ſermónibus bonis valdè, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortari, ſtatuérunt dimicáre & confligere fortiter, ut virtus de negótiis judicáret.

IN II. NOCTURNO.

Si non ſint Lectiones Propriæ.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2.

Lectio iv.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim dum hîc víveret, miſértus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, ſed augmentávit: neque enim quia impaſſíbilis omníno, ideò & incompaſſíbilis factus eſt.

Lectio v. n. 2.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus; quia quámdiu in terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt, non declinávit ad déxteram, neque ad ſiníſtram; ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego ſum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperùm ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo, quàm exémplo lúxerit inter hómines: quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophetam: Sémita júſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulándum.

Lectio vj. n. 3.

SEd & diligentióri intúitu confuſiónem noſtram inſpiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit paſſíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo eſt quod non ſolùm difficile, ſed & impoſſíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus.. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuíſſe credámus. Sic ergo in Sanctórum feſtivitátibus, & gaudere, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónos præmíſimus; confúndi, quia eos imitári non póſſumus.

IN III. NOCTURNO.

Si non ſit Homilia propria.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. II. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis; Quis

veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, commoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homilia ſancti Baſílii Epíſcopi.

Conſtitut. Monaſt. Cap. 1.

HOc exémplum idcírco nobis propónitur à Dómino, ut in fide acres ac pertináces eſſe nos dóceat. Exémplum ab hómine ad álium hóminem ſumit; ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à ſuſcépto propóſito deſiſtere, ut vidélicet quandocúmque áliquid petíeris, neque impetráveris, támdiu perſevéres quoad ímpetres; ſi tamen ea petas, quæ voluntáti Dei non repúgnent. Neque díxeris: Peccator ſum, & proptérea non exaúdior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi cauſam omnem præcíderet, illud adjécit: Etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amícus ejus ſit, propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet neceſſários.

Lectio viij.

OPórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem eſt non ſégniter, neque mente huc & illuc divagante; ſiquidem quiſquis eſt ejúſmodi, non ſolum non conſecutus eſt quæ petet, imò vero Dóminum magis exaſperábit. Si enim cùm aliquis coram príncipe ſtat, ac lóquitur, ſtat cum multo timore, atque tum extérnum, tum intérnum ánimæ óculum nequáquam vagum, ſed intentum habet, ne fortè in áliquo perículum véniat; quantò magis coram Deo cum timóre & tremóre ſtandum eſt, mente totâ in illum ſolum, nuſquam verò álio inténtâ. Nam ipſe non extérnum hóminem modò videt, velut hómines; ſed intérnū étiam intuétur.

Lectio ix.

SI ſic vi tibi illátâ omne opus bonum perfícias, ne ſuperséderis, quoad petíta conſequáre; ſed patiénter fores ejus pulſa, cum petis: Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsanti aperiétur. Quam enim áliam rem áſſequi vis, niſi ſolam ſecúndùm Deum ſalútem? Vis díſcere, ô dilécte, quómodo patiéntes fúerint Sancti, nec ſpem abjécerint? áccipe exémpla. Nos autem annum orámus, & deſíſtimus. At ſæpè, inquis, petívi, & tamen non accépi. Proríùs quia malè petivíſti, aut dubitanter, aut vágâ mente, aut ea quæ tibi non condúcunt. Quòd ſi ſæpè étiam flagitáſti conducibília, at non perſeveraſti. Scriptum eſt enim: Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Ad *Horas in* ℟. *br. additur duplex* Alleluia, *ut in Annualibus.*

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Per Octavam ritus eſt Semiduplex, & in die Octava Duplex 4. Claſſ.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Antiph. ℣. & ℟℟℟. ex Nocturno diei ſecundùm Rubricam pro feriâ occurrente.

Lectio j. & ij. de Scriptura occur. (ſecunda & tertia junctis in unam.)

Lectio iij. ut infrà pro quâlibet die.

Dominica intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à 1. Veſperis, cum commem. Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.

SECUNDA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Gregórii Nyſſéni Epíſcopi.

Orat. de S. Theodoro.

COnſideráte, hujus puri cultûs miniſtri ſtudioſi, quanta res ſit juſtus, quàmque multas conſequátur remunerationes: & cognito pietátis fructu, imitamini consílium, & aſpiráte ad animum & voluntátem eórum, qui ita præ cæteris honorántur. Cui regum talis honor habétur? quis eſt ex iis, qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubegérunt, adeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

TERTIA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Epiſtol. 22. ad Marcellinam ſororem.

GRátias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua ſancta præsídia majora desíderat. Agnóſcant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisivi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum, quò majóra, eò tutióra patrocínia ſunt. Horum étiam illis ipſis, qui mihi eos invident, opto præsídia. Veniant ergo, & vídeant ſtipatóres meos: tálibus me armis ambiri non nego. Nos etſi eos videre non poſſumus, ſentímus tamen.

QUARTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

DIcis in libello tuo, quòd dum vivimus, mutuò pro nobis orare póſſumus: poſtquam autem mortui fuérimus, nullíus ſit pro alio exaudiénda orátio. Si Apoſtoli & Mártyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt

oráre pro cæteris, quandò pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quantò magis poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis míllibus armatórũ ímpetrat à Deo véniam; & Stéphanus imitátor Dómini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Basílii Epíſcopi.

Orat. in 40. Martyres.

PArátum eſt hìc Chriſtiánis auxílium, videlicet exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angúſtiâ, ad hos confugit: qui rurſus lætátur, ad hos occúrrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro fíliis audítur; peregrinánti viro réditum incolumem, ægrotánti verò ſalútem implorat. O ſanctum chorum! ô ſacrum órdinem! ô cúneum inexpugnabilem! ò communes humáni géneris cuſtódes, óptimi curárum ſocii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentíſſimi, aſtra mundi, flores Eccleſiárum! vos non terra contéxit, ſed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo ſancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epiſt. 1. ad Cor. Cap. 32. 33.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeípſos aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos igitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocati, non per nos ipſos juſti effícimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus; ſed per fidem, per quam cunctos, qui unquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſabimus à bonis opéribus, & charitátem derelinquémus? neutiquam hoc à nobis fíeri permíttat Dóminus: ſed cum diligéntiâ & alacritate feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornati fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes itaque hoc exémplar, impigrè ad voluntátem ejus accedámus: ex totis víribus noſtris operémur opus juſtítiæ.

SEPTIMA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. I. in Epiſtol. Joan. n. 8.

JOannes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? ergo Epíſcopi vel Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scripturas, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres; ſed & vos oráte pro nobis: ínvicem pro ſe ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpéllet.

IN OCTAVA.

Duplex 4. Claſ.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Feſto omnium SS. Serm. 5. n. 3. 4. & 5.

ILlórum lauda virtútem, quorum jam certa victória eſt: illos devótis extolle præcóniis, quorum ſecúrè potes adgaudére corónis... Secúrè laudantur hómines, qui non ſuâ jam vivunt vitâ, ſed Dei.. Non enim eſt quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam, ínquies, glória Sanctis? ad quid ergo Sanctis laus noſtra? ad quid glorificátio noſtra? ad quid noſtra hæc ipſa ſolémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promiſſiónem honoríficat Pater cœléſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorsùs ita eſt, dilectíſſimi, honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ íntereſt, non ipsórum. Vultis ſcire quantùm íntereſt noſtrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne ſéntio deſidérium véhemens inflammári.. Quando & nos addémur aſ patres noſtros? quando eſſentiáliter præſentábimur eis? Hoc enim primum deſidérium, quod in nobis Sanctórum memória excitat, ut eórum tam optábili ſocietate fruámur.

Lectio v. n. 10.

UT eam glóriam nobis ſperáre líceat, & ad tantam beatitúdinem adſpiráre, ſummopere nobis deſideránda ſunt ſuffrágia Sanctórum: ut quod poſſibílitas noſtra non óbtinet, eórum nobis interceſſióne donetur. Miſeremini mei, miſerémini mei, ſaltem

m vos amíci mei. Noſtis
ɔerículum noſtrum : noſ-
gméntum noſtrum : noſ-
gnorántiam noſtram, &
ɔs adverſariórum : noſtis
ım ímpetus, & noſtram
ilitátem. Vobis enim lo-
r, qui in eâdem tenta-
ıe fuiſtis ; qui eóſdem
ɛráſtis conflíctus, eóſdem
ıeos evaſíſtis ; qui didi-
s ex his, quæ paſſi eſtis,
ıpaſſiónem.

Lectio vj. n. 10. 11.

Tſi de Angelis mihi ár-
bitror præſuméndum
ſpirituális ſubſtántiæ &
ionális formæ ſimilitúdi-
n ; amplióri tamen fidú-
ad eos mihi reor vertén-
n, quos habére me nó-
im & in ipſa humanitáte
ısórtes ; ut opórteat eos
ıiliáriùs & ſpeciáliùs mi-
ẽri oſſi de óſſibus meis, &
ni de carne mea. Abſit,
it à vobis, ánimæ ſanctæ,
;yptia illa crudélitas pin-
næ Pharaónis, qui in gra-
m príſtinum reſtitútus, ſta-
ı oblítus eſt Joſeph ſancti,
i in cárcere tenebátur.
ɔn enim erant unίus cápi-
membra, nec áliqua pars
éli cum infidéli, aut ulla
ıietas Iſraelítæ ad Ægyp-
m... Nos quoque ſi non
nus ipsíus cápitis mem-
a, cujus & Sancti, unde
tam ſolémnibus votis, &
ıto gratulámur affectu ?
ɛc ígitur noſtra & eórum
hærentia eſt, ut nos gra-
lémur eis, ipſi compatian-
tur nobis : nos devótâ me-
ditatióne regnémus in eis,
ipſi in nobis & pro nobis mí-
litent piâ intervent ióne.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſe-
cúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. v. 5.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habebit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi : Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. in Luc. n. 87.

ALius præcépti locus eſt, ut in ómnibus moméntis, non ſolùm diébus, ſed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amico ſuo poſtulans, & in ipſa petendi intentióne persiſtens, non defraudatur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum ? Quód ſi díligas Dóminum Deum tuũ, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum tradidit ? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat : Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem.

Lectio viij. n. 88. & 89.

ET ideò ſcriptórum mémores, nóctibus ac diébus orationi inſtántes, peccátis noſtris véniam poſtulémus. Nam ſi ille tam ſanctus, & qui regni erat neceſſitátibus occupátus, ſépties in die laudem Dómino dicébat, matutinis & veſpertínis ſacrificiis ſemper inténtus; quid nos facere opórtet, qui eò ámpliùs rogáre debémus, à quò frequéntiùs carnis & mentis fragilitáte delínquimus; ut de via laſſis, & iſtíus ævi curſu, ac vitæ hujus anfráctu gráviter fatigatis, panis refectiónis deéſſe non poſſit, qui hóminis corda confirmet? Nec ſolùm médiâ noct Dóminus, ſed ómnibus propè docet vigilándum eſſe moméntis: venit enim & veſpertínâ, & ſecúndâ, & tértiâ vigíliâ, & pulsáre conſuévit. Beáti itaque ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

Lectio ix. n. 89. & 90.

SI ergo desíderas ut virtus Dei præcíngat ſe, & miníſtret tibi, vigilándum eſt ſemper: multæ enim insídiæ ſunt bonis, & gravis córporis ſomnus; quia ſi dormíre mens cœperit, vigórem ſuæ virtútis amíttit. Excita ígitur ſomnum tuum, ut pulſes óſtium Chriſti. Quod aperíri ſibi étiam Paulus expóſcit, non ſolùm ſuis, ſed étiam pópuli oratiónibus óbſecrans ſe juvári, ut aperiátur óſtium ſibi ad loquéndum myſtérium Chriſti.... Ergo præceptívus locus frequénter orándi, ſpes impetrándi, rátio perſuadéndi; priùs in præcépto, poſt in exémplo. Qui enim promíttit áliquid, ſpem debet afférre promíſſi; ut mónitis obediéntia deferátur, promíſſis fides.

IN SOLEMNITATE
VEL
ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Dupl. 1. Claſſ. SOLEMNE-*MAJUS*.

AD I. VESPERAS.

Ut ſibi inter homines domus ædificetur, tandem probat Altiſſimus.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 5. F. MAgnus eſt Deus noſter ſuper omnes deos. Quis ergo póterit prævalére, ut ædíficet ei dignam domum? 2. *Par.* 2. 5. 6.

Ant. t. 6. f. Si cœlum, & cœli cœlórum cápere eum néqueunt; quantus ego ſum ut poſſim ædificáre ei domũ? 2. *Par.* 2. 6.

Ant. t. 4. a. Opus námque grande eſt, neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. 1 *Par.* 29. 1.

Ant. t. 3. B. O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſiónis ejus! *Baruch.* 3. 24.

Ant. t. 6. F. Ergone credíbile eſt, ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? 2. *Par.* 6. 18.

Capitulum. Aggæi. 1. 7. 8.

HÆc dicit Dominus exercítuum; Pónite corda veſtra ſuper vias veſtras: aſcéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor.

℟. Non manſi in domo uſque ad diem hanc, dicit Dóminus: ſed fui ſemper in tentório, manens cum omni Iſrael. * Nunc dedi locum pópulo meo, plantábitur, & habitábit in eo, & ultrà non commovébitur. ℣. Tabernáculum teſtimónii fuit cum pátribus noſtris in deſérto uſque in diébus David: Sálomon autem ædificávit domum. * Nunc dedi. Glória. * Nunc. 1. *Par.* 17. 5. 6. 9. *Act.* 7. 44. 45. 47.

HYMNUS.

SIſte, qui ſanctam própe-
ras ad ædem;
Myſtico poſtquam ſacra
facta ritu

Scis Dei quòd ſit domus, & Tonántis
Altera ſedes ?
Cujus in cœlo thronus eſt perénnis,
Parva vult terris habitáre tecta :
Incapax claudi, latet hoſpes arcto
Clauſus in orbe.
Non malos ultor venit inter ignes;
Non nigræ nimbo tonat è procéllæ :
Nec minùs credas plácido verénda
Númine templa.
Quid vetus fluxit cruor hoſtiárum ?
Príſtinæ ceſſent holocáuſta legis :
Aſtat hîc aris, ſimul & Sacérdos,
Hóſtia Chriſtus.
Flectit & curvus Séraphim ſub alis,
Dum Deo libans Deus immolátur :
Seque, poſt funus ſíbimet ſupérſtes,
Præbet in eſcam.
Quid venis audax ? procul hinc profánus;
Sancta ni fletûs lavet unda crimen!
Munda quàm multis jubet eſſe mundum
Vócibus ædes!
Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre;
Et pluant pingues reſolúta lætis
Núbibus imbres. Amen.

℣. Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion. ℟. Deus in dómibus ejus cognoſcétur. *Pſ.* 47. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *F.* Sint óculi tui, Dómine, apérti ſuper domum hanc nocte ac die; ſuper domum, de quâ dixíſti : Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hodie & per Octavam.

HYMNUS.

Hoc in templo, ſumme Deus,
Exorátus ádveni;
Et cleménti bonitáte
Precum vota ſúſcipe :
Largam benedictionem
Hîc infúnde júgiter.
Hîc promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta poſſidére,
Cum ſanctis perénniter
Paradíſum introíre,
Tranſláti in réquiem.
Sit perénnis laus Paréntis
Sit perénnis Fílio :
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens
Viva templa cónſecrat.
Amen.

Ad Nunc dimitt. *Ant. t.* 5. *a.* Qui ſtatis in domo Dómini, allelúia, in nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, allelúia. *Pſ.* 133. 1. 2.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum in templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus, *Habac.* 2. 20.

IN I. NOCTURNO.

In domum ſibi templum conſecrat Dominus.

In Pſalm. 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine, *pag.* 109.

Ant. t. 5. *a.* Implébo domum iſtam glóriâ, & in loco iſto dabo pacem. *Aggæi.* 2. 8. 10.

In Pſalm. 23. Dómini eſt terra & plenitúdo ejus, *pag.* 127.

Ant. t. 2. *D.* Dabo ſanctificatiónem meam in médio eórum, & erit tabernáculum meum in eis. *Ezech.* 37. 26. 27.

In Pſalm. 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ, *pag.* 84.

Ant. t. 7. *D.* Glória Líbani véniet ad ornándum locum ſanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificábo. *Iſ.* 60. 13.

℣. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi; ℟. In domum Dómini íbimus. *Pſ.* 121. 1.

De libro ſecúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 6.

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocáuſta & víctimas: & majéſtas Dómini implévit domum. Nec póterant ſacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Iſrael vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: & corruéntes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. Rex autem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérſus pópulus.

℟. 1. Ecce glória Dei Iſrael ingrediebátur per viam orientálem. Et majéſtas Dómini ingréſſa eſt templum, * Et dixit ad me: Fili hóminis, locus sólii mei, & locus veſtigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Iſrael in ætérnum. ℣. Implétum eſt templum fumo à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus. * Et dixit. *Ezech.* 43. 2. 4. 7. *Apoc.* 15. 8.

Lectio ij. v. 6. *ad* 10.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus; hymnos David canéntes per manus ſuas. Porrò ſacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque

Iſrael ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáuſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat ſuſtinére holocáuſta & ſacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus; & omnis Iſrael cum eo; eccléſia magna valde, ab intróitu Emath uſque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectã, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem diébus, & ſolemnitátem celebráſſet diébus ſeptem.

℟. 2. In templo hoc ponã nomẽ meũ in ſẽpitérnũ: & ultrà non fáciam commovéri pedem Iſrael, * Si tamen cuſtodíerint ópera ómnia quæ præcépi eis. ℣. Sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. * Si tamen. 4. *Reg.* 21. 7. 8. 2. *Cor.* 6. 16.

Lectio iij. v. 11. *ad* 17.

COmplevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ diſpóſuerat in corde ſuo, ut fáceret in domo Domini, & in domo ſuâ; & proſperátus eſt. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. Si cláuſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locúſtæ, ut dévoret terram; & míſero peſtiléntiam in pópulum meum: convérſus autem pópulus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis péſſimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. Elégi enim, & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. 3. Elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. * Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet: ubi enim ſunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi ſum. * Oculi. Glória. * Oculi. 2. *Paral.* 7. 12. 15. *Matth.* 18. 19. 20.

IN II. NOCTURNO.

Quàm verenda domus Deo conſecrata.

In Pſalm. 28. Afférte Dómino, fílii Dei, *pag.* 5.

Ant. t. 1. *A.* Tu, Dómine, elegíſti domum iſtam, ut eſſet domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.

In Pſalm. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *pag.* 86.

Ant. t. 2. *d.* Stábimus coram domo hâc in conſpéctu tuo; & clamabimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exáudies. 2. *Paral.* 20. 9.

In Pſalm. 47. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, *pag.* 87.

Ant. t. 4. *E.* Sciant omnes pópuli, quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc. 2. *Paral.* 6. 33.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus, ℟. Deus in médio ejus. *Pſal.* 45. 5. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Dedic. Serm. I. n. I.

FEſtívitas hodíerna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam cæteras quidem Sanctórum ſolemnitátes cum Eccléſiis áliis habémus commúnes: hæc verò ſic nobis eſt própria, ut necéſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Noſtra eſt, quia de Eccléſiâ noſtrâ; magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórtitan, & erubéſcitis celebrári feſta de vobis; ſed nolite fíeri ſicut equus & mulus quibus non eſt intelléctus. Quid enim lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti Spíritûs ſunt; ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis; ſancta ſunt córpora propter ánimas; ſancta eſt étiam propter córpora domus.

℟. 4. Réſpice, Sion, civitátem ſolemnitátis noſtræ Jerúſalem: * Tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia ſolúmmodo ibi magníficus eſt Dóminus noſter. ℣. Domus Dei eſt Eccléſia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. * Tabernáculum. *Iſ.* 33. 20. 21. I. *Tim.* 3 15.

Lectio v. n. 3. & 4.

QUando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſine dúbio factum eſt; in nobis proínde ſpirituáliter impléri neceſſe eſt, quæ in pariétibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt; Aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, & benedíctio. Hæc quidem in hâc visibili domo fecére Pontífices; hæc Chriſtus aſsiſtens Póntifex futurórum bonórum inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò ſiquidem nos aſpérgit hyſſopo, ut mundemur, lavémur, dealbémur; .. Lavat, inquam, nos in con-

feſſióne; lavat nos lacrymárum imbre; lavat ſudóribus pœniténtiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretiosíſſimâ quæ de fonte pietátis, id eſt, ab ejus látere, emanavit... Non ſolum autem, ſed inſcríbit dígito Dei, in quo ejiciébat dæmónia; haud dúbium quin in Spíritu ſancto. Inſcríbit, inquam, legem ſuam, non jam in lápide, ſed in tábulis cordis carnálibus, prophéticam implens promiſſiónem, quâ ſe pollícitus eſt ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor eſſe datúrum; id eſt, non durum, non obſtinátum, non judáïcum; ſed pium, ſed manſuétum, ſed tractábile, ſed devótum.

℟. 5. Verè Dóminus eſt in loco iſto. * Quàm terríbilis eſt locus iſte! non eſt hic áliud, niſi domus Dei, & porta cœli. ℣. Audívi vocem magnam dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. * Quàm terríbilis. *Gen.* 28. 16. 17. *Apoc.* 21. 3.

Lectio vj. n. 5. *& 6.*

UNde neceſſe eſt ut únctio ſpirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem noſtram, obſervantiárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis ſuæ grátiâ líniens; quia nec eſt ſine cruce ſequi Chriſtum, nec ſine unctióne crucis aſperitátem ferre quis poſſet? Hinc eſt quòd multi fúgiunt pœniténtiam; crucem quidem vidéntes, ſed non unctiónem. Vos, qui expérti eſtis, ecce ſcitis quia verè crux noſtra inúncta eſt, & per grátiam Spíritûs adjuvántis, ſuávis & delectábilis eſt pœniténtia noſtra, &, ut ita dicam, amaritúdo noſtra dulcíſſima... Jam verò benedictiónem quidem expectámus in fine, quando apériet manum ſuam, & implébit omne ánimal benedictióne: nam in quátuor præmíſſis mérita conſtant; in benedictióne ſunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia ſanctificatiónis, quando jam in domum tranſíbimus non manufáctâ, ætérnam in cœlis. Ipſa eſt quæ conſtrúitur vivis ex lapídibus, Angelis ſcílicet & homínibus. Simul enim ædificátio, & dedicátio ipſa complébitur.

℟. 6. Exaltáte Dóminum Deum noſtrum, & adoráte ſcabéllum pedum ejus, quóniam ſanctum eſt. * Adoráte in monte ſancto ejus: † Quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter. ℣. Veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte: nam & Pater tales quærit qui adórent eum. * Adoráte. Glória. † Quóniã. *Pſ.* 98. 5. 9. *Joan.* 4. 23.

IN III. NOCTURNO.

Ab omni irreverentiâ cave in domo Dei.

In Pſalm. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, *pag.* 54.

Ant. t. 7. *C.* Solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod.* 3. 5.

In Pſalm. 83. Quàm dilecta tabernácula tua, *pag.* 88.

Ant. t. 3. *a.* Ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum pércutit, ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39.

In Pſalm. 86. Fundaménta ejus in montibus ſanctis, *pag.* 89.

Ant. t. 2. *D.* Cadat virtus eórum in iracúndiâ tuâ, Dómine, qui promíttunt ſe violáre ſancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui. *Judith.* 9. 11.

℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum ℟. In timóre tuo. *Pſ.* 5. 8.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 11. *ad* 19.

IN illo témpore; Introívit Jeſus Jeroſólymam in templum: & circumſpéctis ómnibus, cùm jam veſpera eſſet hora, éxiit in Bethániam cum duódecim. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

In Pſalm. 28. n. 3.

NEceſſária eſt adorátio, non ea quæ fit extra Eccléſiam, ſed quæ in ipsâ Dei aulâ perfícitur. Ne mihi privátas aulas, aut Eccléſias excogitétis. Una eſt aula ſancta Dei. Synagoga Judæorum prius aula erat: ſed poſt admiſſum in Chriſtum peccátum, facta eſt habitátio eórum desérta. Quaprópter & Dóminus: Et álias oves hábeo quæ non ſunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex géntibus ad ſalútem præordináti ſunt, aulam própriam præter Judæórum aulam oſténdit. Non ígitur extra ſanctam hanc aulam adoráre opórtet, ſed intra ipſam... Intérſunt multi in hábitu quidem precatiónis; nec ſunt tamen in aula ob mentis evagatiónem, & ánimi eórum aberrratiónem, ex vanis ac inutílibus curis naſcéntem.. Qui ventrem, aut glóriam, aut argéntum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus pluris æſtimat, Deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula ſancta eſt, etiámſi videátur eſſe dignus qui ad ſenſíbiles convéntus admittátur.

℟. 7. Audíte, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum: * Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, purificáte corda. * Bonas fácite. *Jerem.* 7. 2. 3. *Jacob.* 4. 8.

Lectio viij. n. 7.

IN templo adſtant ſancti Angeli: adeſt Dóminus, qui ánimum ingrediéntium

intuétur. Preces uniuſcujúſque manifeſtæ Deo ſunt, quis ex affectu, quis ſcitè exquírat cœléſtia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúntiet; cor verò ipſíus procul à Deo ſit. Quòd ſi orat; carnis ſanitátem, opéſque corpóreas, & humánam glóriam efflágitat. Horum autem nihil ſic peténdum eſt, ut Scriptúra docet: Sed in templo ejus unuſquíſque dicit glóriam.. Creatúra omnis tum ſilens, tum loquens, tum cœleſtis, tum terréna dat glóriam Conditóri. Miſerábiles verò hómines, poſtquam, ædibus ſuis relíctis, ad templum concurrérunt, quaſi quídpiam conſecutúri emoluménti; tamen Dei verbis aures non præbent; ſuam ipsórum natúram non ſéntiunt: præoccupáti peccáto non affligúntur: non mœrent, dum reminiſcúntur peccatórum: non timent judícium; ſed arridentes, & inter ſe jungéntes dextras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. 8. Qui adhærent Dómino, ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ: * Quia domus mea, domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. ℣. Nolíte fácere domum Patris mei, domū negotiatiónis. * Quia domus. *Iſ.* 56. 6. 7. *Joan.* 2. 16.

Lectio ix. n. 7.

CAve ne quando ábeas cum iis qui ímpia & contumelióſa verba in Dei nomen évomunt, condemnátus, cùm debuíſſes mercédem pro rerum divinárum celebratióne recípere. Habes Pſalmum, habes Prophetíā, præcépta Evangélica, Apoſtolórum prædicatiónes. Lingua pſallat, mens, eórum quæ dicta ſunt, ſcrutétur intelligéntiam; ut pſallas ſpíritu, pſallas item & mente. Deus enim mínimè índiget glóriā: ſed te vult eſſe dignū, qui glóriam conſequáre. Hæc à nobis dicta ſunt, quòd ſunt qui loquéndi finem in Dei templo numquam fáciant, ac inutíliter ingrediántur. Utinam inutíliter non cum detriménto!

℟. 9. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluíſti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis. * Et nunc, ſancte ſanctórum Dómine, † Consérva in ætérnum impollútam domum iſtam. ℣. Si quis templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus: templum enim Dei ſanctum eſt. * Et nunc. Gloria. † Consérva. 2. *Mach.* 14. 35. 36. 1. *Cor.* 3. 17.

Te Deum.

AD LAUDES.

Si domus Dei eſt templum ex lapidibus conſtructum, & nos ipſi Dei ſumus domus ſpiritualis.

℣. *Sacerdot.* Cantáte Dómino cánticum novum :

℟. Laus ejus in Eccléſiâ Sanctórum. *Pſ.* 149. 1.

Pſalmi de Dominicâ.

Ant. t. 3. *A.* QUàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Iſrael! ut tabernácula quæ fixit Dóminus. *Num.* 24. 5. 6.

Ant. t. 4. *E.* Chriſti domus ſumus nos, ſi fidúciam, & glóriam ſpei uſque ad finem, firmam retineámus. *Heb.* 3. 6.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum accedéntes lápidem vivum; & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális. 1. *Pet.* 2. 4. 5.

Ant. t. 5. *a.* Omnis.

CANTICUM *Tobiæ* 13.

v. 11. 13. *ad finem.*

JErúſalem cívitas Dei, luce ſplendidâ fulgébis; * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient; & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum; * & terram tuam in ſanctificatiónem habébunt;

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent ſuper pace tuâ.

Anima mea, bénedic Dóminum; * quóniam liberávit Jeruſalem civitátem ſuam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noſter.

Beátus ero ſi fúerint relíquiæ ſeminis mei, * ad vidéndam claritátem Jeruſalem.

Portæ Jerúſalem ex ſapphíro & ſmarágdo ædificabúntur; * & ex lápide pretióſo omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo ómnes platéæ ejus ſternéntur; * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam; * & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

Glória Patri, &c.

Ant. t. 5. *a.* Omnis ædificátio conſtrúcta in Chriſto Jeſu creſcit in templum ſanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in ſpíritu. *Eph.* 2. 21. 22.

Ant. t. 1. *d.* Meménto, Dómine, teſtaménti tui, ut domus tua in ſanctificatióne tuâ permáneat. *Judith.* 9. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 6. 19. 20.

AN neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

℣. Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Pſalm.* 92. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Habéntes fidúciam in intróitu ſanctórum in ſánguine Chriſti, accedámus cum vero corde, aſpérſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ. *Hebr.* 10. 19. 22.

O R A T I O

In die Dedicationis.

DEus, qui inviſibíliter ómnia continens, pro ſalúte generis humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibiliter oſtendis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illúſtra, & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ beneficia conſequántur; Per, &c.

O R A T I O

In Anniverſario Dedicat.

DEus, qui nobis per ſíngulos annos hujus ſancti templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſéntas incólumes; exáudi preces pópuli tui; & præſta ut quiſquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetráſſe lætétur; Per, &c.

A D H O R A S.

Ant. de Laudibus.

Pſalmi de Dominicâ.

A D P R I M A M.

Ant. Quàm pulchra.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui magníficas in nobis locum tuum, & templum. 2. *Mach.* 3. 30.

C A N O N

Ex Concílio Coloniénſi primo. *An.* 1536. *part.* 9. *Canon* 13.

SIgnat templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Eccléſiæ cum Chriſto deſponſatiónem. Quámobrem, niſi ómnia quæ in hujuſcémodi conſecratióne extériùs agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur; parùm hinc fructûs nobis accéſſerit.

A D T E R T I A M.

Ant. Chriſti domus.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 16.

VOs eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus; quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicentes: Templũ Dómini eſt. * Quóniam † Si bene direxéritis vias veſtras, & ſtúdia veſtra, habitábo vobíſcum. ℣. Dei ædificátio eſtis; unuſquíſque autem vídeat quómodo ſuperædíficet. * Quóniam. Glória. † Si bene. *Jerem.* 7. 4.

5. 7. 1. *Corinth.* 3. 9. 10.

℣. Quis ſtabit in loco ſancto ejus ? ℟. Innocens mánibus & mundo corde, allelúia. *Pſ.* 23. 3. 4.

Per Octavam. ℟. *br.* Sanctum eſt templum tuum. * Allelúia, allelúia. Sanctum eſt. ℣. Mirábile in æquitáte.* Allelúia. Glória. Sanctum eſt. *Pſ.* 64. 5. 6.

℣. Confitébor tibi in ſæculum ℟. In conſpéctu ſanctórum tuórum, allelúia. *Pſ.* 51. 11.

AD SEXTAM.

Ant. Ad Dóminum.

Capitulum. Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúſalem.

℟. *br.* Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * Allelúia, allelúia. Beátus. ℣. Inhabitábit in átriis tuis. * Allelúia. Glória. Beátus. *Pſ.* 64. 5.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tuâ, Dómine; ℟. In ſæcula ſæculórum laudábunt te, allelúia. *Pſ.* 83. 5.

AD NONAM.

Ant. Meménto.

Capitulum. Soph. 1. 9.

VIſitábo ſuper omnem qui arrogánter ingréditur ſuper limen in die illâ: qui complent domum Dómini Dei ſui iniquitáte & dolo.

℟. *br.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Qui ingréditur ſine mácula. * Allelúia. Glória. Dómine. *Pſ.* 14. 1. 2.

℣. Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimã meam: ℟. Quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, allelúia. *Pſ.* 41. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex domo Dei viſibili in terris, ad civitatem Dei inviſibilem in cœlis aſſurgendum.

Ant. t. 3. *A.* Acceſsíſtis.

In Pſalm. 121. Lætátus ſum in his quæ dicta, *pag.* 100.

Ant. Acceſsíſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jerúſalem cœléſtem. *Hebr.* 12. 22.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus.

In Pſalm. 126. Niſi Dóminus ædificáverit, *pag.* 47.

Ant. Dóminus Deus omnípotens templum illíus eſt, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

Ant. t. 4. *E.* Civitas.

In Pſalm. 131. Meménto, Dómine, David, *pag.* 100.

Ant. Cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illumináuit eam, & lucérna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Ant. t. 5. *a.* Non intrábit.

In Pſalm. 137. Confitébor tibi, quóniam audíſti, *pag.* 101.

Ant. Non intrábit in eam

áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.

Ant. t. 1. *irr.* Beáti.

In Pſalm. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *pag.* 83.

Ant. Beáti qui lavant ſtolas ſuas, ut per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 1.

SCimus, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis.

H Y M N U S.

O Domus cœlis ópibus ſecúnda!
Dives en plenis mánibus ſcatúrit
Fons tibi Chriſtus, váriis & undans
Grátia rivis.

Hîc ſacri mundant látices, ab ortu
Inditam primi máculam reátus:
Hîc & infúſo nova conſecrántur
Chríſmate membra.

Se dat in menſa cibus Angelórum;
Quem fames æris ſatiánda ſiſtit,
Gaudet hîc ſacro reparáre vires
Lætus ab eſu.

Ore divínum ſitiénte verbum
Sugit hîc infans, cúpidus docéri:
Lac datur parvo, ſólidâque fortis
Páſcitur eſcâ.

Hîc ſalus cunctis ſua conſtat ægris:
Hîc ſacros Numen ſua per miníſtros
Jura dum laxat, redivíva pellit
Grátia culpam.

Hîc ruens prompti cohibére fulmen
Stant ab advérſo, Dominúmque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre,
Et pluant pingues reſolúta lactis
Núbibus imbres.
Amen.

℣. Quàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum!
℟. Concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſalm.* 83. 2. 3.

Ad Magn. Ant. t. 5. *F.* In hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. 2. *Cor.* 5. 2. 3.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. ut in die Feſti.

Pſalmi de Feriâ occurrente.

Tres Antiphonæ ℣. & ℟℟℟. ex uno ex Nocturnis Feſti juxta Rubricam: Duæ primæ Lectiones ex Scripturâ occurrente. Tertia ut habetur infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. Prima de Laudibus, Pſalmi de Feria. Canticum ut in die. Cætera ut in Laudibus Feſti.

AD HORAS breves Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ ut in die. Reliqua ut in Feſto præter Canonem.

AD VESPERAS.

Antiph. prima de II. Veſperis; Pſalmi de Feriâ: reliqua ut in II. Veſperis diei. Completorium, ut ſuprà.

SECUNDA DIE INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lectio iij.

Serm. 356. in Dedicat. Eccl. c. 1. aliàs de tempore. 256.

CElébritas hujus congregatiónis, Dedicátio eſt domûs oratiónis. Domus ergo noſtrárum oratiónum, iſta eſt; domus Dei, nos ipſi. Si domus Dei, ons ipſi, nos in hoc ſæculo ædificámur, ut in fine ſæculi dedicémur. Ædificium, immò ædificátio habet labórem, Dedicátio exultatióné. Quod hîc fiébat, quando iſta ſurgébant; hoc fit modò, cùm congregántur credentes in Chriſtum. Credéndo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm verò catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, niſi quando charitáte compaginántur.

TERTIA DIE.

De Sermóne ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iij.

Unde ſuprà. c. 6.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccléſiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini dedicámus; invenímus à nobis debéri, & Deo noſtro máximâ laudem, & ſanctitáti veſtræ cóngruum de divínæ domûs ædificatióne ſermónem. Tunc autem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum, Deo vos intériùs ædificánte, proficiat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in parietibus, ſpirituáliter fiat in méntibus; & quod hîc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte gratiâ Dei, perficiátur in corpóribus veſtris. Principáliter ergo grátias agámus Dómino Deo noſtro, à quo eſt omne datum óptimum,

& omne donum perfectum; quóniam ad conſtruéndam iſtam domum orationis fidélium ſuorum viſitávit ánimum, excitávit affectum, ſurrogávit auxílium... Adhuc ámpliùs agéndæ ſunt grátiæ Deo noſtro. Hanc enim Eccléſiam, quam fecit nómini ſuo cónſtrui, fecit étiã ſanctorum Mártyrum relíquiis ámpliùs honorári.

QUARTA DIE.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio iij.

Homil. 33. *in Matth.*

COmmúnis ómnium domus eſt Eccléſia, in quã vobis priùs ingréſſis, nos intrámus, diſcipulórum formam retinéntes: ideòque commúniter ómnibus, ſtatim atque ingréſſi fuérimus, pacem offérimus. Nemo ígitur ſocórdiâ tórpeat, nemo ſæculáribus rebus ſuſpénſum ánimum hábeat, cùm jam ad prædicándum Sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem míllies pótius malim in domum alicújus veſtrûm ingréſſus deſtítui, quam hic prædicans non audíri. Hoc mihi moléſtius eſſet quàm illud; quandoquidem hæc magis própriè domus noſtra eſt, quàm illa. Hîc magnæ illæ noſtræ opes póſitæ ſunt, hîc ſpes noſtra omnis. Quid enim hoc loco non magnum eſt, & admirándum? Nam hæc menſa longè pretióſior eſt, atque jucundior; & lucérna hæc quàm illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, à morbis liberáti ſunt. Arca étiam hæc multò mélior, magíſque neceſſária: non enim veſtes, ſed miſericórdiam inclúſam cóntinet.

QUINTA DIE.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Lectio iij.

Homil. 1. *in* Vidi Dóminum.

NUlla res tantùm affert gáudii vitæ noſtræ, quantùm hoc, quòd ex ánimo gaudeátis in Eccléſia congregári. In Eccléſia, gaudéntium conſervátur gaudium. In Eccléſia, ánimo dejectórum eſt recreátio. In Eccléſia, doléntium eſt volúptas. In Eccléſia, defatigatorum reſpirátio. In Eccleſia, laborántiũ réquies. Veníte enim, inquit, ad me omnes, qui laborátis & oneráti eſtis; & ego reficiam vos. Quid hâc voce poſſit eſſe deſiderabílius? Quid hâc invitatióne jucundius? Ad épulum te vocat, qui in Eccleſiam te vocat Dóminus. Ad réquiem pro labóribus adhoratur, ad relaxatiónem à moleſtiis transfert, pondus peccatórum állevans; delíciis, animi moleſtiam; gáudio, mœrórem ſanat. O ineffábilem curam! O vocatiónem cœléſtem!

SEXTA DIE.

Sermo S. Cæſárii Epíſcopi.

Lectio iij.

Serm. 229. qui eſt in Dedicat. Eccleſiæ.

QUotiescúmque, fratres chariſſimi, altáris vel templi feſtivitátem cólimus, ſi fidéliter ac diligénter atténdimus, & ſanctè ac juſtè vívimus; quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis ſpirituáli ædificatióne complétur; non enim mentítus eſt ille qui dixit: Templum Dei ſanctũ eſt, quod eſtis vos; & íterum: Neſcítis quia córpora veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti? Quia verò nullis præcedéntibus méritis, ſed per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei; quantùm póſſumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noſter in templo ſuo, hoc eſt in nobis ipſis, invéniat quod óculos ſuæ majeſtátis offéndat: ſed habitáculum cordis noſtri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur; claudátur diábolo, & aperiátur Chriſto.

SEPTIMA DIE.

Sermo ſancti Cæſárii Epíſcopi.

Lectio iij. Serm. 230.

QUia, fratres, habitáre desíderat in nobis Deus; cum ipsíus adjutório ita cor noſtrũ ſtudeámus bonis ſemper cogitatiónibus occupáre, & córpora noſtra ab omni ſorde luxúriæ munda cuſtodíre, ut Deum in nobis delécter habitáre. In templo enim à Salomóne ædificato légimus duo altária fuiſſe conſtitúta, unum foris, áliud intùs; in illo quod foris erat, animálium celebrabátur ſacrifícium; in illo verò quod intùs erat, thymiámatis offerebátur incénſum. Videámus ergo ne fortè in nobis duo ſint altária conſtitúta; córporis ſcílicet, & cordis noſtri. Dénique duplex à nobis ſacrifícium quærit Deus; unum, ut ſimus caſto córpore; áliud, ut mundo corde eſſe debeámus.

VESPERÆ de die Octava, ut in I. Veſperis Feſti.

OCTAVA DEDICATIONIS

Ritu Dupl. 3. Claſſis.

Omnia ut in die præter ea quæ ſequuntur.

Pſalmi de Feriâ in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. In Pſalm. 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis. Cívitas quædam in hoc Pſalmo cantátur, & commendátur; cujus cives ſumus, in quantùm Chriſtiani ſumus; & unde peregrinámur quámdiu mortáles ſumus, & ad quam téndimus.. Ambulántes ergo in Chriſto, & adhuc peregrinántes, donec perveniámus, & ſuſpirántes desidério cu-

júſdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illa civitáte; ſic cantémus ut deſiderémus. Dedicábitur domus aliquando, quæ nunc fabricátur: modò enim fabricátur domus, id eſt Eccléſia; póſtea dedicábitur. In dedicatióne apparébit glória pópuli Chriſtiáni, quæ modò latet. Tamen, fratres, ántequam véniat dies dedicatiónis domûs, videámus quia jam dedicátum eſt caput noſtrum: jam facta eſt dedicátio domûs in cápite, tamquam dedicátio fundaménti.

Lectio v.

in Pſalm. 121. *num.* 4.

FUndaméntum quando pónitur in terra, déſuper ædificántur paríetes, & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo pólitum eſt fundaméntum. Si autem fundaméntum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt iſtam ſtructúram, quam vidétis amplam ſurrexíſſe hujus basílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo poſuérunt. Quia verò ſpirituáliter ædificámur, fundaméntum noſtrum in ſummo pólitum eſt. Illuc ergo currámus ubi ædificémur; quia de ipſa Jeruſalem dictum eſt: ſtantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem.

Lectio vj.

Serm. 337. *de Ded. Eccl. C.* 1.

ITaque ſicut hoc ædificiū viſíbile factum eſt nobis corporaliter congregándis; ita illud ædifícium, quod nos ipſi ſumus, Deo ſpirituáliter habitatúro conſtrúitur: Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit Apóſtolus, quod eſtis vos. Sicut hoc terrénis mólibus conſtrúimus; ſic illud bene compóſitis móribus erigámus. Hoc enim nunc viſitántibus nobis, illud in fine ſæculi, Dómino veniente, dedicábitur; quando corruptíbile hoc noſtrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc noſtrum índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis noſtræ conformábit córpori glóriæ ſuæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 22.

IN illo témpore: Facta ſunt Encænia in Jeroſolymis; & Hyems erat; & ambulabat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. Et reliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expoſit. in Evang. Joan.

ENcænia vocabátur ſolémnitas dedicatiónis templi, quam pópulus Dei ex antíqua Patrum traditióne per annos síngulos celebrare conſuéverat. Sed notandum eſt quòd hæc Encænia, quæ hic legúntur, non

ad primam templi dedicationem, ſed ad últimam pertinent: quod ex eo fácilè collígitur, quia Hyeme facta referúntur. Prima síquidem ejúſdem templi dedicátio à Salomóne témpore Autúmni; ſecúnda autem à Zoróbabel & Jeſu Sacerdóte témpore Veris; tertia à Juda Machabæo témpore Hyemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut éadem dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ incarnatiónis obſerváta fuit, ficut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári modérno témpore dignóſcitur.

Lectio viij.

ET ambulábat Jeſus in pórticu Salomónis. Si Dei Fílius ambuláre vóluit in templo in quo caro & ſanguis brutórum animálium offerebátur; multò magis noſtram oratiónis domum, ubi carnis ipsíus ac sánguinis ſacramenta celebrántur, viſitáre gaudébit. Si perambuláre non deſpéxit pórticum, in quo rex quondam mortális ac terrénus, quamvis potentíſſimus ac ſapientíſſimus, ad orándum ſtare ſolébat; quantò magis penetrália córdium noſtrórum invíſere atque illuſtráre desíderat; ſi tamen ea pórticum eſſe Salomónis, hoc eſt, ſi ea timórem ſuum, qui eſt inítium ſapiéntiæ, habére perſpéxerit?

Lectio ix.

NEque enim putándum eſt, quia domus ſolúmmodo in qua ad orándum, vel ad myſtéria celebránda convenímus, templum ſit Dómini; & non ipſi qui in nómine Dómini convenímus, multò ámpliùs templum ejus appellémur & ſimus; cùm maniféſtè dicat Apóſtolus; Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, Inhabitábo in eis, & inter illos ambulábo.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, à Dominica in albis depoſitis ad Aſcenſionem Domini; & niſi occurrat Feſtum Dupl. vel Semid. ſit Officium de Beata, ut infrà.

AD VESPERAS FERIÆ SEXTÆ.

Si Feria 6. factum ſit Officium de Dupl. fiet tantùm commemoratio de Beata, ſub Ant. ad Magnif. ℣. *& Oras. ſequent.... ſi Feria dicta 6. factum ſit Officium de Semid. Veſperæ erunt de Beata, cum commemoratione de Semid. ſit etiam commemoratio de Simpl.*

Pſalmi de Feria.

Ant. 1. 1. *irr.* BEnedícta es tu, fília, à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram, allelúia. *Judith.* 13. 23.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuū.

H Y M N U S.

AVe, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta:

Sumens illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

Virgo ſinguláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.

Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jeſum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,

Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo, allelúia. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Deus oſtendet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt, allelúia. *Baruch.* 5. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Compl. *ut in Pſalt. Ad fin. Hym.*

Qui natus es de Vírgine
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Matth.* 1. 16.

Tres Pſalmi de Feria ſub tribus Antiphonis ſequentibus.

Ant. t. 1. *A.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te, allelúia. *Iſ.* 62. 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* In ómnia ſæcula ſæculórum luce ſpléndidâ fulgébis, allelúia. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. t. 8. *g.* In te benedicéntur univérſæ cognatiónes terræ, allelúia. *Geneſ.* 12. 3.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei, allelúia. *Pſ.* 86. 3.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia erit una ex inferiùs poſitis ſecundùm menſem, niſi in Sabbato fiat de Vigilia habente Evangelium: tunc enim tertia Lectio erit de Homilia.

℟. 1. Tu glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri, confortátum eſt cor tuum, * Eò quòd caſtitátem amáveris, & ideò eris benedícta in ætérnum, allelúia. ℣. María, inveníſti grátiam apud Deum; * Eò quòd. *Judith.* 15. 10. 11. *Luc.* 1. 30.

℟. 2. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórũ noſtrórum; allelúia. ℣. Beata, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino: * Qui te. *Judith.* 13. 24. *Luc.* 1. 45.

℟. 3. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, * Propter anguſtias géneris tui, ſubveníſti ruínæ ante conſpéctum Dei noſtri. ✝ Allelúia.

℣. Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. * Propter. Glória Patri. ✝ Allelúia. *Judith.* 13. 25. *Luc.* 1. 31.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; ℟. Terra dedit fructum ſuum, allelúia. *Pſalm.* 66. 6. 7.

Ant. t. 1. A. AVe, grátiâ plena: Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus, allelúia. *Luc.* 1. 28.

Ant. t. 3. a. Tota pulchra es, & mácula non eſt in te, allelúia. *Cant.* 4. 7.

Ant. t. 5. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas, allelúia. *Prov.* 31. 29.

Ant. t. 7. a. In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael, allelúia. *Judith.* 13. 31.

Ant. t. 6. f. Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt, allelúia. *Iſ.* 60. 1.

Capitulum. Iſ. 7. 13. 14.

AUdíte, domus David: Dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram, allelúia. *Pſ.* 45. 9.

Ad Bened. *Ant. t. 1. D.* Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ ſuxiſti, allelúia. *Luc.* 11. 27.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ, & ætérna pérfrui lætítia; Per, &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maríâ Vírgine, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

℟. *br.* Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. * Allelúia, allelúia. Diffúſa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. * Allelúia, allelúia Glória. Diffúſa. *Pſalm.* 44. 3.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ℟. Inténde, próſperè procéde, & regna, allelúia. *Pſ.* 44. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit re-

gnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum deprecabúntur. * Allelúia, allelúia. Vultum.

℣. Omnes dívites plebis, * Allelúia, allelúia. Glória. Vultum. *Pſalm.* 44. 13.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, allelúia. *Pſ.* 44. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 12. 5.

MUlier péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes; & raptus eſt Fílius ejus ad Deũ, & ad thronum ejus.

℟. *br.* Homo natus eſt in ea. * Allelúia, allelúia. Homo; ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Allelúia, allelúia. Glória. Homo. *Pſal.* 86. 5.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi, allelúia. *Pſ.* 131. 13.

Hoc Officium terminatur ad Nonam.

Una ex ſequentibus Lectiónibus dicetur pro tertia Lectione in Officio B. M. in Sabbato, juxta menſem.

MENSE APRILI.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri advérsus Joviniánum.

Lectio iij.

Apolog. ad Pammach.

CHriſtus Virgo, mater Virginis noſtri, Virgo perpétua, mater & Virgo. Jeſus enim clauſis ingréſſus eſt óſtiis: & in ſepúlchro ejus, quod novum & in petra duriſſima fúerat excíſum, nec ántea quis, nec póſtea póſitus eſt. Hortus conclúſus, fons ſignátus: de quo fonte ille fluvius manat, juxta Joel, qui írrigat torréntem vel fúnium, vel ſpinárum: fúnium, peccatórum, quibus ántea alligabámur: ſpinárum, quæ ſuffocábant ſeméntem Patris famílias. Hæc eſt porta orientális, ut ait Ezéchiel, ſemper clauſa & lúcida; opériens in ſe, vel ex ſe próferens Sancta ſanctórum: per quam Sol juſtítiæ & Póntifex noſter, ſecúndùm órdinem Melchíſedech, ingréditur & egréditur. Reſpóndeant mihi quómodo Jeſus ingréſſus eſt clauſis óſtiis, cùm palpándas manus, & latus conſiderándum, & oſſa carnemque monſtráverit, ne véritas córporis phantáſma putarétur: & ego reſpondebo quómodo ſancta María ſit mater & virgo.

MENSE MAIO.

Ex Epíſtolâ ſancti Athanáſii Epíſcopi ad Epictétum.

Pſalm. 906. *n.* 7.

Lectio iij.

HUmánum natúrâ erat quod ex María pródiit ſecúndùm divínas Scriptúras verúmque erat Dómini

corpus: verum, inquam, fuit, cùm idem atque noſtrum extíterit. Soror étenim noſtra eſt María, omnes quippe ex Adamo orti ſumus. Nam poſtquam à mórtuis ſurrexíſſet, cùm quidam exiſtimárent ſe non in córpore ex María génito Dóminum aſpícere, ſed illíus loco ſpíritum vidére, dixit ille: Palpáte me, & vidéte quia ſpíritus carnem & oſſa non habet, ſicut me vidétis habére non dixit, Ut me vidétis carnem, & oſſa eſſe; ſed, Habere, ne ipſummet Verbum in res illas transformatum fuíſſe cenſerétur; ſed illas & ante mortem, & poſt reſurrectiónem habére crederétur.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ex devotione tantùm dicendum ut infrà.

AD VESPERAS.

Dictis, Pater. Ave. *incipitur*

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum.

Amen. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine, &c. *Pro tempore.*

Antiph. ſola. t. 7. A. Non vocáberis.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus

ſanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

PSALMUS 112.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum : * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra ?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui ;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jerúſalem ;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas ; * cujus participátio ejus in idípſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini ; * teſtimónium Iſrael ad confiténdum nómini Dómini ;

Quia illìc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem ; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

PSALMUS 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere : * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, fílii ; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis; * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

PSALMUS 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanā; * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ;

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Non vocáberis ultrà Derelícta, quia complácuit Domino in te. *Iſ.* 62. 4.

Capitulum. Iſ. 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet: & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus. Ave, maris ſtella, *ut ſuprà, pag.* lxxxiv.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. 4. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsâ terrâ. *Judith.* 11. 21.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum, &c.

Deinde fit commemoratio de omnibus Sanctis.

Ant. Regnáſti, Dómine Deus omnípotens, & advénit tempus réddere mercédem ſervis tuis, & ſánctis. *Apoc.* 11. 17. 18.

℣. Juſti confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum, & Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apoſtolórum patrocínio confidéntem perpétuâ defenſióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæſumus, Dómine, nos ubíque lætíficent; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus: & pacem tuam noſtris concéde

temporibus, & ab Eccléſia tua cunctam repélle nequítiam; iter, actus, & voluntates noſtras, & omnium famulórum tuórum, in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne; benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbue; & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde; Per Dóminum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

℣. Convérte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Pſalmi Uſquequò, Dómine, *pag.* 60. Sæpe expugnavérunt me, *pag.* 119. De profúndis, *pag.* 119. Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 119.

HYMNUS.

O Quæ polo ſublímior
Regína cœli díceris!
Nos è ſupérnis ſédibus,
María, clemens áſpice.
Chriſtus ſibi quos éligit
Fratres, adópta fílios:
Et matris in nos víſcera
Mitéſque vultus índue.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. Judith. 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. Invéniam grátiam in conſpéctu tuo: experiménto dídici, quia benedíxerit mihi Deus propter te. *Geneſ.* 30. 27.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſemper Vírginis Maríæ, quæſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum, &c.

Dóminus vobíſcum.

Benedicámus, &c.

Fidélium ánimæ, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea, &c. ℣. Deus, in adjutórium, &c.

Invitat. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

HYMNUS.

NObis Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima!
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benígna Fílio.
Novi ſimul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Colúmba pacis núntia,
Et pacis obſes mítteris.
Quo vivis, à te ſúſcipit
Vitam Creátor ómnium:
Imménſus in te cláuditur,
De te fit ætérnus caro.

Subdit tuis ſe légibus
Munditreméndus légifer:
A te puer lac mútuat
Qui dat cibum quo páſceris.
Cœlum feréntem súſtines;
Greſſus Tonántis témperas;
Suóque ſtantem Númine
Loco, ſitúque dímoves.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo ſit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur die Dominicâ, in parvo Officio B. Mariæ, necnon Feriâ 2. & 5.

Ant. Erit tibi Dóminus.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos; * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronáſti eum; * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi:

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Psalmus 18.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuũ ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbũ, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquam ſponſus procédens de thalamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſa-

piéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multùm; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribentis.

Specióſus formâ præ fíliis hóminum; diffúſa eſt grátia in labiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexiſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus; & adorabunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis aureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne ; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum , * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam , & Deus tuus in glóriam tuam. *Iſ.* 60. 19.

℣. In ſole pósuit tabernáculum ſuum ; ℟. Et ipſe tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18. 6.

Pater noſter, &c. *Benedictiones , Lectiones & ℟℟℟. ut infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur Feriâ 3. & Feriâ 6.

Ant. Ipſa eſt múlier.

Psalmus 45.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra ; * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam , mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum ; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte , & vidéte ópera Dómini , quæ poſuit prodígia ſuper terram ; * auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret , & confrínget arma ; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte , & vidéte quóniam ego ſum Deus ; * exaltábor in géntibus , & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus , & laudábilis nimis , * in civitáte Dei noſtri , in monte ſancto ejus.

Fundatur exultatióne univérſæ terræ mons Sion , * látera Aquilónis , civitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur , * cum ſuſcipiet eam ;

Quóniam ecce reges terræ congregati ſunt ; * convenérunt in unum.

Ipſi videntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleđímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus; * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 84.

Benedixíſti, Domine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ; * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam; * avertíſti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutaris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsius, * ut inhábitet gloria in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt; * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit; * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Ipſa eſt múlier quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

℣. Exultent fíliæ Judæ,

℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſ.* 47. 12.

Pater. *Lectiones ut infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiph. dicuntur Fer. 4. & Sabb.

Ant. Benedixit.

PSALMUS 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illìc.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in Scriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, * habitátio eſt in te.

PSALMUS 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet; * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adorāt ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtodit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos:

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino; * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu regis Dómini; * moveátur mare, &

& plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Benedíxit te Dóminus in virtúte ſuâ, quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. *Judith.* 13. 22.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97. 3.

Pater noſter, &c.

Abſolutio.

BEnefáciat nobis Deus, & memínerit teſtaménti ſui quod locútus eſt, & exáudiat oratiónes noſtras. 2. *Mach.* 1. 2. 5. ℟. Amen.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. Nobíſcum ſit Deus, qui in ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13. 13. 18.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 10. *ad* 15.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David; Numquid parum vobis eſt, moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo. Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet, & pariet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem, &c.

℟. Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium, cui benedictúrus ſum. * Conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempitérnum.

℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Conſtítuam. *Gen.* 17. 16. 19. *Luc.* 1. 32.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 2. Arca fœderis Dómini ſalvet nos de manu inimicórum noſtrórum. 1. *Reg.* 4. 3.

De Libro Apocalypſis beáti Joánnis Apoſtoli.

Lectio ij. Cap. 11. *v.* 19. *&* Cap. 12. *v.* 1. *&* 5.

APértum eſt templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca teſtaménti ejus in templo ejus, & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. Et péperi Fílium máſculum qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: & raptus eſt fílius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Tu autem, &c.

℟. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia

de cœlo proſpéxit. ℣. De Maria natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus. * Veritas. *Pſ.* 84. 11. 12. *Matth.* 1. 16.

Jube, Domine, &c.

Benedict. 3. Reſpiciat qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit, Dóminus Deus noſter. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

Ex Libro ſancti Ambróſii Epiſcopi de Virgínibus. *Lib.* 2. *Cap.* 2.

Lectio iij.

SIt vobis tamquam in imágine deſcripta virgínitas, vitaque Maríæ, de qua velut ſpéculo refúlget ſpécies caſtitátis, & forma virtútis. Quid nobílius Dei matre? Quid ſplendídius eâ quam ſplendor elégit? Quid caſtius eâ quæ corpus ſine córporis contagióne generávit? Nam de cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiã mente, quæ nullo doli ambitu ſincérum adulterâret affectum; corde húmilis, verbis gravis, animo prudens, loquéndi párcior, legéndi ſtudióſior; non in incerto divitiarum, ſed in prece páuperis ſpem repónens.

℟. Memoráre diérum humilitatis tuæ; * Et tu ínvoca Dóminum, & lóquere regi pro nobis, & † Líbera nos de morte. ℣. María, invenísti grátiam apud Deum. * Et tu. Gloria. † Libera. *Eſther.* 15. 2. 3. *Luc.* 1. 30.

Te Deum *dicitur diebus Dominicis & in Dupl. & Semid.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ant. ſola. Benedícta.

PSALMUS 66.

DEus miſereátur noſtri, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtri;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætténtur, & exúltent gentes; * quoniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dó-

mine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam :

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis : * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

PSALMUS 99.

JUbiláte Deo, omnis terra; * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus,* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos : * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

CANTIC. *Zachariæ* 2. *v.* 10. *ad finem.*

LAuda, & lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî.

Et ſcies quia Dóminus exercítuum * miſit me ad te.

Et poſſidébit Dóminus Judam partem ſuam in terra ſanctificata ; * & éliget adhuc Jerúſalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia conſurréxit de habitáculo ſancto ſuo.

Glória.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus ; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro ; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens ? pulchra ut luna, eléćta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procul díſſipat umbras:
O quàm lucídior, noćte ſepúltis
Portans ipſa diem, Virgo, refúlges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te ſi terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi sánguine junćtum
Ne dedíſce genus: noſtra fuíſti,
Summi facta parens, Virgo Tonántis.
Divínæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Rex noſter operátus eſt ſalútem. ℟. Tu confrégiſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Benedićt. *Ant.* Beáta, quæ credidíſti; quóniam perficiéntur ea, quæ dićta ſunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Commemoratio Sanctorum, ut ſuprà in Veſperis.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. &c.

℣. Deus in adjutórium, &c. *Et ſic in aliis Horis.*

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Noſtrî misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.
Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno reſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Fílium.
Sit laus Patri; laus Filio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit Puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Tu glória.

Pſalmi. Deus, in nómine tuo ſalvum me fac, *pag.* 53. Cantate Dómino... cantáte.. omnis terra, *pag.* 112. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 82.

Ant. Tu glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicavérunt; regínæ & laudavérunt eam.

℟. *br.* Spécie tuâ * Et pulchritudine tuâ. Spécie..

℣. Inténde proſperè, procéde, & regna. * Et pulchritúdine. Glória, &c. Spécie. *Pſ.* 44. 5.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: ℟. Benedíxit te Deus in ætérnum. *Pſ.* 44. 3.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubſídiis pacis: & beatæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Glorióſa Vírginum,
Regína cœlo célſior,
Quantò, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit.

Cunctis Deum Virgo paris,
Deſiderátum géntibus
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

Sit laus Patri, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Filius.

Pſalmi. Crédidi propter quod locútus ſum, *pag.* 82. Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 137. Levávi óculos, *pag.* 64.

Ant. Fílius Dei factus eſt ei ex ſémine David ſecúndùm carnem. *Rom.* 1. 3.

Capitulum. Eccli. 24. 12.

PRæcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus.

℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non. Glória. Deus. *Pſ.* 45. 6.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beatæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præſtitiſti tríbue, quæſumus; ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam meruímus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum vivit, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

DIc, Virgo, quæ vis tráxerit,
Patris coævum Fílium,
E Patris ætérno ſinu,
Mortális in matris ſinum?

Hæc, quæ ſibi numquam placens
Deo placet modéſtiâ,
Quâ tu tibi ſis vilior,
Hâc, digna ſis mater Dei.
Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Péperit.

Pſalmi. Ad te levávi óculos meos, *pag.* 47. Niſi quia Dominus erat, *pag.* 64. Qui confídunt in Dómino, *pag.* 64.

Ant. Péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12. 5.

Capitulum. Gal. 4. 4. 5.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fíliū ſuum, factum ex muliére, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſalm.* 86. 5.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem; ℟. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11.

Oratio.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præsídium; ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriā ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

QUis ore digno te canat
Virgo, Dei Puérpera?
Adéſte, puri ſpiritus,
Veſtri ſit illud múneris.
Tu dux olympi prævia,
Clauſas diu pandis fores;
Nos éxules, ſi nos amas,
Reddas patérnis ſédibus.
Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Beátus venter.

Pſalmi. In convèrténdo, *pag.* 82. Beáti omnes qui timent, *pag.* 100. Confitébor tibi... quóniam audiſti, *pag.* 101.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti. *Luc.* 11. 27.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum.
℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Glória. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Adducéntur regi vírgines poſt eam; ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. *Pſalm.* 44. 15.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce, ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini noſtri inter-

ceſſióne ſalvémur; Per eumdem Dóminum, &c.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi ut in I. Veſperis ſub unica Antiph. ſequenti.

Ant. Quod in eâ natum eſt, de Spíritu ſancto eſt. *Matth.* 1. 20.

Capitulum. Apoc. 12. 1.

SIgnum magnum appáruit in cœlo; Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

HYMNUS.

DAvidis sóboles, glória Vírginum
Chriſti Virgo parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium, qui dedit ómnibus,
A te princípium ſumpſit homo Deus;
Cunctis proſpíciens qui tríbuit cibos
Paſtus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctius:
Tu clauſas míſeris, heu nímium diu!
Cœlórum reſeras fores.
Qui lucis Pater eſt, glória ſit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Filio;
Quo fœcúnda, tibi, nexus amabilis,
Sit par gloria, Spíritus. Amen.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens eſt. *Luc.* 1. 48. 49.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Domine, grátiam tuam benignus infúnde, & intercedente ſanctâ Dei Genitríce Mariâ, córpora noſtra caſtitate, & mentes noſtras humilitate, & charitáte ſanctífica; Per, &c.

Commemoratio Sanctorum, ut in I. Veſperis.

Completorium, ut poſt I. Veſperas.

PSALMI POENITENTIALES.

Ant. Dómine.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dñe, úſquequò.

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furore óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs meî.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valdè velóciter.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 31.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verùmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me; * exultátio mea,

érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac, quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eorum conſtrínge, * qui non approximant ad te.

Multa flagélla peccatóris;* ſperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

Glória, &c.

P s a l m u s 37.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infíxæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manũ tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ;* & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtatus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes;* & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperavi; * tu exáudies me, Dómine Deus meus;

Quia dixi: Nequándo ſupergaudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum; * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meã

annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me;* & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; * quoniam ſequebar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſceſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Domine Deus ſalútis meæ.

Glória, &c.

P s a l m u s 50.

Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniā iniquitátem meā ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbabor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à facie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas;* & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultabit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrificium dedíſſem útique;* holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contritū & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrificiū juſtítiæ, oblationes & holocauſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vitulos.

Glória, &c.

PSALMUS 101.

DOmine, exáudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant;

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus:

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſérviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundáſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem

pérmanes: * & omnes ſicut veſtiméntum veteraſcent;

Et ſicut opertorium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Glória, &c.

Pſalmus 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſervàveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória, &c.

Pſalmus 142.

Dómine, exáudi oratiónem meam; aúribus pércipe obſecratiónem meã in veritáte tua; * exáudi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meã.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Glória, &c.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angéli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spírituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora.
Sancte Joachíme, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andréa,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Joánnes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe,
Sancte Philíppe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Lauréndi, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Gengúlphe, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte pro nobis.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Elíphi, ora.
Sancte Eúchari, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambróſi, ora.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te ; * & dicant ſemper ; Magnificétur Dóminus, qui díligũt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus, & pauper ſum ; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Glória Patri, &c.

℣. Dómine, non ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis ; ℟. Neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. *Pſ.* 102. 10.

℣. Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárũ, ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ ; quia páuperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter ; & propter glóriam nóminis tui líbera nos ; ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro : ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Pro Rege noſtro : ℟. Dómine, ſalvum fac Regem ; & exáudi nos in die qua invocavérimus te. *Pſal.* 19. 10.

℣. Pro benefactóribus noſtris : ℟. Deus omnem grátiã abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum juſtítiæ illórum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.

℣. Pro frátribus noſtris abséntibus : ℟. Rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infírmis, afflíctis, captívis & peregrínis ; ℟. Líbera, Deus, Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis: ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

O R E M U S.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper, & párcere : súſcipe deprecatiónem noſtram ; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter abſólvat.

EXáudi, quæſumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis ; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, miſericórdiam tuam cleménter oſténde ; ut ſimul nos, & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his

his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicántis propítius réſpice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, avérte.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Rex noſter qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtutum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita; &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuarum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórũ, omniúmque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe præнóſcis: te ſúpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus; quoſque vel præſens ſæculũ adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur; Per Dóminũ, &c.

℣. Dóminus vobíſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens & miséricors Dóminus.
℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauiénti, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Lúcia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Propítius eſto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A poteſtáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Per crucem & paſſiónem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.

Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eleiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitûs anima anxiatur, dicuntur ſequentes Orationes.

ORATIO.

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effuſus eſt: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Poteſtátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum: In nómine ſanctórum Martyrum & Confeſſórum: In nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine ſanctárum Vírginū, & ómnium Sanctórū & Sanctarū Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus miſéricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas; réſpice propítius ſuper*hunc fámulum tuum N. (*vel* hanc fámulam tuam N) & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem, deprecátus exaudi. Rénova in *eo,(*vel* ea) piiſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violatum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, *chariſſime frater (*vel* chariſſima ſoror;) & ei cujus es creatúra committo: ut cum humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat, judex

Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circumdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtringat : mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter intereſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis : in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei : & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur igitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes : & miníſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifíxus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * *Conſtitútus* (*vel* Conſtitúta) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

SUſcipe, Dómine,*ſervum tuum (*vel* ancíllam tuã) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hoſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ani-

mam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Susánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam Theclam vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíſſimis torméntis liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam hujus * ſervi tui (*vel* ancíllæ tuæ;) & tecum fácias in bonis cœléſtibus congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ,) precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſínibus inſinuáre non rénuas. Agnóſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te, & non eſt ſecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas ſuſcitávit furor mali deſidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum non negávit, ſed crédidit; & zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Orémus.

Delícta juventútis, & ignorántias ejus, quæſumus, ne memíneris, Dómine: ſed ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviàm ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes,

eléctus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt potéſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc ſæculo ſuſtinuérunt; ut vínculis carnis exúta, perveníre mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus Confitémini Dómino, *pag.* II. *& totus Pſalmus* Beáti immaculáti in via. *per Horas Dominicæ diſtributus*, pag. 12.

Egreſſâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo ſpíritum meum: * Redemíſti me, Dómine Deus veritátis; illúſtra fáciem tuam ſuper * ſervum tuum (*vel* ancíllam tuam,) * ſalvum (*vel* ſalvam) me fac in miſericórdia tua. ℣. Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meū: * Redemíſti me. *Pſ.* 30. 2. 3. 6. 17. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*: Pater noſter. *Altâ voce*; ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * ſervo tuo (*vel* ancílla tua,) Dómine; ℟. Quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finē. *Pſ.* 73. 19.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ut * defúnctus (*vel* defúncta) ſæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Veſperæ inchoantur abſolutè à prima Antiphona.

In fine cujuſque Pſalmi, loco Glória, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

PSALMUS 114.

Ant. t. 8. G. O Dómine.

DIléxi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miserétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam, miséricors & juſtus Deus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 2. D. Heu mihi.

PSALMUS 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! *v.* 5.

Ant. t. 8. C. Auxílium.

PSALMUS 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómi-

no, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat intróitum tuum, & éxitum tuū, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram. *v.* 2.

Ant. t. 8. *G.* Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Domine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtodia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit? *v.* 3.

Ant. t. 2. *D.* Opera.

PSALMUS 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorabo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritate tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna eſt gloria Domini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificabis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, miſericór-

dia tua in ſæculum : ópera mánuū tuarum ne deſpícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne deſpícias. *v.* 8.

Continuò dicitur :

Ant. t. 4. *E.* Ad Dóminum.

CANTICUM MARIÆ.

Luc I. *v.* 46. *ad* 56.

MAgníficat * ánima mea Dóminum ;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo ;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes ;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus :

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo;*diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede ; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis ; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham & sémini ejus in ſæcula.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Ad Dóminum aſpíciam, donec fáciat judícium meum : edúcet me in lucem, vidébo juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 7. 9.

Si Officium fiat ritu Simplici, dicuntur Preces ut poſt Laudes, niſi tamen immediatè poſt Veſperas dicantur Vigiliæ: tunc enim Preces omittuntur, & incipitur à prima Antiphona illius Nocturni qui dicendus eſt juxta Rubricam.

Si verò Officium fiat ritu Duplici, & Vigiliæ non dicantur immediatè, poſt Veſperas dicitur, Dóminus vobíſcum, *& una ex Orationibus poſt Laudes ; & poſt Orationem.* ℣. Dóminus vobíſcum. ℞. Et cum ſpíritu tuo. ℣. Requiéſcant in pace. ℞. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitat. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalm. 94. Veníte, exultémus, *pag.* 2. *in cujus fine, loco* Glória Patri. *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in Depoſitione corporis, & in Anniverſariis ritu Duplici celebrandis : in iis verò quæ fiunt ritu Simplici, unicum dicitur Nocturnum; ſcilicet primum Feriâ 2. & 5. ſecundum Feriâ 3. & 6. tertium Feriâ 4. & Sabbato.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 7. *A.* Dómine.

PSALMUS 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuū in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis, ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperāt in te; * in ætérnū exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuū; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, deduc me in juſtítia tua: propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam. *v. 9.*

Ant. t. 8. G. Salvum me fac.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dó-

minus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubeſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter miſericordiam tuam; quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî. *v.* 5. 6.

Ant. t. 3. *a.* Illúmina.

PSALMUS 12.

USquequò, Dómine, obliviſceris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuã à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte. *v.* 4.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò? ℟. Deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſal.* 89. 13.

Pater noſter, *ſecretò: deinde mediocri voce dicitur:* Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Benedictionibus, & ſine Titulo.

Lectio j.

Job. 7. *v.* 16. *ad finem.*

PArce mihi, Dómine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Víſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam ſalívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, ô cuſtos hóminum? Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetípſi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce, nunc in púlvere dórmiam: & ſi manè me quæsíeris non ſubsíſtam.

In fine Lectionum nihil additur; ſed terminantur per ſolam vocis intercidentiam.

℟. Dómine omnípotens, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te: audi, Dómine, & miſerére; * Quia Deus es miſéricors. ℣. Deus, propítius eſto peccatori. * Quia Deus. *Baruch.* 3. 1. 2. *Luc.* 18. 13.

Lectio ij.

Job. 10. *v.* 1. *ad* 8.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ: dimíttam advérsùm me elóquium meũ, loquar in amaritúdine áni-

mæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre. Indica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu vidébis? Numquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum ſcrutéris? Et ſcias quia nihil ímpium fécerim, cùm ſit nemo qui de manu tua poſſit erúere.

℟. Quóniam ibit homo in domum æternitátis ſuæ; * Revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. ℣. Det illi Dóminus inveníre miſericórdiam à Dómino in illa die. * Revertátur.. *Eccle.* 12. 5. 7. 2. *Tim.* 1. 18.

Lectio iij.

Job. 10. *v.* 8. *ad* 13.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu: & ſic repéntè præcípitas me? Meménto, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me: óſſibus & nervis compegíſti me. Vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

℟. Miſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odíſti eórum quæ feciſti: * Parcis ómnibus quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. ℣. Quia tu es Chriſtus Fílius Dei vivi qui in mundum veníſti. * Parcis. Réquiem. * Parcis. *Sap.* 11. 24. 25. 27. *Joan.* 11. 27.

IN II. NOCTURNO.

Ant. t. 6. f. In médio.

PSALMUS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomẽ ſuũ.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timebo mala; quóniam tu mecum es, Dómine. *v.* 4.

Ant. t. 8. *G.* Delícta.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * etenim univérſi qui ſuſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervacuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminiſcere miseratiónũ tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu,, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Diriget manſuetos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericordia & véritas, * requiréntibus teſtamentum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multũ eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut manifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminũ; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis meî multiplicátæ ſunt; * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univerſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulationibus ſuis.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris, Dómine. *v.* 7.

Ant. t. 4. *E.* Ne tradíderis.

PSALMUS 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & ceciderunt.

Si conſiſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperabo.

Unam pétii à Dómino, hanc requiram, * ut inhábitem in domo Dómini omnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptatem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo; * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hoſtiam vociferatiónis; * cantabo, & pſalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére meì, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisivit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelinquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulantium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & súſtine Dóminum.

Ant Ne tradíderis me in ánimas tribulantium me. *v.* 12.

℣. Ne avértas fáciem tuam à me, ℟. Ne declines in ira à ſervo tuo. *Pſalm.* 26. 9.

Pater noſter, *ut ſuprà.*

Lectio iv. Job. 13. *v.* 22. *ad finem.*

REſponde mihi quantas habeo iniquitates & peccáta, ſcélera mea, & delícta oſténde mihi. Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimícum tuū? Contra folium, quod vento rápitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perséqueris. Scribis enim

contra me amaritúdines, & conſúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuíſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes ſémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideráſti: qui quaſi putrédo conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod comeditur à tínea.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repóſitam grátiam. * Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. ℣. Uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit: ſi cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12.45.46.1. *Cor.* 3. 13. 15.

Lectio v. Job. 14. *v.* 1. *ad* 7.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo concéptum ſémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituíſti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii dies ejus.

℟. Deus cœli magne atque terríbilis, * Fiant aures tuæ auſcultántes ut áudias oratiónem ſervi tui, quam oro coram te pro ſervis tuis, & confíteor pro peccátis quibus peccavérunt tibi: Dómine, ipſi ſervi tui, & pópulus tuus quos redemiſti. ℣. Defúncti ſunt iſti, non accéptis repromiſſiónibus, ſed à longè eas aſpiciéntes, & ſalutántes, ſigníficant ſe pátriam inquírere; * Fiant aures. 2. *Eſdr.* 1. 5. 6. 10. *Hebr.* 11. 13. 14.

Lectio vj. Job. 14. *v.* 13. *ad* 17.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus, & conſtítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putaſne mórtuus homo rurſum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego reſpondébo tibi: Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti, ſed parce peccátis meis.

℟. Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Iſrael qui peccavérunt ante te. * Noli meminíſſe iniquitátum patrum noſtrórum, ſed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto. ℣. Occíſus es, Dómine, & re-

demíſti nos Deo in ſánguine tuo. * Noli. Réquiem. * Noli. *Baruch.* 3. 4. 5. *Apoc.* 5. 9.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. *D.* Propter.

PSALMUS 38.

DIxi; Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm conſiſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus ſum, & ſílui à bonis: * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in lingua mea; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis eſt, * ut ſciam, quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos; * & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab omnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbriũ inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuiſti hóminem, & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne ſíleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrígerer priùſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Propter iniquitátem corripuíſti hóminem: remítte mihi, Dómine, ut refrígerer. *v.* 12. 14.

Ant. t. 3. *A.* Numquid.

PSALMUS 40.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî, * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando morietur

&

& períbit nomen ejus ?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me : * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meì, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepiſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo, & uſque in ſæculum : * Fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? Dómine, miſerére meì, & resúſcita me. *v.* 9. 11.

Ant. t. 8. *G.* Sitívit.

PSALMUS 41.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquarum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meã; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei;

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea?* & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuì de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat, * in voce cataractárum tuarũ.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo; Suſcéptor meus es;

Quare oblítus es meì? * & quare contriſtátus incédo dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies ; * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ? *v.* 3.

℣. Ne ſimul trahas me cum peccatóribus, ℟. Et cum operantibus iniquitátem ne perdas me. *Pſal.* 27. 3.

Pater noſter, &c.

Lectio vij.

Job. *Cap.* 16. *v.* 23. *&*

Cap. 17. *v.* 1. *ad* 4.

Breves anni tranſeunt, & sémitam, per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & ſolum mihi ſúpereſt ſepúlchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum:* Et in carne mea vidébo Deũ meum. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptionem ; & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et in carne. *Job.* 19. 25. 26. 1. *Cor.* 15. 53.

Lectio viij.

Job. 17. *v.* 11. *ad* 16.

Dies mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rurſum poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi; Pater meus es ; mater mea, & ſoror mea, vérmibus. Ubi eſt ergò nunc præſtolátio mea, & patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt ; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ : qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. * Evigilábunt. *Dan.* 12. 2. *Joan.* 5. 29.

Lectio ix.

Job. 19. *v.* 20. *ad* 28.

Pelli meæ, consúmptis cárnibus, adhæſit os meũ, & derelícta ſunt tantùmmodo lábia circa dentes meos. Miſerémini mei, miſerémini mei, ſaltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturámini ? Quis mihi tríbuat ut ſcribantur ſermónes mei ? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo, & plumbi laminâ, vel celte ſculpántur in silice ? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo

ſie de terra ſurrectúrus ſum : & rurſum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius ; repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℟. Secúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, Dómine, * Líbera me à rugiéntibus, præparátis ad eſcam, † De mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me ; § A preſſúra flammæ quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51. 4. 5. 6. ℣. Per redemptiónem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propóſuit Deus propitiatiónem in ſánguine ipſíus propter remiſſiónem delictórum. *Rom.* 3. 24. 25. * Líbera me. ℣. Vos, fratres, per Jeſum Chriſtum adjuvétis me in oratiónibus veſtris pro me ad Deum, ut líberer. *Rom.* 15. 30. 31. † De mánibus. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. *Act.* 4. 12. § A preſſúra. *repetitur* Secúndùm multitúdinem, *uſque ad* ℣. Per redemptiónem.

Quando dictum eſt unicum Nocturnum, omittitur ſuperiùs ℟. *& dicitur ſequens.*

℟. Líbera me, Dómine, à perſequéntibus me. * Educ de cuſtodiâ ánimam meam ad confiténdũ nómini tuo : † Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. ℣. Miſerére mei, Dómine fili David, ádjuva me. * Educ. Réquiẽ. † Me expéctant. *Pſ.* 141. 7. 8. *Matth.* 15. 22. 25.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Humiliáſti nos, Dómine, in loco afflictiónis. ℟. Coopéruit nos umbra mortis. *Pſ.* 43. 20.

Inchoatur abſolutè ab Ant. t. 1. d. A peccáto.

In fine Pſalmorum dicitur Requiem, &c.

PSALMUS 50.

Miſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam ;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me ;

Quóniam iniquitátem meã ego cognóſco ; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibì ſoli peccávi, & malũ coram te feci ; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti : * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſsópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam ; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

De manè uſque ad véſperam finies me: * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me: *quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me &, vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam, ut non períret; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Ant. Dñe, vim pátior, reſpónde pro me: quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cum ipſe fécerit? *v.* 14. 15.

Ant. t. 7. *D.* Omnis ſpíritus.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudate eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Requiem ætérnam.

Ant. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. *v.* 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. G. Per víſcera.

CANTIC. *Zach. Luc.* 1. 68.

BEnedíctus Dñus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis; * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorari teſtaménti ſui ſancti;

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu inimicorum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus; * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem.

Ant. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, in quibus viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *v.* 78. 79.

Quando Officium peractum eſt ritu ſimplici, & dictum eſt unum tantùm Nocturnum, adduntur ante ultimam Orationem Preces ſequentes.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, &c. Pater, *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, ℟. Et lux perpetua lúceat eis.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimas eórum de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Abſolutio.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneant, vitámque habére mereántur in cœlis; per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

PSALMUS 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum, * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos:

Dóminus érigit elíſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Requiem, &c.

Si Pſalmus, Lauda, anima mea, *dictus fuerit ad preces in Veſperis: loco illius dicetur ad Laudes*, De profundis clamavi, &c. *pag.* cxx.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

In Depoſitione Pontificis.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecíſti dignitáte vigere; præſta, quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur conſórtio; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Sacerdotis.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quē in hoc ſæculo commorántem, ſacris munéribus decoráſti, in cœleſti ſede glorióſâ ſemper exúltet; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

In Depoſitione Defuncti.

ABsólve, quæſumus, Dómine, ánimam fámuli tui *N.* ut defúnctus ſæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis, humánâ converſatióne commíſit, tu véniâ miſericordiſſimæ pietátis abſterge; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Defunctæ.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum noſtrum.

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus depoſitiónis diem (tértium) (séptimum) (trigéſimum) commemorámus, ſanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris conſórtium, & rorem miſericórdiæ tuæ perénnem infúndas; Per Dóminum, &c.

In Anniverſario die.

DEus indulgentiárum, Dómine: da ánimæ fámuli tui, (fámulæ tuæ) cujus anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum, &c.

Cùm Officium fit ritu ſimplici, & plures dicendæ ſunt Orationes. Orémus.

INclina, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) quam de hoc ſæculo migráre juſsíſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe conſórtem.

DEus véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, beatâ Maríâ ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanc-

tis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómniũ Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis, &c.

Si pro pluribus celebretur Officium, prima ex illis Orationibus ponetur in plurali.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

COMMENDATIONES ET ORATIONES IN OBSEQUIIS DEFUNCT. FACIENDÆ, Cum tribus ℟℟℟.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

OMnipoténtis Dei miſericórdiam deprecémur, chariſſimi, cujus judício náſcimur & mórimur; ut ſpíritum fratris noſtri (*vel* ſorória noſtræ) quem de incolátu mundi hujus tranſire præcépit, réquies ætérna ſuſcípiat, eúmque Dómini píetas in beáta reſurrectióne repræséntet; & in sínibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob, inter ſanctos & eléctos ſuos collocáre dignétur; Præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

℟. 1. Dómine, propter iniquitátem corripuíſti hóminem; & tabéſcere fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus.* Auribus pércipe lácrymas meas, & remítte mihi, ut refrígerer. ℣. Deus omnípotens, Rex ſæculórum, quia ſolus pius es. * Auribus. *Pſ.* 38. 12. 13. 14. *Apoc.* 15. 3. 4.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

DEus omnípotens, qui humáno córpori ánimam ad ſimilitúdinem tuam inſpiráre dignátus es: dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur: tu imáginem tuam, cum ſanctis & electis tuis, ætérnis sédibus præcípias ſociári: repélle, quæſumus, ab ea omnes príncipes tenebrárum, & agnóſce depóſitum fidéle quod tuum eſt. Súſcipe creatúram tuam, non à diis aliénis creátam; ſed à te ſolo Deo vivo & vero: ne memíneris, clementíſſime Pater, iniquitátum ejus antiquárum quas ſuſcitávit furor mali deſidérii; licèt enim peccáverit; tamen te non negávit; ſed ſigno fidei inſignita, in te Deum miſericordiárum ſperávit; Qui vivis & regnas in ſæcula. ℟. Amen.

℟. 2. Redemíſti, Dómine, virgam hæreditátis tuæ: *Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, & ánimas páuperum tuórum ne oblivíſcáris in finem: réſpice in teſtaméntum tuum; ne aver-

títur húmilis factus confúſus. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in sánguine tuo. * Ne tradas. *Pſ.* 73. 2. 19. 20. 21. *Apoc.* 5. 9.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

DIri vúlneris novitáte percúlſi, & quodámmodo córdibus ſauciáti, miſericórdiam tuam, mūdi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut chari noſtri *N.* (*vel* charæ noſtræ *N.*) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blandè lenitérque ſuſcípias: & quas ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte cleménter déleas: atque hanc tibi laudem cum cæteris reddi túram, & ad corpus próprium quándoque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre, & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

℟. 3. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: * Non absórbeat me profúndum: neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. † Exáudi me, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. §. Réſpice in me, quóniam tríbulor: inténde ánimæ meæ, & líbera eam. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. 18. 19. ℣. In die iræ & revelatiónis juſti judícii Dei, *Rom.* 2. 5. * Non absórbeat. ℣. Quia tu es Chriſtus, Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veníſti. *Joan.* 11. 27. † Exáudi. ℣. Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. *Act.* 4. 12. § Réſpice..... *Deinde repetitur* ℟. Líbera me, Dómine, *uſque ad Verſiculum primum.*

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimam ejus de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PArtem beátæ reſurrectionis obtíneat, quæſumus, Dómine, ánima fámuli tui (*vel* famulæ tuæ,) vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi.

DEus, cui ſoli cómpetit medicínam præſt·re poſt mortem, præſta, quæſumus, ut ánima fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Quinque ſequentes Pſalmi dicuntur ſine Gloria Patri, *ſed in fine ultimi tantùm dicitur* Requiem.

Ad Dóminum cùm tribuláre:, *pag.* 137.

Levávi óculos meos, *p.* 64.

Lætátus ſum, *pag.* 100.

Ad te levávi, *pag.* 47.

Niſi quia Dóminus erat, *pag.* 64. *In fine dicitur* Requiem.

Deinde flexis genibus. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum ſervis tuis, ℟. Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Requiéſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

ABſólve, quæſumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória, inter ſanctos & electos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur alii Pſalmi Graduales, ut ſequitur, & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Qui confídunt in Dómino, *pag.* 64.

In converténdo, *pag.* 82.

Niſi Dóminus, *pag.* 47.

Beáti omnes qui timent, *pag.* 100.

Sæpè expugnavérunt me, *pag.* 119.

Poſtea dicitur flexis genibus:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Memor eſto congregationis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Oratio.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, súſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis clementer abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur quinque Pſalmi ſequentes cum Gloria Patri, *in fine cujuslibet.*

De profúndis, *pag.* 119. Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 119. Meménto, Dómine, David, *pag.* 100. Ecce quàm bonum, *pag.* 101. Ecce nunc benedícite, *pag.* 141.

Deinde flexis genibus. Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Deus ómnium, miſerére plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 1. 14.

℣. Dómine, exáudi oratiónem, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PRæténde, quæſumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè poſtulant, cónſequi mereántur; Per Dóminum, &c.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Pſalm.* 144. 15. 16.

Glória Patri, &c. Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon. Pater noſter, *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Menſæ cœléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtri.

℟. Deo grátias.

Gratiarum Actio post Prandium.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

Qui benedixit menſam, dicit:

AGimus tibi grátias, omnípotēs Deus, pro univérſis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde procedendo ad Eccleſiam dicitur Pſalm. Miſerére, &c. *Si verò non procedatur, dicitur Pſalm.* Laudáte Dñum, omnes, &c. Glória, &c.

Kyrie, eléïſon, &c. *ut ſuprà.* Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Diſpérſit, dedit paupéribus: ℟. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant manſuéti & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculū. *Pſ.* 112. 2.

℣. Retribúere dignare, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen ſanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Mediocri voce. ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

Benedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes & ſaturabúntur: & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 21. 27. Glória Patri. Kyrie, &c. *ut ſupra.* Pater noſter, &c.

Clara voce. Et ne nos, &c.

Orémus.

Benedic, Dñe, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Ad Benedictionem Lectoris.

Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO poſt Cœnam.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum, miséricors & miſerátor Dóminus; eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5. Glória Patri, &c.

Qui benedixit menſam, dicit:

Benedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Pſalmi & reliqua, ut poſt prandium.

ITINERARIUM.

Viator in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari: ſi cum ſociis, in plurali.

In Cant. Benedíctus.

Ant. In viam pacis & proſperitátis dírigat nos omnípotens, & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobíſcum in via, ut cum pace, ſalúte, & gáudio revertámur ad própria. *Tob.* 5. 21. 27.

PRECES.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c. Et ne nos, &c. ℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de ſancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 3.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie, ℟. Próſperum iter fáciat nobis Deus ſalutárium noſtrórum. *Pſ.* 67. 20.

℣. Vias tuas, Dómine, demónſtra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Pſalm.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas. *Pſalm.* 118. 5.

℣. Erunt prava in diréctá; ℟. Et áſpera in vias planas. *Iſ.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te; ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

DEus, qui filios Iſraël per maris médium ſicco veſtígio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtellâ duce, pandíſti: tríbue nobis, quæſumus, iter próſperum tempúſque tranquillum: ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum pervenire feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodíſti: quæſumus, ut nos ſámulos tuos cuſtodíre dignéris: eſto nobis, Dómine, in procinctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frigore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præſídium: in lúbrico *báculus*, in naufrágio portus: ut te duce quò téndimus, próſperè perveniámus, & demum incolumes ad própria redeámus.

ADéſto, quæſumus, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & viam famulórum tuórum in ſalútis proſperitáte diſpóne: ut inter omnes viæ & vitæ varietátes, tuo ſemper protegámur auxílio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incedat, & beáti Joánnis Præcursóris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædíxit, ſecúra perveniat, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; Qui tecum, &c.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nomine Domini. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM, AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſalmi. Quàm diléĉta, *pag.* 99. Benedixiſti, *pag.* 88. Inclína, *pag.* 70. Crédidi, *pag.* 82. De profúndis, *pag.* 119.

Ant. Dómine, memor eſto meì: & ne vindíĉtam ſumas de peccátis meis: neque reminiſcáris delíĉta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

KYrie, eleïſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meì, ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò, ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſanĉti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18. 13. 14.

℣. Dñe, exáudi, &c. ℣. Dñus vobíſcũ, &c. Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & gratiâ Spíritûs ſanĉti illúmina cor noſtrum: ut tuis myſtériis dignè miniſtrare, teque ætérnâ charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum: puríſica per infuſiónem ſanĉti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri; ut te perféĉtè dilígere, & dignè laudáre mereamur.

URe igne ſanĉti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto corpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſanĉti: quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueatur advérſis.

DEus, qui corda fidélium ſanĉti Spíritûs illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódem Spíritu reĉta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo puríſica: ut véniens Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſionem; Qui tecum vivit & regnat, &c.

℟. Amen.

in ſæcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eleïſon. Chriſte, eleïſon, &c. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua,

℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

℣. Exultábunt ſancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; * ℟. Sed nomini

exúrat fla

ACtió
ſumu
rándo præ
do proſéq
noſtra orat
ſemper inc
cœpta fini

DA no
Dóm
trórum fl
re: qui be
buíſti, to
rum incén
Chriſtum
trum. ℟. A

INDEX PSALMORUM.

Pſalmi.		Paginæ.
119	AD Dóminum cùm tribulárer.	137
27	Ad te, Dómine, clamábo.	51
24	Ad te, Dómine, levávi.	67
122	Ad te levávi óculos meos.	47
28	Afferte Dómino, filii Dei.	5
77	Atténdite, pópule meus.	75
48	Audíte hæc, omnes gentes.	125
118	BEáti immaculáti in via.	12
127	Beáti omnes qui timent Dóminum.	100
31	Beáti quorum remiſſæ ſunt.	102
40	Beátus qui intélligit.	104
1	Beátus vir qui non ábiit.	2
111	Beátus vir qui timet Dominum.	23
33	Benedícam Dóminum in omni témpore.	72
103	Bénedic, ánima mea, Dómino: Domine Deus.	62
102	Bénedic, ánima mea, Dómino; & ómnia.	46
143	Benedíctus Dóminus Deus meus.	139
84	Benedixiſti, Dómine, terram tuam.	70
91	Bonum eſt confitéri Dómino.	30
95	CAntáte Dómino cánticum novum: cantáte.	112
149	Cantáte Dño cánticum novum: laus ejus.	131
97	Cantáte Dómino cánticum novum; quia.	75
18	Cœli enárrant glóriam Dei.	26
74	Confitébimur tibi, Deus.	28
110	Confitébor tibi, Dómine.... in concílio.	22
9	Confitebor tibi, Dómine. ... narrábo.	36
137	Confitébor tibi, Dómine.... quóniam audiſti.	48
104	Confitémini Dómino, & invocáte.	94
135	Confitémini Dómino quóniam... Confitémini	82
106	Confitémini Dómino quóniam.... Dicant qui.	98
117	Confitemini Dómino quóniam... Dicat nunc.	11
105	Confitémini Domino quóniam.. Quis loquétur.	96
15	Conserva me, Dómine.	56

Pſalmi.		*Pagina*
115	Crédidi, propter quod locútus ſum.	82
4	Cùm invocárem.	139
129	DE profúndis clamávi ad te, Dómine.	119
43	Deus, áuribus noſtris audívimus.	132
49	Deus deórum Dóminus locútus eſt.	27
62	Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo.	9
21	Deus, Deus meus, réſpice in me.	116
69	Deus, in adjutórium meum inténde.	107
53	Deus, in nómine tuo ſalvum me fac.	53
71	Deus, judícium tuum regi da.	87
108	Deus, laudem meam ne tacúeris.	112
66	Deus miſereátur noſtrî.	73
45	Deus noſter refúgium & virtus.	86
82	Deus, quis símilis erit tibi?	45
59	Deus, repuliſti nos.	106
81	Deus ſtetit in ſynagóga deórum.	30
78	Deus, venérunt gentes.	109
93	Deus ultiónum Dóminus.	136
114	Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus.	137
17	Díligam te, Dómine.	41
38	Dixi: Cuſtódiam vias meas.	123
109	Dixit Dóminus Dómino meo.	22
35	Dixit injúſtus, ut delínquat.	123
52	Dixit insípiens... in iniquitátibus.	28
13	Dixit insípiens.... in ſtúdiis ſuis.	67
140	Dómine, clamávi ad te.	120
7	Dómine Deus meus, in te ſperávi.	49
87	Dómine Deus ſalútis meæ.	107
8	Dómine Dóminus noſter.	25
142	Domine, exáudi oratiónem meam: áuribus.	48
101	Dómine, exáudi oratiónem meam, & clamor.	44
20	Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.	4
6	Dómine, ne in furóre tuo.... Miſerére.	102
37	Dómine, ne in furóre... Quóniam.	103
130	Dómine, non eſt exaltátum cor meum.	119
138	Dómine, probáſti me.	65
3	Dómine, quid multiplicáti ſunt.	3
14	Dómine, quis habitábit.	121
89	Dómine, refugium factus es nobis.	71
23	Dómini eſt terra.	31
26	Dominus illuminátio mea.	122
22	Dóminus regit me.	51
92	Dóminus regnávit, decórem indútus eſt.	2

Pſalmi.		*Paginæ*
96	Dóminus regnávit, exúltet terra.	30
98	Dóminus regnávit, iraſcántur pópuli.	73
133	ECce nunc benedícite Dóminum.	141
132	Ecce quàm bonum.	101
58	Eripe me de inimícis meis.	105
139	Eripe me, Dómine, ab hómine malo.	120
44	Eructávit cor meum verbum bonum.	85
144	Exaltábo te, Deus meus rex.	66
29	Exaltábo te, Dómine, quóniam.	5
19	Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.	4
60	Exáudi, Deus, deprecatiónem meam.	87
63	Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm deprecor.	69
54	Exáudi, Deus, oratiónem meam, & ne.	104
16	Exáudi, Dómine, juſtítiam meam.	121
39	Expéctans expectávi Dóminum.	84
80	Exultáte Deo adjutóri noſtro.	6
32	Exultáte, juſti, in Dómino.	26
67	Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus.	79
86	FUndaménta ejus in móntibus ſanctis.	89
85	INclína, Dómine, aurem tuam.	70
125	In converténdo Dóminus.	82
10	In Dómino confído.	50
113	In éxitu Iſrael de Ægypto.	24
70	In te, Dómine, ſperávi.... & éripe me.	80
30	In te, Dómine, ſperávi.... in juſtítia.	117
65	JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum.	54
99	Jubiláte Deo, omnis terra: ſervíte.	8
34	Júdica, Dómine, nocéntes me.	61
42	Júdica me, Deus, & diſcérne.	68
25	Júdica me, Dómine, quóniam.	84
121	LÆtátus ſum in his.	100
145	Lauda ánima mea, Dóminum.	91
147	Lauda, Jerúſalem, Dóminum.	83
148	Laudáte Dóminum, de cœlis.	33
150	Laudáte Dóminum in ſanctis ejus.	10
116	Laudáte Dóminum, omnes gentes.	82
146	Laudáte Dominum, quóniam bonus.	56
134	Laudáte nomen Dómini.	47

K ij

Pſalmi. *Paginæ.*

112 Laudáte, púeri, Dóminum. 23
120 Levávi óculos meos in montes. 64

47 MAgnus Dóminus, & laudábilis. 87
131 Meménto, Dómine, David. 100
56 Miſerére meî, Deus, miſerére meî. 69
56 Miſerére meî, Deus, quóniam. 52
55 Miſerére meî, Deus, ſecùndùm. 108
100 Miſericórdiam & judícium. 128
88 Miſericórdias Dómini in ætérnum. 92

126 NIſi Dóminus ædificáverit domum. 47
123 Niſi quia Dóminus erat in nobis. 64
36 Noli æmulári in malignántibus. 59
61 Nonne Deo ſubjécta erit. 127
75 Notus in Judæa Deus. 6

46 OMnes gentes, pláudite mánibus. 82

107 PArátum cor meum, Deus. 89

72 QUàm bonus Iſraël Deus. 135
83 Quàm dilécta tabernácula tua. 88
2 Quare fremuérunt gentes. 3
41 Quemádmodum deſíderat cervus. 124
124 Qui confídunt in Dómino. 64
51 Quid gloriáris in malítia. 52
90 Qui hábitat in adjutório Altiſſimi. 140
79 Qui regis Iſraël, inténde. 126

128 SÆpè expugnavérunt me. 119
68 Salvum me fac, Deus. 114
11 Salvum me fac, Dómine. 67
57 Si verè útique juſtítiam. 126
136 Super flúmina Babylónis. 138

64 TE decet hymnus, Deus, in Sion. 54

94 VEníte, exultémus Dómino. 2
5 Verba mea áuribus pércipe, Dómine. 109
76 Voce meâ ad Dóminum.... voce meâ ad Deum. 29
141 Voce meâ ad Dóminum... voce meâ ad Dñum. 138

12 USquequò, Dómine. 50
73 Ut quid, Deus, repuliſti in finem? 58

INDEX
CANTICORUM PSALTERII.

Audíte, cœli, quæ loquor. 128
Benedícite Dóminum. 91
Benedícite, ómnia ópera. 9
Benedíctus Dóminus Deus Iſrael. 10
Benedíctus es, Dómine. 32
Cantémus Dómino. 55
Collaudáte cánticum. 56
Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es. 91
Dómine, audívi. 110
Ego dixi: In dimídio. 73
Exultávit cor meum. 32
Magníficat. 24
Magnus es, Dómine. 111
Miſerére noſtrî, Deus. 74
Nunc dimíttis. 141
Urbs fortitúdinis noſtræ. 138

FINIS.

1. Ton.


Di- xit Dóminus Dómino
me- o : Se-de à dextris me- is. *D.*
à dex-tris me- is. *d.* à dex-tris
me- is. *A.* à dex - tris me- is. *F.*
Do-nec ponam. Ma- gni- fi- cat.
Et e- xultá- vit ſpi- ri- tus me- us.
Irreg. In e- xi-tu Iſra-el de Ægypto,
domus Jacob de pó-pulo bárba-ro.


2. Ton.


DI- xit Dóminus Dómino
me- o : Se-de à dextris me-is. *D.*
Donec ponam. Ma- gní- fi- cat.
Et e- xul- tá- vit ſpí- ri- tus me- us.
Di- xit Dóminus Dó-mino me- o : Se-
de à dextris me- is. *d.* Do-nec po-
nam. Ma-gní- fi-cat. Et e-xul-
tá-vit ſpí- ri- tus me- us.

3. Ton.


DI-xit Dóminus Dómino
me- o: Se- de à dex-tris me- is. *A.*
à dextris me- is. *a.* à dex-tris
me- is. *E.* Do-nec po-nam. Ma-
gní- ficat. Et e- xultá-vit ſpí- ri-
tus me- us.

4. Ton.


DI-xit Dóminus Dómino
me- o: Se-de à dextris me- is. *E.*


à dextris me- is. A. Do-nec po-nam.
Magní- fi-cat Et e- xultá-vit ſpí-
ri-tus me- us.
5. Ton.
DI-xit Dóminus Dómino
me-o : Se-de à dex- tris me- is. F.
à dextris me-is. A. Donec po-nam.
Ma-gni- fi-cat. Et e- xultá-vit ſpí-
ri-tus me- us.


6. Ton.



DI- xit Dó-minus Dó- mi-
no me- o: Se-de à dex- tris
me- is. F. Donec po-nam. Magní-
fi-cat. Et e- xultá-vit ſpí- ri-tus
me- us. Di-xit Dóminus Dómino
me- o: Se-de à dex-tris me- is. f.
Do-nec ponam. Ma-gní- fi-cat. Et
e- xultá- vit ſpí- ri- tus me- us.

7. Ton


D I-xit Dómi-nus Dómino
me-o : Se-de à dextris me-is. D.
à dextris me- is. A. à dextris me-
is. C. Do-nec po - nam. Ma-
gní- fi-cat. Et e- xul-távit ſpi-
ri-tus me- us.

8. Ton.


D I-xit Dóminus Dómino
me- o: Sede à dextris me- is.



Feriâ quintâ, ſextâ & Sabbato ante Paſcha, ſicut & in Officio Defunctorum, in Pſalmis atque Canticis omnes Verſus cantantur ut ſuprà notatur : Donec ponam.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra ; SALUT. Notre bien amé féal Conſeiller en nos Conſeils, le Sieur SCIPION-JERÔME BEGON, Evêque de Toul, Nous a fait expoſer, qu'il auroit beſoin de nos Lettres de Privilége pour l'Impreſſion des Uſages de ſon Diocéſe. A ces cauſes, voulant traiter favorablement ledit Sieur Evêque, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, tous les *Breviaires*, *Diurnaux*, *Miſſels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Manuels*, *Graduels*, *Proceſſionaux*, *Epiſtoliers*, *Pſeautiers*; *Demi-Pſeautiers*, *Directoires*, *Heures*, *Catéchiſmes*, *Ordonnances*, *Mandemens*, *Statuts Synodaux*, *Lettres Paſtorales & Inſtructions à l'uſage de ſondit Diocèſe*, en tels volumes, formes, marges, caractères, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera; & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de *vingt années conſecutives*, à compter du jour de la date deſdites Préſentes; ſans toutefois qu'à l'occaſion des Livres cy-deſſus ſpécifiés, il puiſſe en être imprimé d'autres qui ne ſoient pas dudit Sieur Evêque. Faiſons défenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre & debiter leſdits Livres, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, ſous quelque prétexte que ce ſoit, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & interêts; A la charge que ces Préſentes ſeront enrégîtrées tout au long ſur le Régître de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans

trois mois de la date d'icelles. Que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bons papiers & en beaux caractéres, conformément aux Réglemens de la Librairie ; qu'avant de les expoſer en vente, les manuſcrits ou imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres, ſeront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Préſentes: Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Expoſant & ſes ayans Cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conſeillers & Sécrétaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier, ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre Permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Verſailles le ſeiziéme jour du mois de Mars, l'an de grace, mil ſept cent quarante-huit, & de notre Régne le trente-troiſiéme.

Par le ROY en ſon Conſeil,
SAINSON.

Régiſtré ſur le Régiſtre XI. *de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, n.* 930. *fol.* 820, *conformément au Réglement de* 1723. *qui fait déſenſes, Art. iv. à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre, huit Exemplaires preſcrits par l'Article cviij. du même Réglement. A Paris le* 19. *Mars* 1748.

G. CAVELIER,
Syndic.

CESSION DU PRIVILEGE.

NOus SCIPION-JEROME BEGON, Evêque Comte de Toul, déclarons avoir cédé & tranſporté aux Srs. Louis Rolin & Antoine Leſeure, Imprimeurs & Marchands-Libraires; le Privilége du Roy à Nous accordé, pour l'impreſſion *des Antiphonaire, Graduel, Miſſel, Proceſſional, Breviaires, Diurnal, Pſeautiers,* & *Demi-Pſeautier*, à l'uſage de notre Diocéſe, ſelon la teneur dudit Privilége. Fait à Toul ce vingt-neuf Juin mil ſept cent quarante-huit.

✝ SCIPION-JEROME, Ev. C. de Toul.

Je ſouſſigné confeſſe avoir cédé & tranſporté au Sieur Antoine Leſeure, la part qu'il a plû à Monſeigneur l'Evêque de me donner au Privilége cy-deſſus A Toul, ce 29. Juin 1748.

Louis Rolin, l'Aîné.

Errata Partis Vernæ.

Pag.	Col.	Lin.	Erratum.	Correctio.
176	2	7	ilneâ.	líneâ.
216	1	27	in deséro.	in desérto.
218	1	32	de Cades.	de Cedes.
229	2	21	vocátur Orpha.	vocabátur Orpha.
240	2	15	aqaum flúminis?	aquam flúminis?
258	2	44	& poſt omne.	& poſt omnes.
311	1	4	an non expectavi.	an quòd expectavi.
506	1	5	nobilſſima.	nobilíſſima.
510	1	29	trádtiur.	tráditur.
511	1	23	ſubito doloris capite.	ſúbito dolóre cápitis.
518	1	26	doſtrínam.	doctrínam.